INSTITUTIONES THEOLOGICAE

QUAS

FR. MICHAEL MARCELLIUS

EREMITA AUGUSTINIANUS

AD USUM SCHOLARUM SUI ORDINIS

CONCINNAVIT

TOMUS IV.

IN QUO PERTRACTATUR DE INCARNATIONE, DE CULTU SANCTORUM, SANCTARUM IMAGINUM, ET RELIQUIARUM

EDITIO PRIMA

SUB AUSPICIIS FAUSTISSIMIS

Illmi, ac Rmi. D.

FELICISSIMI SALVINI

CAMERTIS ARCHIEPISCOPI

TYPIS AC SUMPTIBUS VULGATA
FRANCISCI XAVERII TOMASSINI
FULGINII 1847.

FR. PHILIPPUS ANGELUCCI

MATHELICENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER, ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI VICARIUS GENERALIS

Cum opus inscriptum : Institutiones Theologicae etc. *elaboratum ab admodum Reverendo Patre Magistro Fratre Michaele Angelo Marcelli, recognitum et approbatum fuerit a duobus Theologis sacri ejusdem nostri Ordinis a nobis deputatis, tenore præsentium facultatem concedimus ut typis mandari possit, si iis ad quos reliquum spectat, ita videbitur.*

Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 28 *Junii* 1844.

Fr. PHILIPPUS ANGELUCCI Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli

Magister Fr. Philippus Cascia *Ordinis Secr.*

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXII.

IN QUO JUDAEI REFELLUNTUR ATQUE GENTILES MYSTERIUM DENEGANTES INCARNATIONIS.

Sat datum est lacrymis, dum in superioribus elucubrationibus de originali peccato ejusque effectibus pertractatum est. Neque enim hominis ob illius peccatum conditionem miserrimam factam contemplantes potuimus non ingemiscere. Ex filio namque Dei et regni caelestis haerede evasit homo filius diaboli ac servus peccati. Nunc ergo laetemur oportet infinitam Dei charitatem admirantes, qui semetipsum exinaniens formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, nobiscum conversari dignatus est: et non modo innumera praebuit hominibus exempla virtutum, sed praeterea semetipsum in ara Crucis obtulit sanguinem fundens, ac delens quod adversum nos erat chirographum, lavit nos ab omni tum originali tum actuali iniquitate nostra. Verum cum haec annuntiamus, Judaeis quidem scandalum, Gentilibus autem aliisque irreligiosis hominibus stultitiam annuntiare videmur. Et Judaeis scandalum, quoniam proprium adhuc praestolantur ducem, non in ea forma venturum ut a Prophetis praedicitur, sed nescio in qua majestate quam ipsi ad libitum sibi finxerunt. Gentilibus autem aliisque irreligiosis stultitiam, quoniam cum captivare in fidei obsequium proprium intellectum nolint, sublimia Crucis mysteria non valent intelligere. Toti ergo nos in hoc libro erimus, ut et vaticiniis Prophetarum et argumentis a ratione deductis demonstremus sacratissimum Incarnationis mysterium peractum jam fuisse, humanique generis Redemptorem esse Jesum Nazarenum. Scindat Deus pervicacium corda Judaeorum et oculos infidelium aperiat, ut intelligant et agnoscant nonnisi per mysterium Crucis aeternam se posse consequi salutem.

CAPUT I.

Ex vaticinio Jacob quod habetur Gen. cap. 49. demonstrari potest contra Judaeos Messiam advenisse.

Divinissimum Incarnationis arcanum in hoc praecise consistit, quod secunda S. Trinitatis persona, Verbum nempe divinum, humanam assumpserit naturam, ei per hypostaticam unionem propriam elargiendo subsistentiam, adeo ut una in duabus naturis resultet persona. Hanc personam frequentissime in veteri lege promissam, ac Prophetarum praenuntiatam oraculis, quam optime Judaei Messiam appellant, in mundum venisse Judaei ipsi obstinatissime denegant, Prophetarum vaticinia in pravum sensum detorquentes. Theologum ergo virum quam maxime praestat miseram hanc gentem erroris revincendo, in viam reducere veritatis; ut et ipsi Dei gratia adjuvante, haereditatem nobiscum capiant salutis. Nullum autem ad id exequendum praeclarius assumi potest argumentum, quam illud ex oracu-

lis deprompLum Prophetarum. Atque exordium ducemus, ut a celebriori, ab illo quod Gen. cap. 49. prostat, quodque ita se habet: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: ad praedam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam*. Haec est benedictio quam Jacob mox moriturus Judae filio suo impertitus est, et in qua luculentissime continetur futuri Messiae praedictio, in illis praesertim verbis, *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium*. Et ne Judaei cavillentur, hoc idem vaticinium sic ex hebraico textu ad literam reddi potest: *Non recedet virga de Juda, et legislator de inter pedes ejus, usquequo veniat Siloh, et illi congregatio populorum*. Sed antequam argumenta ex hoc vaticinio ad rem nostram depromamus, singula illius verba ad literam sunt exponenda.

I. allata mox benedictio quam Jacob Judae filio suo impertitus est, non ad ipsius Judae personam, sed ad tribum cujus ille caput fuit, revera pertinet. Nam quatuor sunt praecipua quae iu ea benedictione praedicuntur. 1. Laus et adoratio fratrum erga Judam. 2. Singularis Judae fortitudo. 3. Illius imperium usque ad Messiae adventum. 4. Ingens temporalium ubertas bonorum. Ast Judae persona nihil horum revera habuit; bene vero omnia haec in ejus tribu evenerunt. Nam reges ac duces ex ea tribu fuerunt qui ab aliis tribubus laudati et adorati fuerunt, qui singularem prae ceteris habuere animi ac corporis fortitudinem, qui imperium ad Messiam usque tenuerunt, ceterisque fuerunt ditiores. Quare vaticinum illud non de persona, sed de tribu Judae prolatum est, maxime cum dixerit Jacob ad filios suos, ibid. v. 1. *Congregamini, ut annuntiem quae ventura sunt vobis in diebus novissimis*.

II. *Juda, te laudabunt fratres tui*, hoc significant. Merito vocaris *laus*, quoniam tribum tuam laudabunt illamque adorabunt reliquae tribus. Idque sequentibus verificatum est temporibus. Allatam interpretationem exactam esse, non modo ex rei eventu, sed ex ipsa quoque nominis *Juda* etymologia comprobatur. Venit quippe nomen יהודה *Jehudàh ab* הודה *hodàh, confiteri, celebrare, gratias agere*. Alludit itaque Jacob ad filii sui nomen.

III. *Manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum*; videlicet, ut in chaldaica paraphrasi legitur: *Manus tua praevalebit hostibus tuis, dissipabuntur inimici tui, erunt vertentes verticem coram te, praevenient te, petituri pacem tuam*. Etenim ערף *horef* quod ibi occurrit, occiput sive nucam significat, ac si diceret, In fugam vertes inimicos tuos: quod colla fugientium percuti sagittis soleant, et super illas manus injici, cum hostes dejiciuntur. Rem comprobavit quocumque tempore eventus, et sub Davide praesertim, ceterisque ex eo exortis principibus.

IV. *Catulus leonis Juda*; nimirum fortissimus inter ceteros fratres Juda. Catulus namque leonis audacior est validiorum virium inexpertus, acutioribus instructus dentibus, ac praedae avidior. Davidi praesertim nomen illud convenit, ob ea quae tum contra leones, tum contra gigantem adhuc adolescens gessit. Per tropum catulus leonis in Scripturis crebro regiam significat dignitatem.

V. *Ad praedam, fili mi, ascendisti*. Ponitur hoc in loco prophetico more praeteritum pro futuro: et referendum hoc vaticinium est ad tribus Juda incrementum, cujus tanta fortitudo fuit, ut quoties hebraea gens ab hostibus provocaretur, contribules Juda ad praedam potius quam ad bellum ob victoriae certitudinem viderentur ascendere. In hebraico textu legitur, *de praeda*, non *ad praedam;* sicque verba illa verificata sunt in Davide qui a leonis et ursi dilaceratione coram Saule narrata, ascendit ad militiae ducatum: et a ducentorum praeda praeputiorum aliisque parvis victoriis dum apud Achis maneret, evectus fuit ad regnum Juda, ac ab illo demum ad regnum totius Israelis.

VI. *Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena;* idest parta victoria quiete frueris ad instar leonis, quem cetera animalia quum paveant, a nemine lacessitus quiete sua fruitur. Ubi nos legimus, *quasi leaena,* in hebraico est, *quasi leo major*, quo tertius excellentiae gradus, ut in hunc locum Grotius inquit, significatur impletus. Haec vaticinii pars in Davide, Salomone, aliisque regibus literaliter impleta est, qui aliena non invasere regna nisi lacessiti.

VII. *Non auferetur sceptrum de Juda*. Ubi nos legimus, *sceptrum*, in hebraico textu habetur שבט, *scebet,* vel *scevet*. Quod nomen ad literam et nude acceptum, significat *baculum*, vel *virgam*. Juxta morem vero Scripturarum, *scevet*, vel sumitur per metonymiam signi, et tunc regiam denotat dignitatem, quum regum insigne sit virga quae a graecis ac latinis sceptrum solet appellari; vel accipitur per metaphoram, et tunc stirpem denotat sive progeniem: quoniam quemadmodum baculus e radice germinat, ita gignitur homo a primo illo parente. Hoc loco, *scevet*, significat sceptrum, quomodo in Psal. 44. Num. 24. Ezech. 21. et alibi saepe.

VIII. *Et dux*; videlicet, princeps seu legislator qui suprema polleat potestate, sive regia sit exornatus dignitate, sive aliud gerat nomen supremam denotans auctoritatem. Patet id primitus ex hebraico textu, ubi pro voce illa *dux*, legitur מחוקק, *mechokek*, quod nomen ducem revera significat; quum Judic. cap. 5. v. 15. scribae Issachar appellentur hebraice, *mechokekim*. Praeterea patet etiam ex Septuaginta versione quae habet ἡγούμενος. Rursus ex Rabbinorum quoque constat sententia. Nam R. Kimk inquit Mechokek esse *dominatorem qui legem sancit*, *et exercet judicia*: R. Salomon tradit esse *magnum principem leges praescribentem*; et Onkelos vult esse *scribarum magistrum*.

IX. *De femore ejus*; hebraice, *de inter pedes ejus*. Quidam existimant hebraicam illam locutionem proverbium esse quo futurum ducem de medio tribus Juda, hoc est quasi de domo ejus significatur. Alii autem, et

quidem melius, circumlocutione illa describi putant honesta phrasi genitalia Juda, ut denotetur ex semine ac stirpe ejus futurum ducem usque ad adventum Messiae. Et revera de secundinis mulierum legitur Deut. cap. 28. v. 57. *Quae egrediuntur de pedibus ejus*. Nostra Vulgata, ut diximus, habet, *de femore ejus*: graeca translatio, *de femoribus ejus*: Jonathas, *de semine ejus*.

X. *Donec veniat qui mittendus est*; nempe, donec veniat Messias. Hanc esse literalem commatis hujus interpretationem ex ipso apparet hebraico textu, ubi pro illis vocibus, *qui mittendus est*, legitur, שילה *Siloh*. Vox autem, *Siloh*, pro eo quod Messiam significat ab omnibus accipitur. Hinc Samaritana versio habet, *donec veniat Pacificus*: versio Septuaginta interpretum, *donec veniant quae reposita sunt ei*: Jonathas, *donec veniat Messias parvulus filiorum ejus*: Hieronymus cum latina Vulgata, *donec veniat qui mittendus est*; forte quoniam in hebraico textu legebatur antiquitus, *Silah*, pro *Siloh*. Vide Grotium in hunc locum, et Berti.

XI. *Et ipse erit expectatio gentium*; vel ut in hebraico textu est, *congregatio populorum*. Character hic superiorem vocis, *Siloh*, interpretationem magis confirmat. Nam Messias gentium omnium fuit desiderium antequam primo adveniret; et omnium gentium, nimirum fidelium, desiderium erit in secundo suo adventu. Unde Aggaeus utrumque Messiae praedicens adventum, inquit cap. 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus*. Vide Daniel. cap. 7. Isaiam cap. 11. et 49. et vaticinia alia. Hinc Targum hierosol. vertit: *Ei servitura sunt regna terrae*; et Berescith Rabba hoc loco: *futurum est, ut gentes saeculi deferant munera Messiae filio David*.

XII. *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam suam*. His verbis ubertas describitur terrae quae contingere sorte debebat tribui Juda.

XIII. *Lavabit in vino stolam suam*; tanta in ejus sorte vinorum erit abundantia.

XIV. *Pulchriores sunt oculi ejus vino*; hoc est, oculi ejus ex vino rubebunt: *Et dentes ejus lacte candidiores*, quoniam illa terrae portio ut vinetis, ita et pascuis abundabit. His explicatis sit

CONCLUSIO

Ex praemisso jacobaeo vaticinio invictissime demonstratur Messiam jam advenisse.

Prob. Jacob in laudato vaticinio praedicit non esse de tribu Juda auferendum sceptrum, principem, summumque legislationis jus, quoad usque veniret Messias, ut ex praemissa vaticinii interpretatione liquido apparet. Ast jam ab annis plurimis ablatum a tribu Juda, imo a tota hebraica gente fuit sceptrum, et una cum sceptro cessavit quoque dux, princeps, legislator, ut experientia docemur: itaque ab annis plurimis Messias jam

advenit; atque adeo recitatum supra vaticinium invicte demonstrat Messiam in lege promissum jam advenisse.

Cavilli Judaeorum dissolvuntur.

Duplici via conantur Judaei allati mox argumenti vim elevare. Alii contendunt jacobaeum oraculum intelligendum esse quidem de Messia, sed praefracte negant esse adimpletum. Alii e contra vaticinium illud ad Messiam nullo modo spectare. Cum prioris itaque classis Judaeis obj. 1. Vaticinium illud non valide Messiae adventum demonstrat cujus verba admodum ambigua sunt: hujusmodi autem est jacobaeum vaticinium. Nam I. ubi nos legimus, *non auferetur*, Hebraei habent יסור, *jasùr*, hoc est, *non accedet*, ita ut sensus sit, *non accedet sceptrum ad Juda, donec veniat Messias*. II. particula illa, *scevet*, quam latinus interpres reddidit, *sceptrum*, revera significat; *virgam*. Virga vero in Scripturis pro afflictione ponitur et tribulatione, ut Psal. 2. et Isaiae 10. Quare sensus est: Non recedet afflictatio a Juda usque ad adventum Messiae. Cumque Judaei adhuc sub dira captivitate gemant, fit consequens Messiam nondum apparuisse. III. ubi nostra Vulgata legit, *donec*, Hebraei habent, עד־כי, *had-chi*: quae particulae reddi minime debent, *donec*, vel *usquequò*, sed *posteaquam*; quoniam sub particula, *had*, scriptus invenitur accentus *jethibb*, illam a vocula, *chi*, dispescens. Unde sensus erit: *Non recedet sceptrum de Juda in aeternum, posteaquam Messias advenerit*. Quod argumentum ex eo confirmant, quod etiamsi *had* significet *donec*, non proinde sequetur Messiam advenisse, quum particula, *donec*, aliquando rei significet continuationem, ut Psal. 109. v. 1. *Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*; neque enim Filius a Patris excidere debet dextera, postquam subjugati inimici fuerint. Hinc vaticinii sensus est: Numquam auferetur sceptrum de Juda post adventum Messiae. IV. quamvis oraculum illud Messiae praenuntiet adventum postquam ablatum a tribu Juda fuerit sceptrum, non proinde Messiam adventasse demonstrat: quoniam peccata hominum caussa fuere ne post sceptri cessationem Messias adveniret. Hinc qui aliis prognati tribubus sceptrum Judae usurparunt, puniti a Deo fuerunt. V. vel dici potest esse prophetiam illam hypotheticam, si nempe tribus Juda legi divinae obsequatur. VI. oraculi illius sensus est, Judaeos licet dira oppressos captivitate, non ita tamen afflictum iri semper, quin ex uno loco expulsi in alium benigne recipiantur, donec veniat Messias. VII. vel ita intelligatur, ut Messias adveniens omnes conterat opprimatque gentes. Nam ubi nos legimus, *Ipse erit expectatio gentium*, hebraice habetur, *Ipse erit oppressio gentium*. Occurrit siquidem vox יקהת, *jkehat*, quae a verbo קהה, *kahàh*, *obstupuit* cum sit, *obstupescere* atque *contundere* proprie significat. Cumque gentes eversae adhuc non sint, sequitur nondum apparuisse Messiam. VIII. et ut Christianorum more in omnibus vaticinium interpretari velimus, non proinde demonstrat Messiam jam advenisse, quum sceptrum de

tribu Juda non sit adhuc ablatum. Hebraei quippe habent in Asia *Æcmalotarcham* e tribu Juda, et in Syria ultra sabbaticum flumen florentissimo potiuntur imperio, et Turcarum magnus dominus ex judaico populo ducit originem.

Resp. ad 2. Falsa est nonnullorum interpretatio quod *jasur* significet accessum, quum omnes omnino versiones cunctique Rabbini legant, *non recedet*: *non auferetur*: *non deficiet*. Est enim vox illa a themate סור quod, *discessit*, *recessit*, *secessit*, *declinavit*, significat. Deinde sceptrum in tribu Juda jam fuit; adeoque Messias jam advenit.

Ad 2. Vox illa, *scevet*, hoc in loco virgam dominationis seu sceptrum significat, ut paullo supra diximus. Quod vero non significet virgam afflictationis multa suadent. 1. Si, *scevet*, absolute et absque ullo adjuncto epitheto reperiatur, numquam denotat tribulationem. Psal. namque 2. ac Isaiae 10. *scevet*, adjunctum indignationem denotans habet. E contra in hoc vaticinio character additur ducem et legislatorem significans ex semine oriundum Juda; proindeque etiamsi vox illa solitarie accepta sceptrum non indicaret, ut nos contendimus, id tamen significaret ratione illius characteris. 2. Quaecumque Jacob filio suo Juda eventura futuris temporibus spondet, omnia laeta sunt et fausta. Quomodo ergo, *scevet*, significat tribulationem? 3. Si res ita, ut Judaei contendunt, se haberet, dicendum foret afflictionem a tribu Juda ab editi vaticinii tempore donec veniat Messias numquam recessisse: quod falsum penitus est, quum a Davide ad Sedeciam usque, per annos videlicet 500. et amplius, summa rerum ea tribus potita sit.

Ad 3. *Had-chi* reapse significat, *usquequo*, et optime vertit latinus interpres, *donec*. 1. Quoniam voces eaedem Gen. cap. 8. ipsis fatentibus adversariis, significant, *donec*. 2. Quoniam, *donec*, non modo alii omnes interpretes, verum et ipsi Judaei, ut dictum est, transtulerunt. 3. Quoniam accentus, *jethibb*, minimae distinctionis est signum. Aliunde vero ante particulam, *had*, habetur accentus, *athnàk*, qui juxta Davidis levitae regulam distinguit membra periodi; unde *had-chi* cum illis verbis, *adveniat qui mittendus est*, debet conjungi.

Ad argumenti vero confirmationem dico 1. illud supponere particulam, *donec*, idem valere ac, *posteaquam*, quod falsum esse modo animadvertimus. 2. Etsi particula *donec*, rei denotet aliquando continuationem, saepius tamen terminum significat temporis, quo elapso, id quod in oratione enunciatur evenit, ut Lev. cap. 12. v. 4. *Non ingredietur in sanctuarium*, *donec impleantur dies purificationis suae*. 3. Imo continuatio rei non indicatur ab ipsa particula *donec*, sed cognoscitur ex contextu; ut in allato exemplo, *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, non credimus Dei Filium ad Patris sedere dexteram etiam post subjugatos hostes vi particulae *donec*, sed alia ex caussa. 4. Quoniam particulae, *donec*, vis est definire dumtaxat quid factum sit ante praenuntiati temporis terminum. Hinc in allato exemplo ac in multis aliis quae afferri solent, ut, *Corvus egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquae. Joseph non cognovit eam, donec peperit*

filium suum, ceterisque; particula, *donec*, definit Dei Filium a Patris non excidisse dextera usque in diem subjugationis inimicorum; corvum in arcam non introisse priusquam siccarentur aquae; Joseph uxorem suam non cognovisse antequam pareret primogenitum: unde Hieronymus adversus Helvidium inquit: *Scriptura quod factum non sit ostendit*. Similiter ergo, quamvis in jacobaeo vaticinio particula, *donec*, quid de sceptro Judae post adventum Messiae fieri deberet non definiret, determinat tamen ex illa tribu numquam ablatum iri ante illius adventum. Cumque modo ablatum sit, jure meritoque concludimus Messiam advenisse.

Ad 4. Hominum peccata caussa fuerunt ut Deus carnem assumeret: Messias enim venit ad mundi peccata tollenda juxta omnium Prophetarum oracula; adeo falsum est hominum scelera in caussa fuisse ne praenunciato a Jacob tempore Messias adveniret. Quod autem inquiunt punitos a Deo fuisse illos qui ex aliis tribubus prognati Judae retinuere sceptrum, contra omnium Scripturarum fidem est. Nam Saul e tribu Benjamin thronum conscendit jussu Domini: *Ecce unxit te Dominus*, inquit ad eum Samuel I. Reg. cap. 10. v. 1. *super haereditatem suam in principem*. Jeroboamum quoque e tribu Juda minime ortum elegit Dominus in decem tribuum regem, ut ex III. Reg. cap. 11. v. 31. constat, ubi sic Jeroboamum alloquitur Ahias propheta: *Ecce ego* (ait Dominus Deus Israël) *scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus*. Non ea ergo de caussa puniti a Deo fuerunt quod sceptrum tenuerint.

Ad 5. Nullum est Prophetarum oraculum quod ea eludi non possit exceptione. Undenam recentiores Judaei didicerunt jacobaeum vaticinium esse hypotheticum? Non ex Scriptura, ubi nullo in loco ejus hypothesis apparet vestigium; neque ex veterum traditione hebraeorum, quum omnes uno ore fateantur prophetiam illam esse absolutam.

Ad 6. Minus verisimilis est interpretatio hoc in loco allata. Nam in primis praesidium illud de quo adversarii loquuntur, ad universam pertineret judaicam gentem, quum tamen Jacob loquatur de sola tribu Juda: Benedixit quippe singulis benedictionibus propriis. Deinde nescio num aliquis assignari queat princeps, aliquis populus qui praesidio sit miserae hebraeorum nationi, quum universo orbi despectui sint gravissimisque oneribus aggravati.

Ad 7. Nihilo sincerior est expositio quae sequitur. 1. Promissus in lege fuit Messias ut universum mundum a daemonis liberaret servitute, non ut illum opprimeret atque contereret. Quare legi debet: *et ipse erit expectatio gentium*. 2. Vox יקהת, *jkehat*, non a radicali קהה, *kahàh*, *obstupescere*, bene vero ab יקה, *jkàh*, originem ducit, quod, *audire* et *obedientiam praestare*, significat: non enim litera *jod* est hic servilis tantum, hoc est praemonstrativa futuri, ut innuere videntur nostri argutatores, sed simul radicalis atque servilis: solent enim Hebraei prae, ייקה, *iikàh*, dicere יקה, *ikàh*, *jod* radicali et servili concurrentibus in unum *jod*, ut liquet exemplo יבש, *ibasc*, pro ייבש, *iibasc*, *arescet*. Versiones omnes habent, vel *expectatio*, vel *aggregatio*, vel *obedientia populorum*. 3. Onkelos

vertit: *et illi obedientia populorum*. Et in Berescith Rabba legitur: *futurum est ut gentes saeculi deferant munera Messiae filio David*.

Ad 8. Quod postremo loco regerunt Judaei, putidam redolet fabellam, et commiseratione potius quam responsione dignum videtur. Primo itaque universam Asiam tum mercatores tum curiosi itinerantes tum missionarii apostolici lustrarunt, et nemo umquam narravit Judaeos iis in regionibus vel aecmalotarchas habere vel reges. Praeterea ipsi cordatiores Hebraei fassi semper sunt sceptrum e Judaeorum manibus jamdudum excidisse; unde in Thalmude hierosolymitano tract. Sanhedrim legitur: *Vae nobis, quia ablatum est sceptrum*. Et Rab. Bechai, ut innumeros alios omittam testes, inquit: *Hodie non habemus regem neque principem*. Quoad imperatorem vero Turcarum vel alios orientis principes, quis eos docuit esse revera ex judaica gente prognatos? Et dato quod essent ex decem tribubus trans Euphratem a Salmanassare asportatis oriundi, quod tamen incertissimum est, quum sit multorum opinio illas ad patrios rediisse lares una cum Judaeis babylonica soluta captivitate, quomodo demonstrare poterunt eos reges esse ex tribu Juda quam in terra Chanaan permansisse indubitatum est? Omitto orientales illos principes mosaicam non servare legem, et immanes esse judaicae nationis hostes.

Obj. 2. cum iis qui jacobaeum vaticinium ad Messiam minime spectare contendunt: Si qua esset ratio affirmandi oraculum illud fuisse de Messia prolatum, maxime esset quia vox, *Siloh*, significat Messiam. Hoc autem falsum est. Nam I. *Siloh*, de quo loquitur Jacob, est Moyses: juxta enim Gematriae regulam vox, *Siloh*, summam efficit 345. qui idem numerus exurgit ex hac alia voce, *Moyses*. II. praenuntiatus eo vaticinio dici potest *Saul* qui primus fuit rex, et in regem unctus in civitate *Siloh*. III. vel ille *Siloh* erit *Jeroboam* qui decem tribubus imperavit, et in *Siloh* creatus fuit rex. IV. vel denique praedixit Jacob Nabuchodonosoris aut Herodis sive Vespasiani adventum, qui omnes in Judaeos habuere dominium. V. si jacobaeum vaticinium tam aperte Messiae praedicit adventum, cur Christus et Apostoli ab eo recitando abstinuerunt?

Resp. ad 1. Antequam Moyses dux hebraici populi esset, sceptrum numquam fuit in aliqua tribu. Non est ergo Moyses ille *Siloh*, ad cujus adventum ablatum fuerit e tribu Juda sceptrum. Praeterea *Siloh*, quem propheta commemorat, dicitur gentium, non hebraici populi dumtaxat expectatio, ut reapse fuit Moyses. Tandem de iis loquebatur Jacob quae filiis suis in novissimis eventura erant diebus post illorum in terram Chanaan ingressum in quam numquam introivit Moyses. Frivolum autem est argumentum ex gematrica regula deductum; quum si hisce ineptiis stare velimus, innumera ex sacris Scripturis colligemus portenta.

Ad 2. Minus etiam consistit altera vocis, *Siloh*, explicatio. 1. enim quomodo Saul a Deo et a suis reprobatus, dici potest expectatio gentium? 2. Falsum est Saulem in urbe Siloh fuisse inauguratum regem, quum in lib. 1. Reg. cap. 10. narretur id accidisse in Maspha. 3. Argumentum supponit ante Saulis inaugurationem sceptrum fuisse in tribu Juda, quum

suprema potestas immediate ante Saulem fuerit in domo Heliae, Samuelis, qui erant de tribu Levi. Imo a Saule qui fuit de tribu Benjamin, transiit sceptrum in tribum Juda de qua fuit David.

Ad 3. Consimili diluitur responsione quod tertio loco positum est. Neque enim expectatio gentium dici potuit impiissimus Jeroboam, nec in Siloh fuit rex creatus. Imo quando is rex datus est decem tribubus, sceptrum a Roboamo filio Salomonis de tribu Juda non fuit ablatum.

Ad 4. Impium autem est existimare praedixisse Jacobum Nabuchodonosoris, vel Herodis, aut Vespasiani adventum. Hi siquidem expectatio non fuere gentium, neque aliis praediti characteribus qui habentur in vaticinio.

Ad ultimum. Christo Domino ac Apostolis propositum non fuit omnia et singula Prophetarum oracula expresse in medium adducere. Satis fuit Christo Judaeos ad lectionem remittere Scripturarum. *Habent Moysen*, inquit Luc. cap. 16. v. 29. *et prophetas: audiant illos*. Et Johan. cap. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas... et illae sunt, quae testimonium perhibent de me*. Praeterea quum ea aetate persisteret adhuc in tribu ac gente Juda aliquo sensu sceptrum, vaticinium hoc nostrum non tantam tunc, quantam nunc habet, ad eos revincendos vim habuisset.

CAPUT II.

Quomodo jacobaeum vaticinium cum eventu cohaereat.

Frigidas Rabbinorum argutias jam solvimus. Spinosissimam nunc inter Christianos agitari solitam aggredimur controversiam: quomodo nempe illius vaticinii verba cum eventu cohaereant. Nam Messiam in lege promissum esse Jesum Nazarenum penes omnes Christianos indubitatum est: adeoque auferri de Juda sceptrum non debuit, nisi in adventu Jesu Nazareni. Ast vero sceptrum de Juda cessasse videtur diu ante Christi Domini adventum, tempore scilicet Nabuchodonosoris, quando Judaei omnes captivi asportati sunt in Babyloniam. Deinceps vero quum sceptrum fuerit penes Machabaeos qui de tribu Levi erant, difficultas non tam facilem habet solutionem. Haec itaque modo sunt concilianda.

Mirum est in quot abierint Theologi sententias. 1. Nonnulli post Eusebium ac Theodorum tarsensem, contendunt sceptrum in tribu Juda etiam post babylonicam captivitatem et ad Christum usque perseverasse: quoniam licet reges ac principes ex aliis tribubus crebro fuerint, tribus tamen Juda ceteris numerosior erat atque florentior. 2. Alii post Genebrandum sibi suaserunt Machabaeos genere paterno fuisse ex tribu Juda; sicque sceptrum in ea tribu extitisse usque ad Christum. 3. Origenes, cui Lyranus, Tostatus, ac Dionysius carthusianus subscripserunt, stetisse sceptrum in tribu Juda docent, quod Machabaei de ea tribu essent genere materno. 4. Pererius aliique post illum, arbitrantur nomen Juda in vaticinio non solam tribum cujus ille caput fuit, sed universam hebraicam gentem denotare: eoque modo oraculum facile cum eventu conciliant, quoniam pau-

cis exceptis annis, in hebraica gente semper usque ad Christum suprema viguit potestas. 5. Cajetanus quem non pauci sequuntur, nodum solvit affirmando sceptrum semper in tribu Juda perseverasse; quoniam etsi ex aliis tribubus duces ac reges quandoque fuerint, tribus tamen Juda a jure sceptri numquam excidit. 6. Johannes Laurentius Berti post Paulum brugensem aliosque, opinatur semper mansisse sceptrum in tribu Juda, quoniam tempore etiam babylonicae captivitatis ac regni Machabaeorum penes judaicam gentem viguit senatus Septuaginta virorum, quem graece Synedrion appellant, cujus caput seu aecmalotarcha erat de tribu Juda, quique necis ac vitae jus habebat. Hoc autem discrimen est inter Pauli brugensis ac Laurentii Berti sententiam, quod ille singula senatus membra de tribu Juda, hic autem solum Synedrii caput seu aecmalotarcham de ea tribu esse existimaverit, selectis promiscue aliis ex singulis tribubus. Modo videndum est quaenam ex allatis sententiis probabilior existat.

Sed antequam opus aggrediamur, in memoriam revocandum est quinam hebraici populi status a prolato vaticinio usque ad Christum fuerit. Principio ergo post Jacobi mortem vixerunt Hebraei sub Pharaonum tyrannide in Ægypto usque ad Moysen, qui ex Ægypto erutos deduxit eos per desertum. Ab exitu populi de Ægypto usque ad ingressum in terram Chanaan, per annos scilicet sexaginta sex, fuerunt sub ducibus quorum primus fuit Moyses de tribu Levi, alter vero Josue de tribu Ephrahim. Post Josue mortem usque ad Saulem, hoc est per tercentos et amplius annos, imperarunt illis Judices quindecim quorum duo dumtaxat, nimirum Othoniel et Abesam de tribu Juda fuerunt; reliqui vero modo ex hac, modo ex illa tribu assumpti. Petierunt deinde Hebraei a Samuele postremo eorum judice Regem ad instar finitimarum gentium, et Deus dedit illis Saulem de tribu Benjamin: quo a Deo ipso reprobato, constitutus fuit rex David de tribu Juda. Atque hoc tempore sceptrum, juxta jacobaeum vaticinium transiit in tribum Juda. Post mortem Salomonis qui Davidi patri suo successerat, regnum in duas divisum est partes, quarum unam decem continentem tribus assignavit Deus Jeroboamo, alteram vero reliquit Roboamo filio Salomonis: quae pars ex tribu Juda, Benjamin, et dimidia Manassis, pluribusque de tribu Levi conflata, dicta est regnum Juda; cum interim altera pars Jeroboamo subjecta, dicta sit regnum Israel. Regnum autem Juda usque ad Sedeciam perduravit, per annos videlicet quadringentos septuaginta tres, supputationem a Davide primo de tribu Juda rege incipiendo. Sub Sedecia celeberrima accidit babylonica captivitas per Nabuchodonosorem, quae septuaginta perduravit annis. Absoluta demum captivitate usque ad Christum, nempe per annos quingentos viginti, fuerunt Hebraei sub ducibus qui regiam affectarunt dignitatem, quique erant, ut plurimum, de tribu Levi, videlicet Assamonaei, Machabaei quoque nuncupati. His ob oculos positis nunc sit

CONCLUSIO I.

Vaticinii verba , non auferetur sceptrum de Juda , *non sic intelligenda sunt quod tribus Juda ceteris esse debuerit florentior ac numerosior* .

Prob. 1. Nomine sceptri , ut supra demonstravimus , suprema intelligitur auctoritas quae in jure necis et vitae , in condendis administrandisque legibus , in gubernandis populis consistit , sive persona haec auctoritatem gerens regio nomine polleat , sive non . Hinc statim in eodem oraculo additur , *et dux de femore ejus ;* ad summam scilicet imperii insinuandam dignitatem . Non ergo sic intelligendum est vaticinium , quod tribus Juda ceteris florentior ac numerosior esse debuerit .

Prob. 2. Juxta oraculum sceptrum semper usque ad Christi adventum perseveravit in tribu Juda . Hanc autem non semper florentiorem ceteris fuisse tribubus patet ex quo post babylonicam captivitatem imperii summa fuerit penes Pontifices ; atque idcirco tribus Levi magis opulenta ac florentior esse debuit .

CONCLUSIO II.

Post babylonicam captivitatem non eo sensu remansit sceptrum in tribu Juda quod Machabaei de ea tribu essent genere paterno vel materno .

Prob. prior thes. pars . I. Jerem. cap. 22. v. 30. de Jechonia qui postremus de semine David princeps fuit , haec leguntur : *Scribe virum istum sterilem virum* , *qui in diebus suis non prosperabitur* , *nec enim erit de semine ejus vir* , *qui sedeat super solium David* , *et potestatem habeat ultra in Juda* . Ex his apparet non fuisse Assamonaeos de semine David . Sed neque erant de tribu Juda . Nam lib. 1. Mach. cap. 2. v. 1. habetur functos eos fuisse sacerdotali officio : *In diebus illis surrexit Mathathias filius Johannis filii Simeonis* , *sacerdos ex filiis Joarib ab Jerusalem* . Norunt autem omnes ex Apostolo ad Hebr. cap. 7. v. 13. nullum de tribu Juda praesto fuisse altari . II. si Machabaei fuissent paterno genere de tribu Juda, sceptrum consecuti profecto fuissent haereditario jure . Ast ex 1. Mach. cap. 9. constat habuisse illud ex populi electione . Hinc Fl. Josephus lib. 11. Antiq. cap. 4. Judaeorum statum post babylonicam servitutem describens , inquit : *Penes Pontifices enim fuit summa auctoritas* . Et lib. 20. cap. 8. singillatim Pontifices enumerat, qui a Cyro usque ad Antiochum Epiphanem Rempublicam administrarunt .

Prob. altera prop. pars. I. ex eo quod falsum sit Machabaeos genere materno fuisse de tribu Juda . Nam nullum hujus rei vestigium in sacris literis habemus . Quod enim semel aut bis legatur sacerdotes de tribu

Levi matrimonia cum virginibus de tribu Juda iniisse, non probat semper id debuisse fieri. Deinde vero credibile ne est Pontifices maximos numquam uxores de tribu sua ducere voluisse, praesertim cum tribus Levi ob summum sacerdotium florentissima semper fuerit? II. etiamsi Machabaei materno genere ad tribum Juda spectarent, non sequeretur inde tempore quo regnarunt sceptrum in tribu Juda permansisse. Nam oraculi verba satis aperte significant sceptrum permansurum in tribu Juda quoad genus paternum; quum habeatur ibi, *de femore ejus*, quae locutio generationis denotat stipitem. Praeterea penes Judaeos ubi de haereditate herciscunda agitur, nullo numero maternum genus computatur; unde in Thalmude Tract. Juchasim dicitur: *matris familia non est familia*; et in sanctis Scripturis numquam per mulieres genealogiae describuntur. Demum si adversariorum systema consisteret, sceptrum de tribu Juda neque filiorum Herodis tempore defecisset; quoniam filios qui Judaeae reges fuerunt, genuit ex Mariamne filia Assamonaeorum quam uxorem duxerat.

CONCLUSIO III.

Non hoc praesefert vaticinium quod sceptrum esset in aliqua tribu ex duodecim permansurum; vel in tribu Juda usque ad Christum, quod tribus illa a jure sceptri non exciderit.

Prob. prima prop. pars. In Pererii Casauboni aliorumque sententia Judae nomine in jacobaeo vaticinio universa veniret israelitica gens quae post babylonicam captivitatem judaica nuncupata est. Ast Jacob in sua prophetia Judae nomine illam solam designavit tribum cujus Judas ipse caput fuit. Nam in laudato vaticinio non solum illa habentur verba, *non auferetur sceptrum de Juda*, in singulari suum alloquens filium, quemadmodum alios in aliis benedictionibus filios suos alloquitur, sed praeterea additur, *et dux de femore ejus*. Ducis autem nomine nonne singularis quaedam persona venit ex Judae semine prognata? Utique, quoniam duces ex una vel alia tribu orti, geniti ex femore Judae dici non possunt. Praeterea Pentateuchi auctor disertissime affirmat Jacobum non omnes promiscue, sed singulos singillatim fuisse allocutum. Sic enim patriarcham loquentem inducit: *Omnes hic in tribubus Israël duodecim: haec locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis*. Quare benedictio Judae collata quae incipit, *Juda, te laudabunt fratres tui*, et in qua haec continetur praedictio, ad solam Judae tribum, non ad reliquas pertinet. Ac denique verba illa, *ligans ad vineam pullum suum etc.* quae sequuntur, ita tribui Juda propria sunt, ut ad alias tribus nequeant applicari. Cur ergo vaticinium de universa judaica gente debet intelligi?

Prob. altera pars thes. I. voces illae, *scevet* et *mechokek*, *sceptrum* et *dux*, virum denotant ex femore Judae ortum qui leges actu condat, ac judicia exerceat. Quare non denotant simplex jus ad regnum. II. hac

semel admissa sententia Hebraei Messiae adventum adhuc praestolantes nullo revinci poterunt argumento. Nam de jure ad regnum etiamnum gloriantur. III. aut saltem demonstrari non poterit Jesum Nazarenum Messiam esse in lege promissum. Nam anno Christi 95. sub Imperatore Domitiano inventi sunt Romae quidam posteri Davidis penes quos jus ad regnum viguisse comminisci quis posset. IV. his adde quod Cajetani sententia in illud denique recidit, quod nonnulli Rabbini commenti sunt, particulas scilicet *had-chi*, quam noster interpres vertit, *donec*, significare, *postea quam*, seu, *in aeternum quando venerit Messias*. Putat quippe Cajetanus Jacobum Judae filio suo spopondisse jus ad regnum temporale usque ad adventum Messiae, jus autem ad regnum spirituale in aeternum postquam advenerit Messias. Cumque, *had-chi*, ad sensum illum nequeat detorqueri, ut supra animadvertimus, sequitur labili niti fundamento illam opinationem.

CONCLUSIO IV.

In Hebraeorum gente viguit septuaginta seniorum synedrion quorum caput aecmalatarcha, *seu* Nasci *nuncupatum*, *erat de tribu Juda*; *eaque pollebat auctoritate de qua jacobaeum oraculum loquitur; sicque per aecmalotarcham sceptrum in tribu Juda perseveravit usque ad Christum*.

Prob. prior pars, quod nempe in Hebraeorum gente viguerit senatus septuaginta virorum. Num. cap. 11. v. 16. legitur: *Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel ... ut descendam, et loquar tibi: et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi*. Patet ex his non esse rabbinicum commentum, ut nonnulli ajunt, synedrii institutionem. Raymundus Martini in pugione fidei pluribus demonstrat senatum hunc omni tempore a Moyse usque ad Christum penes Hebraeos extitisse, ejusque auctoritatem in hoc sitam fuisse ut caussas omnes decerneret, ac rege sive duce deficiente, quasi sede vacante, jus summum haberet. Nos tamen demonstrare contenti erimus viguisse synedrion praesertim a capto Sedecia usque ad Herodem. Et primo quidem Jeremias cap. 38. narrat quod cum ipse infausta populo Israël annuntiaret, seniores synedrii quos ipse principes populi appellat, quaesierunt illum ad necem: *Et dixerunt principes regi: Rogamus ut occidatur homo iste*. Neque vero principes populi alii esse poterant quam senatores, quum summa pollerent auctoritate. Nam rex respondit eis: *Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est regem vobis quidquam negare*. In lib. 1. Mach. cap. 14. legitur exemplum epistolarum quas Spartiatae miserunt cum hoc initio: *Spartianorum principes et civitates, Simoni sacerdoti magno et senioribus* etc. Consimilis epistola prostat in 2. Mach. cap. 11. data ab Antiocho cujus initium est, *rex Antiochus senatui Judaeorum*. Fl. Josephus rerum popu-

larium suorum historicus accuratissimus lib. 11. Ant. cap. 4. tradit reipublicae formam post reditum a captivitate fuisse aristocraticam, quod per optimates certo numero delectos administraretur. Et lib. 14. cap. 9. fuse describit synedrion; et quomodo Sameas synedrii aecmalotarcha contra Herodem cedis accusatum orationem habuerit. Ac denique communis haec est Judaeorum sententia. Nam Chronicon cui titulus est, *Sepher Olam*, ita habet: *In templo secundo haec fuit consuetudo, ut rex ex familia Asmonaeorum et servis eorum filiis Herodis, educeret et reduceret exercitum, curaretque omnia, quae ad regnum pertinerent. Verum quae ad legem spectabant statuta et judicia, ad os seu mandatum principis de domo David fuere facta*. Rab. Zemach inquit: *Hic mos erat Hierosolymis, quamdiu esset regnum ex familia Asmonaeorum, et post eos ex familia Herodis, ecce semper fuit princeps de domo David. Nam rex curabat exercitum et res bellicas: sed quae ad legem pertinebant statutaque ac judicia, ad nutum pontificis, et principis ex familia Davidis administrabantur*. In Berescith Raba ad illa verba, *Non recedet sceptrum* etc. haec habentur: *Isti sunt sedentes Jabbet docentes sententias in sanhedrim magna. Et quid est, Non recedet sceptrum de Juda? Hoc plane sibi vendicat, quod non est concessum sanhedrim potestas judicandi judicia, nisi omni tempore quo sedebant in camera dolata. Cum autem migraverunt inde ad locum alium, cessaverunt judicia animarum, sicut scriptum est Deut.* cap. 17. In Thalmud tract. Sanhedrim: *Non recedet virga ex Juda: Hi sunt capita captivitatis qui sunt in Babylone, et regunt Israelem virga. Et legislator de inter pedes ejus: Hi sunt filii filiorum Hillel qui multos docent legem*. Targum denique hierosol. verba illa Cant. cap. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum in areolam aromatum*, ita exponit: *Descendit in Babylonem ad sapientes sanhedrim*. Non est ergo purum humanae mentis figmentum asserere, extitisse inter Judaeos a capto Sedecia usque ad adventum Christi septuaginta virorum senatum.

Prob. nunc altera pars, caput nimirum synedrii fuisse semper de tribu Judae. I. Jerem. cap. 33. v. 17. ita loquitur Deus: *Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domus Israël*. Et v. 20. *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies, et nox in tempore suo; et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus*. Significant haec non debuisse ex semine Juda et Davidis deficere hominem qui suprema polleret auctoritate. Ejusmodi promissio intelligi nequit de regibus qui post babylonicam captivitatem fuerunt de tribu Levi. Sed neque de toto synedrio quod non ex sola tribu Juda familiaque David constabat. Unde verificari debuit in aecmalotarcha seu capite senatus. II. principem hunc de tribu Juda ac David familia semper fuisse Rabbini omnes testantur paullo ante laudati. III. tempore babylonicae servitutis, eaque soluta floruerunt in hebraica gente Zorobabel, Daniel, ac Nehemias. Fuisse Zorobabelem ex tribu Juda patet ex 2.

Esdrae cap. 12. v. 1. ubi appellatur *filius Salathiel* qui de tribu fuit Juda. Nemini dubium quin de tribu Juda fuerit quoque Daniel, qui Dan. cap. 1. v. 6. expresse dicitur *de filiis Juda*. Disputatur de Nehemia num de tribu Levi potius quam de tribu Juda esset, quum in 2. Esdr. cap. 10. et 2. Mach. cap. 1. inter sacerdotes adnumeretur. Sed constans est Hebraeorum opinio fuisse illum revera de tribu Juda: cui sententiae Patres graeci subscribunt, inter quos Eusebius in Chronico ubi ait: *Nehemias ex tribu Juda, et ex semine David*. In 2. autem Esdr. cap. 10. adnumeratur Nehemias una cum sacerdotibus, sed tamquam princeps, quum appelletur saepe, uti ejusdem Esdr. lib. 1. cap. 2. et lib. 2. cap. 7. et 8. *Athersatha*, hoc est persica lingua, *princeps* et *dux*. Et in 2. Mach. cap. 1. obtulisse narratur reaedificato templo sacrificia, verum more principum, quomodo obtulerunt olim sacrificia filii David. Hi tres igitur fuerunt de tribu Juda. Porro fuisse videntur quoque aecmalotarchae et capita synedrii, habuisseque jus necis ac vitae in judaicum populum. Nam de Zorobabele nemo ambigit quin dux populi fuerit ac princeps, ut 1. et 2. lib. Esdr. legenti patet. Danielem autem praefectum constitutum fuisse magistratuum a rege Babylonis narrat Daniel ipse cap. 2. v. 48. *Tunc rex Danielem in sublime extulit, et munera multa et magna dedit ei, et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, et praefectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis*. Intelligo haec de magistratibus Judaeorum qui secundum propria jura ex indulto regum viventes, in singulis provinciis magistratus habebant. Exercuisse autem Danielem in popularibus suis supremum jus secundum legem Moysis apparet luculentissime ex illius lib. cap. 13. ubi sententia mortis in seniores Susannae calumniatores lata juxta legem Moysis describitur. Quoad Nehemiam, ut innumera omittam, in 2. Esdr. cap. 5. v. 14. legitur: *A die autem illa, qua praeceperat rex mihi ut essem dux in terra Juda... ego et fratres mei annonas quae ducibus debebantur, non comedimus. Duces autem primi qui fuerant ante me* etc. Habemus ergo tum captivitatis tempore tum ea soluta, duces et principes de tribu Juda. Cumque certum sit etiam perseverante captivitate vixisse Judaeos, ut diximus, secundum proprias leges, credendum est habuisse senatum cum capite suo ad exercenda judicia. Paullo difficilius est demonstrare synedrii aecmalotarcham etiam Machabaeorum tempore fuisse de tribu Juda. Sed praeter Rabbinorum testimonia de quibus paullo ante, et argumentum ex Jeremia proxime deductum, non levem ad id adstruendum eruere possumus conjecturam, ex eo quod post babylonicam captivitatem hebraica respublica ex sola fere Judae tribu coalescebat. Narrat quippe Josephus lib. 11. Ant. cap. 5. quod cum Esdras singulas tribus ad reditum in Jerusalem invitasset, *Omnis populus israeliticus commovere se noluit. Hinc accidit ut duae solum tribus in Asia et Europa sub imperio romano habitent. At decem tribus trans-euphratem in hodiernum usque tempus incolunt infinita multitudine*. Et infra de iis loquens qui redierunt: *Judaei*, inquit, *appellati sunt, et regio judaea, ab eo tempore quo populus Babylone*

reversus est nomine ex tribu Juda derivato, quod illa in haec loca prima e Babylone venisset. Fit itaque certum majorem synedrii partem ex senatoribus coaluisse de tribu Juda; adeoque principem quoque de eadem tribu fuisse etiam aetate Machabaeorum.

Prob. tertia pars, synedrii videlicet aecmalotarcham ea fretum fuisse auctoritate quam jacobaeum exigit vaticinium. Non absque caussa Jacob Spiritu sancto excitante in filii sui Juda praenuncio, inter *scevet* et *mechokek*, *sceptrum* ac *ducem*, distinguens, utrumque in sua tribu extiturum dixit usque ad Messiam. Praeviderat namque futurum ut de tribu sua viri essent regia dignitate pollentes, ac subinde duces qui leges sancirent et administrarent. Nam, *scevet*, proprie significat, ut animadvertimus, *baculum*, et per metonymiam signum est regiae potestatis: quod a nobis, sumpto a Graecis nomine, dicitur sceptrum. Et quoad hanc partem prophetia adimpleta est in tribu Juda usque ad Sedeciam qui postremus hebraici populi rex de familia David fuit. *Mechokek* autem, seu *dux*, quum a verbo quod *determinare* ac *praescribere* denotat descendat, idem est ac *dominator*, *legislator*, seu *princeps* civilem exercens auctoritatem et capitalia judicia. Hinc scribae Issachar *mechokekim*, hoc est *duces*, appellantur, Judic. cap. 5. v. 15. Juxta hanc nominum distinctionem Onkelos sic explicat vaticinium: *Non deficiet exercens dominatum*. Jonathan: *Non cessabunt reges, et principes*. Kimki: *Non deficiet dominator qui legem sancit, et exercet judicia*. Salomon: *Non cessabit magnus princeps leges praescribens*. Si ego igitur demonstravero aecmalotarchas synedrii supremam habuisse leges sanciendi ac exercendi judicia potestatem, et jus necis et vitae, demonstratum quoque erit aecmalotarchas ea praeditos fuisse auctoritate de qua Jacob in suo vaticinio loquitur. Porro res ita proculdubio se habet. Et de Zorobabele, Daniele, atque Nehemia, nemo inficias ire poterit quin supremam illam haberent facultatem, ut animadvertimus supra. Unde de his nonnulli vaticinatum fuisse affirmant Psalmistam in Psal. 121. v. 5. *Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David*, videlicet in Babylone. Huc faciunt Sedeciae verba ad principes populi, hoc est, ad senatores mortem expetentes Jeremiae: et quod rex Antiochus atque Spartiatae literas dederint ad Judaeorum senatum eo tempore quo reges erant Assamonaei, de quibus non multo ante diximus. Ast numquid haec non arguunt in synedrio supremam auctoritatem? Cumque hujus caput et aecmalotarcha seu *Nasci* esset de tribu Juda, ut demonstravimus, sequitur ea praeditum fuisse facultate quam in oraculo suo requirit Propheta. Unum quod supra attigi nunc addo ex Fl. Josepho, qui lib. 14. Ant. cap. 4. refert Herodem cum Galilaeae praefectus esset, atque in cedis incidisset crimen, Sameas synedrii *Nasci* seu princeps advocata concione orationem habuit, qua Herodes ad causam coram Hircano rege dicendam licet invitus compulsus, ad mortem damnatus est, quam tamen arrepta fuga non subiit. Haec sane suadent synedrion, multoque magis illius aecmalotarcham summam habuisse in populo potestatem quam jacobaeum exigit vaticinium.

Prob. denique pars postrema, quod scilicet perseveraverit per aecmalotarcham in tribu Juda summum jus a Jacob praenuntiatum usque ad Christum. Sed pars haec patet ex dictis. Nam tempore captivitatis eaque absoluta Judaei aut reges non habuerunt aut non fuerunt de tribu Juda. Viguit e contra penes populum synedrion cujus caput de tribu erat Juda, illaque pollebat auctoritate quae a vaticinio exigitur; adeoque per synedrium servata in Juda potestas est. Quod autem usque ad tempora circiter Christi synedrion perduraverit, praeterquam quod aperte traditur ab omnibus Rabbinis, colligitur ex fide dignissimo historico Fl. Josepho qui laudato proxime lib. Ant. cap. 9. postquam narravit quid contra Herodem, auctore Samea, synedrium fecerit, ita historicam prosequitur narrationem: *Herodes regnum adeptus omnes qui tum fuerant in synedrio, atque adeo Hircanum ipsum interfecit, excepto Samea, ipsum enim propter ejus justitiam magno habebat in honore, quod postea obsessa urbe ab Herode et Sosia, populum monuisset ut Herodem admitteret dicendo ipsos eum propter peccata effugere non posse*. Verum quum Herodes synedrion penitus non extinxerit, refert enim ibid. Josephus quod singulis senatoribus interfectis alios e faece plebis in illorum substituit locum; dici absolute non potest tunc revera summum jus in tribu Juda cessasse. Id itaque evenisse videtur quando Archelao Herodis filio in exilium relegato Augustus Judaeam in provinciam redegit. Tunc quippe a Judaeis jus gladii proprie ademptum est, ut Judaei ipsi Johan. cap. 18. testati sunt: *Nobis non licet occidere quemquam*. Sive ergo paullo ante sive paullo post summa potestas a tribu Juda fuerit ablata, non enim omnes eruditi in assignando praeciso temporis puncto conveniunt, penes omnes certum est sub adventus Christi tempora accidisse; atque idcirco jacobaeum vaticinium in Christo Jesu est adimpletum.

Solvuntur adversariorum argumenta.

Obj. 1. adv. alteram thes. Lib. 1. Mach. cap. 5. v. 63. legitur: *Et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israël*. Hic sermo fit de Assamonaeis qui appellantur viri Juda: unde quoad paternum genus fuere Machabaei de tribu Juda, in qua tribu per illos conservatum est sceptrum; fuerunt quippe reges.

Resp. Judas laudato in argumento loco nomen est proprium Machabaei, non tribus Juda; legitur enim v. 61. *Non audierunt Judam et fratres ejus*. Et v. 65. *Et exivit Judas et fratres ejus*. Imo is ille versiculus in argumento citatus graece legitur: Καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *et vir Judas et fratres ejus*. Et revera Judas hic filius dicitur Mathathiae qui ex Joarib de tribu Levi prognatus erat. Hinc Baronius postquam haec animadvertit, sententiam de Machabaeorum e tribu Juda paterno genere retractavit.

Obj. 2. Viguit apud Hebraeos consuetudo ut duae nobilissimae tribus Levi et Juda matrimoniis crebro conjungerentur. Exodi quippe cap. 6. v.

23. habetur: *Accepit enim Aaron uxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Nahason*; porro Aminadab, cujus filius erat Nahason, filius fuit Juda, ut constat ex genealogia quam texit Matthaeus et Lucas. Et in 4. Reg. cap. 11. v. 1. narratur Jojadam summum Pontificem uxorem duxisse Josabeth filiam regis Joram e genere David. Verosimile itaque fit Machabaeos materno genere de tribu fuisse Juda.

Resp. Ex uno aut altero exemplo statui minime consuetudo potest quae satis sit ut dicamus Machabaeos materno genere ortos fuisse ex tribu Juda. Et etiamsi id verum esset, non proinde vaticinii evacuaretur sensus; quum maternum genus in capessendis haereditatibus nullo prorsus numero apud Judaeos computetur.

Obj. 3. adv. 3. prop. Eusebius, Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus affirmant sceptrum usque ad Christum in tribu Juda perseverasse, quoniam judaica gens nonnisi sub adventum Christi amisit imperium. Unde non de sola tribu Juda oraculum illud est intelligendum. II. accedit his quod horum sententia longe facilior est atque commodior ad jacobaeum vaticinium explicandum.

Resp. ad 1. Eusebius quidem existimavit quod argumentum contendit, non alii vero laudati Patres qui non alio plane sensu tradunt sceptrum defecisse cum tota judaica natio amisit imperium, nisi quia Judae tribus pars erat illius gentis. Si nempe populus amisit sceptrum, amisisse sequitur tribum Juda illius populi partem.

Ad 2. Non quae commodiora et faciliora, sed quae veriora sectari theologus debet, etiamsi aliquam praeferant difficultatem. Praeterea falsum est sententiam nostram esse difficiliorem; optime siquidem cum veritate historiae, ut vidimus, conciliatur.

Obj. 4. cont. postr. thes. Nec babylonicae captivitatis tempore nec ea soluta penes Judaeos veri nominis fuit suprema auctoritas; illam enim habuere precario a regibus Assyriorum, Persarum, Syriae, et Ægypti: quibus vel subditi undequaque fuerunt, vel solverunt vectigalia, ut ex libris Esdrae, Machabaeorum, ac Fl. Josephi apparet. Quare neque per synedrium vaticinii eventus potest explicari. II. praesertim cum isthaec sententia fabulam sapiat Rabbinorum.

Resp. ad 1. Si argumentum hoc consisteret, profecto demonstraret tempore captivitatis eaque soluta nullimode penes Judaeos remansisse sceptrum: adeoque adversus singulas theologorum sententias superius recensitas facit. Praeterea etiamsi Judaei tempore captivitatis Assyriis servirent, propriis tamen utebantur legibus quas pleno jure principes judaici populi seu aecmalotarchae una cum synedrio administrabant. Quod autem id ex regum esset babyloniorum indulgentia, probat quidem sceptrum fuisse imminutum, non vero penitus ablatum soluta captivitate; Judaei e regum assyriorum manibus tres tantum accepere principes, hique fuerunt Zorobabel, Esdras, ac Nehemias: reliquos deinceps sibi elegerunt pro jure, ut ex libris apparet Machabaeorum. Ceterum in patriam reversos veri nominis constituisse rempublicam non modo testatur Josephus lib. 11. Ant. cap. 4. sed etiam

S. Hieronymus lib. 1. in Isaiam cap. 1. dicens: *Post babylonicam captivitatem sub Zorobabele, et Esdra, et Nehemia Israël reversus est in Judaeam, et antiquum recepit statum*: quod repetit ad illa Isaiae verba, *Restituam judices tuos ut fuerunt prius*. Quod vero vectigalia quandoque externis regibus solverint, non demonstrat suprema illos caruisse auctoritate; quum et hisce nostris temporibus veri nominis respublicae et monarchiae sint quae tributa solvunt.

Ad 2. Nostram de synedrio sententiam Scripturarum praesertim niti auctoritate, superius jam demonstravimus. Non omnia autem quae a Rabbinis traduntur tamquam merae fabulae sunt habenda, faciliusque Judaei refelluntur si argumentis utamur ab eorum doctoribus mutuo acceptis.

CAPUT III.

An ex Deuteronomii cap. 18. demonstrari possit Messiam in lege promissum jam advenisse.

De Christo Domino Moysem fuisse vaticinatum Christus ipse diserte testatur Johan. cap. 5. v. 46. his verbis, *De me enim ille scripsit*: quae cum proferret, digitum non modo ad universam legem a Moyse traditam intendisse quatenus umbras atque futurorum figuras continebat, sed etiam ad Deut. cap. 18. plerique Patrum et interpretum affirmant: et quod magis est, Spiritus ipse sanctus tum per os Petri Actor. cap. 3. v. 22. *Moyses quidem dixit*: *Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus etc.* tum per os Stephani ibid. cap. 7. v. 37. *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël*: *Prophetam suscitabit vobis Deus etc.* Mirari propterea subit aliquos inter Christianos sacrae Scripturae interpretes inveniri qui ad haec non attendentes, prolatum vaticinium putaverint de omni propheta, prout ariolis atque pythonibus Chananaeorum opponitur. Quam expositionem Tostatus et Lyranus mutuati sunt a nonnullis Rabbinis. Dico a nonnullis, quoniam alii post Aben-Ezra arbitrantur prolatum vaticinium illud a Moyse de Josue, alii vero post R. Bechai de Jeremia. Ast nos cum veteribus Judaeis cunctisque Christianis demonstrabimus Moysem reapse praenuntiasse Messiam in lege promissum. Vaticinium autem ita se habet: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*; *ipsum audies*. Ita v. 15. laudati capitis, v. autem 18. *Prophetam suscitabit eis de medio fratrum suorum similem tui*. Nulla hac in re inter hebraicum textum nostramque Vulgatam lectionis occurrit discrepantia.

CONCLUSIO.

Ex oraculo Moysis Deut. cap. 18. evincitur Jesum Nazarenum esse Messiam in lege promissum.

Prob. Propheta quem Moyses similem sibi futurum praeconiavit, non

alius est quam Messias in lege promissus. Nam Judaei omnes tempore Christi, mosaici istius memores vaticinii prophetam magnum, ut ex Evangeliis patet, quotidie expectabant: qui profecto in eorum mente non erat nisi Messias in lege promissus. Nam Johan. cap. 1. v. 20. non solum interrogarunt Johannem Baptistam an *esset propheta*, an *esset Elias*, sed etiam an *esset Christus*, Christi nomine Messiam intelligentes. Et Lucae cap. 7. v. 16. videntes viduae adolescentem a mortuis excitatum exclamarunt: *Quia propheta magnus surrexit in nobis*. Certum itaque est prophetam a Moyse praenuntiatum esse Messiam. Ast propheta ille nullus alius certe fuit nisi Jesus Nazarenus: Judaei quippe Johan. cap. 6. v. 14. multiplicatis a Jesu panibus exclamarunt: *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*. Idipsum praeterea patet si Moysis vita cum vita Jesu per summa capita post Eusebium caesariensem lib. 3. Dem. Evang. conferatur. 1. Enim eadem fuit utriusque infantia, nam pauperrimis exceptus cunabulis Moyses, item et Jesus: illi mors intentata et huic, uterque extra patriam fugam arripuit. 2. Servat Moyses antequam missionem exerceat quadraginta dierum jejunium; idem praestitit Christus ante praedicationem suam: Moyses dux Hebraeorum; hominum omnium dux ac princeps Christus: ille missionem suam miraculis comprobat; similiter et Jesus: Moyses homines liberat a servitute Pharaonis; Christus a servitute daemonis in Pharaone praefigurati: Moyses mare rubrum exsiccat; Jesus imperat mari et ventis: per deserti impervia ducit Moyses Hebraeos salvos et incolumes; et Christus homines ducit ad vitam aeternam per mundi hujus angustias. 3. Dat Moyses hebraico populo legem a Deo acceptam; legem hominibus divinam promulgat et Christus: illius facies splendet in monte Sinai; gloriam suam manifestat Christus in monte Tabor: mittit Moyses duodecim in terram Chanaan exploratores; mittit Jesus duodecim Apostolos per universum orbem. 4. Moyses de se inquit Deut. cap. 5. v. 5. *Ego sequester, et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus*; de Jesu autem scribit Paulus in 1. ad Tim. cap. 2. v. 5. *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*. 5. Denique sicuti Moyses ceteris prophetis longe praestitit, ita Jesus Moysem ipsum longo intervallo superavit. Quare propheta Moysi similis nullus umquam alius fuit praeter Jesum Nazarenum. Hinc merito Patres et omnes fere interpretes testimoniis innixi Petri ac Stephani initio laudatis, oraculum hoc mosaicum de Messia, atque adeo de Jesu Nazareno absque ulla haesitatione intellexerunt.

Objectionum enodatio.

Obj. 1. Moyses per illa verba, *Prophetam de gente tua etc.* digitum intendit ad Josue qui Moysis loco populum ducere debebat in terram Chanaan. II. vel locutus fuit de Jeremia qui magnus in populo fuit propheta.

Resp. ad 1. Falsum est loqui voluisse Moysem in eo vaticinio de Josue; primo quoniam loquitur ipse de propheta suscitando, quum Josue

constitutus jam esset populi dux, ut ex Deut. cap. 3. patet. Deinde quoniam licet dum haec praenuntiaret Moyses, Josue electus jam esset in prophetam; nihilominus Deut. cap. 34. v. 10. dicitur: *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses*. Demum quoniam unus ex praecipuis characteribus Moysis erat quod fuerit legislator, quod certe non verificatur de Josue.

Ad 2. Multo minus aptari potest oraculum Jeremiae: qui nec legislator fuit nec populi liberator, imo sub oculis ejus ductus fuit populus in captivitatem: nec Jeremiae vita similis vitae Moysis fuit nisi in hoc dumtaxat, quod et ipse propheta Domini fuerit, quod tamen quum commune fuerit Isaiae, Danieli, Baruch, ceterisque vatibus, satis non est ad vaticinium evacuandum.

Obj. 2. Nomine prophetae allato in vaticinio intelligit Moyses verum prophetam Domini per oppositionem ad ariolos et praestigiatores. Scopus quippe illius est hortari Judaeos ne cum in terram Chanaan ingressi sint, pythones consulant et magos illius regionis, sed audiant prophetam quem Dominus in quavis suscitabit aetate in medio eorum. II. neque ad Christum referri potest oraculum, quum ipsum inter ac Moysem magna sit dissimilitudo. Nam Moyses purus homo, hic autem homo-Deus: ille legem a Deo accepit, hic legem suam hominibus tradidit: Moyses propheta futura in aenigmate praevidens, Christus omnia comprehendens in sinu Patris.

Resp. ad 1. interpretationem in argumento allatam non consistere. Nam loqui Moysem de singulari quodam propheta ex articulo qui in graeca Septuaginta versione occurrit, et Jesum Nazarenum primum esse prophetarum qui ab ariolis discriminatur, aperte patet: adeoque vaticinium respicit praecipue Christum.

Ad 2. Comparationes ac similitudines quae inter duo plurave instituuntur, non sic adamussim in omnibus et singulis quadrare debent, ut nulla prorsus inter illa quae comparantur, intercedere debeat discrepantia; alioquin ea quae comparantur, identica essent: et rursus nullus umquam in V. Testamento patriarcha extitisset aut propheta qui Christi gesserit figuram. Ad quae respiciens Apostolus, quae in veteri lege fiebant umbram appellat atque figuram futurorum. Nil ergo mirum si Moysem inter ac Christum aliquod interest discrimen. Christi certe fuit figura Moyses etiam in Dei visione: is enim Deum facie ad faciem vidit, eumque alloquebatur sicut amicus amicum, quo privilegio minime alii gavisi sunt prophetae. Et quemadmodum in hoc Moyses ceteros superavit prophetas, ita et Christus ipsum superavit Moysem omnia in sinu Patris comprehendens.

CAPUT IV.

An ex Danielis cap. 2. demonstretur Messiam in lege promissum jam advenisse.

Vaticinium quod Danielis cap. 2. occurrit ita se habet: *Tu rex vi-*

debas, et ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te, et intuitus ejus erat terribilis. Hujus statuae caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex aere. Tibiae autem ferreae, pedum quaedam pars erat ferrea, quaedam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum, et aurum, et redacta quasi in favillam aestivae areae, quae rapta sunt vento: nullusque locus inventus est eis: lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram. En somnium Nabuchodonosoris. Illud autem ita interpretatur Daniel. *Hoc est somnium: Interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. Tu rex regum es: et Deus caeli regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi: et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestiae agri ... Tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: et regnum tertium aliud aereum, quod imperabit universae terrae. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit et domat omnia: sic comminuet et conteret omnia haec*. Haec est somnii explicatio. Post quam e vestigio propheta subdit: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna haec: et ipsum stabit in aeternum*. Atque integrum Danielis vaticinium ita se habet. Quod licet non minus perspicuum sit ac vaticinium Moysis capite antecedenti recitatum, ob rerum nihilominus multiplicitatem in eo contentarum, opus est ut per partes explicetur.

I. *per caput aureum* intelligit propheta regnum Chaldaeorum cui tunc ipse imperabat Nabuchodonosor, ut ex illis verbis, *Tu es ergo caput aureum*, apparet. Regnum autem Chaldaeorum appellatur, *caput*, hoc est aliorum primum, ratione successionis, sicuti caput in animali membrorum omnium primum est. Dicitur vero aureum, idest pacatum, splendens, diuturnum, ad aliorum trium regnorum subsequentium differentiam, quae perturbationum fuere plena, dissipata, nec admodum in regio splendore diuturna.

II. *per pectus et brachia de argento* significat Daniel imperium Persarum quod dicitur minus chaldaico, non quoad potentiam et opes, quum constet illud ab hoc superatum fuisse: sed minus tempore, hoc est a chaldaico secundum. Aut dictum est minus, quia non ita ut chaldaicum seu babylonicum diuturnum fuit. Vel quod minus habuerit splendoris ac pacis; quum teste Orosio lib. 3. cap. 7. ab externis diu vexatum fuerit bellis, et ignominiose denique concisum.

III. *et regnum tertium aliud aereum, quod imperabit universae terrae*. His verbis describit Daniel Graecorum seu Macedonum imperium, quod aereum vocatur; vel quia Graecorum nomen ob eloquentiam ad aeris instar per universum resonavit orbem, ut arbitratur Hieronymus; vel, quod verosimilius est, non ad metalli proprietatem, sed ad ordinem temporis

attendens, voluit ea comparatione insinuare imperium Graecorum fuisse post persicum; quomodo argento vilius est aes, et venter pectori subjicitur. Dictum est autem, *imperabit universae terrae*, quo se accommodaret propheta, quod in Scripturis infrequenter non fit, hominum opinioni. Et revera M. Alexander imperii illius fundator, universae terrae dominus appellatur a Plinio lib. 4. cap. 10. a Justino lib. 12. et a Q. Curtio lib. 10. proindeque futurae hominum opinioni se Daniel accommodans, Graecorum imperium appellat universae terrae imperium, quomodo lib 1. Mach. auctor cap. 1. de Alexandro inquit: *Siluit terra in conspectu ejus*.

IV. *et regnum quartum erit velut ferrum*. Per haec putant aliqui Seleucidarum ac Lagidarum portendi regna. Sed frustra. Nam 1. regnum a Daniele praedictum erat unum. Illa autem Seleucidarum ac Lagidarum, duo revera fuerunt. 2. Regnum, de quo Daniel, differt ab aliis tribus enumeratis. Regnum vero Seleucidarum et Lagidarum ex parte fuerunt ipsum regnum Alexandri. 3. Regnum illud quartum comminuere atque conterere debebat tria alia regna, veluti ferrum quod omnia domat et comminuit. Ast Seleucidarum Lagidarumque regna quamvis sese magnis appetierint bellis, nihilominus non se comminuere armis. Melius ergo arbitrantur alii, praedicere nimirum Danielem imperium Romanorum quod, sicut ferrum omnia domat atque comminuit, ita Macedonum aliorumque potentiam imperium illud confregit. Deinde nonnisi Romanorum imperio verba vaticinii aptari possunt, *Porro quia vidisti pedum et digitorum partem testae figuli, et partem ferream: regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mixtum testae ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum*. Quae praelia Caesaris et Pompeii, Augusti et Antonii exprimunt, per quae romana divisa est respublica; quamvis ex parte regnum solidum remanserit quum caesariana pars praevaluerit. Similiter verbis illis, *Quod autem vidisti ferrum mixtum testae ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhaerebunt sibi*, inter Caesarem et Pompejum, Augustum et Antonium affinitates per connubia contractae significantur: quae tamen illorum animos componere minime valebant.

V. *in diebus autem regnorum illorum etc. suscitabit Deus caeli regnum* etc. En regnum Christi. Nam de solo Christi regno dici potest, *in aeternum non dissipabitur*, quum nec portae inferi possint adversus illud praevalere. Et quamvis principum tyrannis, ferro, cede, omnique immanitatis genere in Ecclesiam debacchetur, aut haereticorum calliditas et pervicacia furat, regnum Christi *alteri populo non tradetur*. Gemina his quae de Christi regno vaticinatus est Daniel, David quoque praedixerat ac Isaias. Ille Psal. 2. v. 8. *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam: et possessionem tuam terminos terrae. Reges eos in virga ferrea: et tamquam vas figuli confringes eos*. Hic autem cap. 60. v. 12. *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit: et gentes solitudine vastabuntur*. Dubitari ergo non potest quin haec de Christi pro-

lata sint regno. Grotius nihilominus Adnot. in hunc locum existimat nomine quarti regni intellexisse prophetam regna Syriae et Ægypti; proindeque per quintum, Romanorum imperium, prout Ecclesiae sedes futurum erat, intellexisse. Verum decipitur vir ille doctus. Vel enim per quintum regnum solam Ecclesiam, vel Ecclesiam cum romano imperio intelligebat. Si primum, incredibile videtur nobilissimum prae ceteris imperium praeterire prophetam silentio voluisse. Si alterum, quomodo salvatur illud, *Regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur*? Oculis ipsis cernimus romani imperii nomen vix superesse. Praeterea propheta inquit: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum*. Regna autem Ægypti et Syriae sive a Judaeis per Machabaeos, sive a Romanis jamdiu contrita fuerunt, quando Christus Ecclesiae regnum fundavit. Decipitur itaque Grotius. Cetera quae in prophetia occurrunt facillima sunt, clarioraque fient ex iis quae in argumentorum exponemus explicatione.

CONCLUSIO

Ex Danielis vaticinio cap. 2. invicte demonstratur Messiam advenisse.

Prob. Praedicit Daniel intra quatuor regnorum, Chaldaeorum scilicet, Persarum, Graecorum, ac Romanorum tempora, Deum caeli quintum suscitaturum regnum, nempe regnum Messiae in lege promissi; ut ex iis quae in vaticinii diximus expositione luculentissime patet. Quatuor illa regna jamdiu praeteriere, ut omnes norunt. Adeoque regnum Messiae jam advenit. Et revera per primum regnum imperium significari Chaldaeorum declarant verba illa, *Tu es ergo caput aureum*. Secundum succedere debebat primo, ac excipi a tertio, atque hoc destrui a quarto. Nonne imperium Persarum imperio successit Chaldaeorum, huic illud Graecorum, atque istud ab imperio fuit Romanorum eversum? Docet historia. Quod vero quintum imperium sit regnum Messiae, res magis per se manifesta est quam valeat demonstrari. Dicitur quippe regnum quod erat a Deo caeli suscitandum, et quidem imperii romani temporibus; regnum aeternum alteri populo non tradendum, quod comminuere et conterere debebat universa alia regna, totamque replere terram: quae nonnisi de Messia possunt intelligi.

Aliquot difficultatum enodatio.

Obj. 1. Adhuc Romanorum imperium perseverat cujus occidentalem partem Franciscus II. retento etiamnum Imperatoris Romanorum nomine sibi vindicat; partem vero orientalem occupat Imperator Turcarum qui Constantinopoli sedet: quare non adhuc quintum regnum apparuit. II. regnum quintum, comminuto jam atque contrito quarto, debebat apparere. Quando vero apparuit juxta Christianos Christus, regnum quartum seu Romanorum comminutum non erat; imo potentia ac majestate florens in

eo statu diu perseveravit. Sicut itaque quando regnum secundum apparuit, deletum est primum; ex secundi ruinis excitatum est tertium, seu Graecorum; hoc everso imperium floruit romanum: ita et Christi regnum imperium in sui apparitione delere debebat romanum; quod plane non accidit. III. regnum quintum de quo loquitur Daniel, singula quatuor confringere debebat praecedentia regna. Hoc vero minime quando apparuit Christus factum est. Nam tunc regnum Chaldaeorum eversum jam fuerat a Persis, persicum a Graecis, hoc autem a Romanis. IV. imperium romanum nullibi a Christo legitur fuisse desolatum. Nam ad eos subjugandos non habemus Christum arma tractasse, quomodo Romani fecere cum Graecis, Graeci cum Persis, hi cum Chaldaeis. V. ajunt Christiani regnum quintum esse spirituale. Sed hoc etiam admisso, non adhuc verificatur illud esse regnum Christi. Nam hic minime regnat per fidem in quatuor singulis illis imperiis.

Resp. ad 1. Romanorum imperium perseverat adhuc non quoad rem, sed quoad locum et nomen: quod minime sufficit ut imperium illud existat de quo loquitur Daniel. Nam si ad veri nominis constituendum imperium locus ac nomen sufficerent, perseverarent adhuc Chaldaeorum, Persarum, Graecorumque regna, quum horum retineat nomina regnorum etiam nunc Turcarum tyrannus. Quo ergo imperium aliquod persistere dicatur, necesse est ut eamdem regiminis formam easdemque leges cum pari retineat dominii amplitudine. Cumque recensitae conditiones neque in Romanorum neque in Turcarum reperiantur imperatore, hinc imperium quartum de quo vaticinatus est Daniel, evanuit.

Ad 2. Discrimen est latissimum inter quatuor regna praecedentia ac subsequens quintum: illudque ex ipso textu deprehenditur qui de aliis quatuor regnis loquens ait: *Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: et regnum tertium aliud aereum, quod imperabit universae terrae. Et regnum quartum ... comminuet, et conteret omnia haec*. Loquens autem de quinto regno ait: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum quod in aeternum non dissipabitur*. Nec aliter esse debuit; quum quintum regnum esse debuerit spirituale, atque a Deo caeli suscitandum. Porro spirituale regnum, non vi et armis, sed verbo virtutis suae excitari debuit a Deo qui omnia suaviter sapienterque disponens, quatuor alia regna conterere ac comminuere paulatim debebat.

Ad 3. Regnum quintum non proxime et immediate, sed mediate destruere alia quatuor debuit imperia: quoniam Deus caeli a quo suscitandum erat ita omnia disposuit, ut Persae Chaldaeos, Graeci Persas, Romani Graecos superarent. Atque ita Messias Romanorum imperium quod cetera regna confregit, omnipotenti virtute sua conterens, jure regnorum omnium dici potest debellator. Nam tunc censetur regnum eversum, quando regiminis forma mutatur, et antiquis abolitis juribus nova illi traditur lex observanda. Hoc adveniente Christo accidit. Evangelica videlicet lex per Christi ipsius Apostolos atque discipulos tradita est Romanis, Graecis, Persis, Chaldaeis, diversamque habuere deinceps spiritualem regiminis formam.

Ad 4. Non vi et armis temporalibus, sed spiritualibus a quinto quartum regnum evertendum fuisse praenunciat Daniel, juxta illud Pauli in Ep. 2. ad Cor. cap. 10. v. 4. *Arma militiae nostrae, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes. Et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Illudque inter quintum aliaque quatuor regna discrimen ex ipsis vaticinii verbis luculenter colligitur: de quinto enim regno enunciatur suscitandum esse a Deo caeli, atque in aeternum duraturum: quae phrases sermonem fieri indicant non de temporali, sed de spirituali imperio.

Ad 5. Christi Domini imperium in ipso suo adventu fundari coepit, tum per Apostolos in quatuor mundi partibus paulatim est propagatum, juxta oraculum Psalmistae: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Perseverabit fides in omnibus, hoc est, Ecclesia usque ad saeculi consummationem, adversus quam nec portae inferi praevalebunt. Circa mundi exitum unum ex universo orbe fiet ovile, unusque grex, et completo perfectissime regno, tradet illud Christus Patri suo, et regnabit in aeternum. Legatur Apostolus in 1. ad Cor. cap. 15. ipseque Daniel cap. 7. Nihil est ergo quod vim impetere vaticinii possit.

CAPUT V.

An ex alio Danielis vaticinio quod habetur cap. 9. demonstretur Messiae adventus.

Vaticinium juxta nostram Vulgatam ita se habet: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio.* Ita latinus interpres. Hebraice autem paullo aliter legitur hoc modo: *Hebdomadae septuaginta decisae super populum tuum, et super civitatem sanctitatis tuae ad consumendum praevaricationem, et ad sigillandum peccata, et ad expiandum iniquitatem, et ad adducendum justitiam saeculorum, et ad sigillandum visionem, et prophetiam, et ad ungendum Sanctitatem sanctitatum: Et scies, et intelliges*

ab exitu sermonis ad reverti faciendum, et ad aedificandum Jerusalem, usque ad unctum ducem, hebdomadae septem, et hebdomadae sexaginta duae: redibit, et aedificabitur platea, et fossa, et in coarctatione temporum. Et post hebdomadas sexaginta, et duas excidetur unctus, et non ei. Et civitatem, et sanctitatem corrumpet populus ducis venturi, et finis ejus in inundatione, et usque ad finem belli decisae desolationes, et roborabit pactum multis hebdomada una: et dimidio hebdomadae cessare faciet sacrificium, et munus, et erit in templo decisa desolatio. Hactenus prophetia.

Videndum modo est an ex hoc vaticinio demonstrari valide possit Messiam in lege promissum jam advenisse. Quod facile certe praestabimus, si demonstrare poterimus vaticinium illud fuisse a Daniele de Messia prolatum. Judaei namque vim illius sentientes arbitrantur a Daniele praenuntiari vel Cyri, vel Agrippae, vel Antiochi, vel Nehemiae adventum, vel destructionem templi ac sacerdotii, vel alia consimilia. Sed ut accurata methodo procedamus, inquirendum primitus est quid hebdomades illae sint de quibus loquitur Daniel, quum aliqui non defuerint qui hebdomades illas, vel dierum, vel decenniorum, vel jubilaeorum, vel saeculorum existimaverint. Sit igitur

CONCLUSIO I.

Hebdomades de quibus Daniel cap. 9. loquitur, sunt hebdomades annorum.

Prob. 1. Non est penitus inusitatum in V. Testamenti Scripturis mentionem fieri hebdomadis annorum: Lev. enim cap. 25. v. 8. legitur: *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, idest, septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem*. Quae supputandi consuetudo crebro invenitur etiam apud scriptores exoticos sive graecos sive latinos, ut videre est in lib. 7. Politic. ubi Aristoteles hominis aetates per hebdomades dividit: et apud Aulum Gellium ex Varrone lib. 3. Noct. Attic. cap. 10. Quum autem Daniel hebdomadas commemoret absque ullo addito, videndum est, an de hebdomadis annorum, an dierum vel mensium etc. explicandus a nobis sit. Jamvero hebdomades illae Danielis non sunt dierum, non mensium, non decenniorum, non jubilaeorum, non saeculorum. Nam praedicit Daniel post septuaginta hebdomades excisum iri templum et civitatem, et in medio septuagesimae hebdomadis tollenda sacrificia. Quae certe facta non sunt post septuaginta dierum vel mensium hebdomades, a quovis termino illas supputare incipias. Nam hebdomades septuaginta dierum vel mensium nonnisi summam constituunt 490. dierum vel mensium. Hoc ipsum de hebdomadibus decenniorum, jubilaeorum, et saeculorum dicendum est: videlicet destructio templi ac civitatis, sacrificiorum abolitio, atque captivitas judaici populi jamdiu acciderunt; nec hebdomades decenniorum, jubilaeorum, saeculorumque adhuc elapsae sunt.

Prob. 2. ex omnium confessione Hebraeorum qui hebdomades illas pro septimanis accipiunt annorum. Hinc Aben-Ezra fidentissime scribit: *Hebdomades hic intelliguntur de annis, ac si dixisset Angelus: Septuaginta sabbatici sunt decisi*. Idem legere est apud Thalmudistas.

CONCLUSIO II.

Laudatum mox vaticinium intelligendum est de Messia in lege promisso.

Prob. Characteres a Daniele in vaticinio descripti, soli Messiae in lege promisso conveniunt: quod ex eorumdem enumeratione characterum apparet. Et 1. quidem ille qui in eo vaticinio praeconiatur, appellatur apertissime *dux* seu *princeps*, *Ab exitu sermonis usque ad Christum ducem*: quo nomine vocatur Messias Isaiae cap. 55. v. 4. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, et praeceptorem gentibus*. II. dicitur sanctus per excellentiam, *Ut ungatur Sanctus sanctorum*; vel ut hebraice legitur, *Sanctitas sanctitatum*; solent enim Hebraei substantivum ponere pro adjectivo. Hoc eodem nomine Messiam appellat Isaias cap. 12. v. 6. *Exulta, et lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel*. III. ille de quo vaticinatus est Daniel, venturus erat ad consumendam praevaricationem, delendam iniquitatem, expiandum peccatum, *Ut consumetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas*. Ast hoc de Messia praedicit quoque Isaias cap. 61. v. 1. *Spiritus Domini super me ... ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam*. IV. praenuntiatus a Daniele esse debebat justissimus, et allaturus nobis justitiam, *Ut adducatur justitia sempiterna*: quod idem de Messia prophetavit Isaias cap. 45. v. 8. *Rorate caeli desuper, et nubes pluant justum*. Et Jeremias cap. 23. v. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*: et regius Psaltes Psal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis*. V. pactum seu novum foedus executurus erat ille de quo loquitur Daniel, *Confirmabit autem pactum*: et juxta Jeremiam cap. 31. v. 31. pactum firmaturus erat quoque Messias, *Ecce dies venient, dicit Dominus: et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum*. VI. Christus de quo Daniel, occidendus erat, *Occidetur Christus*: et de Messia prophetaverat Isaias cap. 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur*. VII. ait Daniel hebdomades illas esse abbreviandas, *ut impleatur visio, et prophetia*: at hoc in adventu Messiae futurum praedixerant omnes prophetae. VIII. abolenda esse sacrificia judaica promittit Daniel, *In dimidio hebdomadae deficiet hostia, et sacrificium*; sive ut hebraice legitur, *Cessare faciet sacrificium, et munus*: idipsum in adventu Messiae futurum spondet quoque Malachias cap. 1. v. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra*. IX. concludit Daniel ob Christi necem futurum ut desoletur civitas et templum, *Et civitatem, et sanctuarium*

dissipabit populus cum duce venturo. Ast nonne hoc praenuntiaverat post Messiae adventum futurum Zacharias cap. 14. v. 2. *Et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in praelium, et capietur civitas, et vastabuntur domus?* Vaticinium itaque Danielis intelligi revera debet de Messia in lege promisso.

CONCLUSIO III.

Ex hactenus memorato vaticinio invictissime demonstratur Messiam in lege promissum jam adventasse.

Prob. Vaticinium Danielis praedicit Messiae in lege promissi adventum, ut superiori propositione demonstravimus. Vaticinium autem Danielis jam est adimpletum. Nam juxta memoratum oraculum Messias venturus erat 1. intra hebdomades septuaginta, *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*. 2. Ante instauratae urbis et templi desolationem, *Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*. 3. Ante abrogationem sacrificiorum et hostiae, *Deficiet hostia, et sacrificium*. 4. Et desolatio quae post occisi Christi mortem eveniet, perdurabit usque ad mundi finem, *Et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem statuta desolatio*. Haec omnia vero adimpleta sunt et adamussim evenerunt. Et I. quum septuaginta annorum hebdomades summam conficiant annorum 490. undecumque illas supputare incipias, dummodo ab edicto de urbe reaedificanda lato supputentur ut fert vaticinium, jamdiu elapsae sunt. II. urbem ac templum jam a pluribus desolata fuisse saeculis, sub Tito videlicet ac Vespasiano juxta quod praedixerat Christus Matth. cap. 24. nemo non videt; atque idcirco Messias qui apparere ante illud excidium debebat, jam apparuit. III. sacrificia quoque mosaicae legis jamdudum sunt abrogata: hierosolymitanum siquidem templum in quo solo offerri poterant sacrificia, sub Tito et Vespasiano, ut diximus, fuit eversum. IV. nisi haec sit urbis ac templi desolatio usque ad saeculi consummationem perseveratura, nulla certe erit. *Nam tam diuturnum tempus*, ut verbis utar Chrysostomi Orat. 3. cont. Jud. *jam elapsum* (praeterierunt enim mille et octingenti fere anni,) *nullum Judaeis vestigium vel initium felicis mutationis ad hunc usque diem ostentat, cum tamen instaurare templum saepius tentaverint. Hoc enim semel, bis, et tertio aggressi sub Adriano, et Constantino, et Juliano, repressi sunt; tunc quidem a militibus, postremo tandem ab igne e fundamentis erumpente et intempestive eorum conatus reprimente.*

Solvuntur objectiones adversariorum.

Obj. 1. cont. 2. thes. Daniel duos praedicit futuros Messias quorum prior est Cyrus, alter Agrippa in postrema Hierosolymorum obsidione in-

teremptus. Nam dispescit hebdomades in septem et sexaginta duas. Quapropter prioribus septem elapsis, prior venire debebat Messias; isque fuit Cyrus de quo Isaias cap. 45. v. 1. *Haec dicit Dominus christo meo Cyro*. Post hebdomades autem sexaginta duas a Cyro supputandas, alter apparere debebat Messias; atque hic fuit Agrippa, christus a Daniele appellatus, quoniam rex, atque adeo unctus. 2. Quod si expositio haec non arrideat, dicamus priorem Messiam esse vel Zorobabelem, vel Josue filium Josedek sacerdotem magnum una cum Zorobabele reducem in patriam; posteriorem vero esse vel sacerdotium a judaica religione auferendum, vel templum a Romanis devastandum, maxime cum ubi nos legimus, *occidetur Christus*, Septuaginta interpretes habeant, *peribit unctio*; hoc est, sacerdotium ac templum, ut nonnulli Patres exponunt. 3. Vel priores septem hebdomades supputemus ab anno primo Darii Medi, quo Daniel hoc fudit vaticinium, et tunc veniemus ad Nehemiam qui sub Artaxerse Longimano rediit in patriam; isque primus erit Messias. Ab anno autem primo Darii Medi usque ad judaicae gentis desolationem per Romanos, hebdomades interfluxere septuaginta: atque ita alter Messias erit regia Judaeorum dignitas per Romanos penitus extincta.

Resp. falsam esse vaticinii interpretationem in argumento relatam. Nam Judaei qui duos praenuntiari a Daniele Messias arbitrantur, supputandas censent priores septem hebdomades a Nabuchodonosore qui Hierosolymam evertit. Verum animadvertere debebant ab incendio Hierosolymorum usque ad magnum Cyrum annos interfluxisse septuaginta quibus babylonica captivitas perduravit: septem autem hebdomades summam constituunt annorum 49. 2. Quum adversarii Danielis hebdomades ab eversa per Babylonicos civitate supputare incipiant, illarumque finem statuant in Agrippa, jam ab eversa urbe ad Agrippam, seu a priori ad ultimam desolationem, interfluere dumtaxat debuissent anni 490. Interfluxerunt autem anni circiter 657. 3. Hebdomadarum repetere initium a templi et urbis desolatione sub Nabuchodonosore, est vaticinium interpretari contra mentem Prophetae: qui ait, *Ab exitu sermonis*, non ut destruatur, sed, *ut iterum aedificetur Jerusalem*. 4. Messias de quo loquitur Daniel, dux est et princeps Judaeorum ab iis exoptatus; est sanctitas sanctitatum; auctor sempiternae justitiae per quam abolenda erat iniquitas, et finem accipere peccatum. Numquid magnifici hi characteres aptari Cyro et Agrippae possunt? 5. Male adversarii in Danielis oraculo duos distinguunt Messias: unus quippe idemque est ille qui in vaticinio repetitur. 6. Agrippa non Judaeorum, sed Chalcidis, aliarumque extra Judaeam regionum dux fuit ac princeps: falsumque est in excidio periisse hierosolymitano sub Tito; quum Fl. Josephus post illud excidium opera sua Agrippae nuncupaverit, atque Vespasiani fuerit amicus.

Ad 2. Adversus hoc argumentum rationes militant omnes quas in superiori responsione attulimus. Quibus addi potest neminem post primum dirutum salomonicum templum, christum seu unctum dici posse. Nam quinque res templo secundo, ut Raimundus Martini, Galatinus, et Hue-

tius observant, defuerunt quae erant in primo, inter quas oleum recensetur unctionis, et Spiritus sanctus: sine quibus nemo sive in regem sive in sacerdotem legitime ungi poterat et appellari christus. Praeterea ubi graeca versio habet, *peribit unctio*, in hebraico textu verbum occurrit, *jchared*, quod proprie supplicium mortis significat, ut patet ex Lev. cap. 17. v. 4. ubi idem legitur verbum. Quis autem dixerit sacerdotium ac templum ad mortis damnari supplicium? Insuper ubinam in sacris Scripturis templum et sacerdotium appellantur *Messias*, נגיד, *Naghidh*, *Christus dux* seu *princeps*, ut a Daniele appellatur ille de quo vaticinatur? Ac denique in sacerdotii abolitione ac eversione templi apparet non iniquitatis et peccati finis, sed potius supplicium et poena. In graeca autem versione legitur, *peribit unctio*, pro, *peribit unctus*, hebraica phrasi quae substantiva pro adjectivis usurpat, ad quam phrasim Eusebius ac Theodoretus non attendentes in errorem prolapsi sunt, vaticinium interpretantes pro sacerdotii cessatione ac desolatione templi. Nostrae latinae Vulgatae Aquila et Symmacus assentiuntur, quorum alter transtulit, *excidetur Christus*; alter, *peribit Unctus*.

Ad 3. Iisdem ac superiora argumentum hoc laborat incommodis; unde consulantur allatae jam solutiones. Unum animadverto, quod recentiores Hebraei legentes in sacris literis regum persarum nomina, Cyrum, Assuerum, Darium, et Artaxersem, existimarunt non alios habuisse Persas reges; atque idcirco in eorum chronotaxi duos omisere Xerses, et Arsen, et Ochum, et alterum Artaxersem, aliumque Darium. Animadvertere sane debebant sacros auctores eos tantum commemorare reges qui ad rem faciunt, praetermissis aliis quos extitisse omnes exotici scriptores testatum reliquerunt. Ab anno itaque primo Darii Medi usque ad hierosolymitanum excidium, juxta veram et accuratam chronologiam, non 490. sed 600. et amplius interfluxerunt anni; atque adeo nequit alter Messias esse regia Judaeorum dignitas extincta. Similiter ab anno primo Darii Medi ad reditum usque Nehemiae, sive 20. sive 7. Artaxersis anno acciderit, longe plures anni decurrerunt quam 49. Atque ita nec ipsa chronotaxis illi Rabbinorum favet commento, quod primus Messias dici possit Nehemias. Sed annorum missa supputatione, quomodo characteres a Daniele in vaticinio expressi, Nehemiae ac extinctae regiae dignitati convenire possunt? Silentio praetereo quod regia dignitas, juxta Hebraeorum intelligentiam, in hierosolymitana clade sub Tito minime extincta fuit, quum excidio superstes fuerit Agrippa.

Obj. 2. cum Marshamo adv. 2. et 3. prop. Quum Daniel septem hebdomades a sexaginta duabus distinguat, praedixisse videtur duos futuros Messias: quorum unus septem exactis hebdomadibus, alter vero post sexaginta duas adveniret. Videndum, inquit, nunc est quinam sit terminus septem hebdomadum. Prophetavit Daniel anno primo Darii Medi, qui incidit in vigesimum primum captivitatis. Si annis viginti et uno captivitatis annos addas 49. septem hebdomadum ad septuagesimum pervenies ejusdem captivitatis, adeoque ad Cyrum qui prior a Daniele praedictus Mes-

sias erit. Praeterea sexaginta duae hebdomades supputandae sunt a templo incenso a Chaldaeis, hoc est ab anno primo captivitatis: a quo si annos supputes 434. quam summam sexaginta duae conficiunt hebdomades, pervenies ad annum primum Antiochi Epiphanis; initium enim captivitatis accidit anno M. 3397. quibus si addas annos 434. ad annum M. 3831. pervenies, quo regnare coepit Antiochus; isque alter erit Messias qui in subsequenti hebdomada, hoc est septuagesima, sacerdotium delevit ac cessare fecit sacrificia. Sequitur deinceps media hebdomada in qua per Judam Machabaeum repurgatum est templum, quae repurgatio tribus annis accidit post profanationem. Atque ita omnia Cyro et Antiocho adamussim conveniunt.

Resp. Haec omnia utpote mutuo ab Hebraeis accepta jam a nobis paullo supra contrita sunt. Peculiarem nihilominus addemus solutionem. Et principio quidem etiamsi chronologia a Marshamo adoptata accuratissima foret, qua ratione characteres quos exprimit in suo vaticinio Daniel, aut Cyro aut Antiocho possunt aptari? Numquid sanctitas sanctitatum dici poterit scelestissimus Antiochus? Quam ipse adduxit sempiternam justitiam? Quomodo sub ipso iniquitas deleta est et finem accepit peccatum? Eversa ne suo tempore fuit civitas, et templum solo aequatum? Praeterea nullo prorsus fundamento innixus dispescit Marshamus hebdomadas septem a sexaginta duabus, et immerito septuaginta elapsis hebdomadibus aliam mediam addit hebdomadem in qua Judas templum repurgavit. Ad libitum etiam affirmat duplicem praenuntiare prophetam Messiam. Rursus, inquit Daniel *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*, hebdomades esse supputandas. Cur ergo sexaginta duas hebdomades numerare ille incipit ab anno Nabuchodonosoris septimo in quo Jerusalem eversa est? Falsissima denique est a Marshamo adscita chronotaxis, ut ex sequenti capite fiet manifestum. Pudeat ergo christianum virum tam rude cum recentioribus hebraeis delirare.

Obj. 3. cum Harduino. Etsi Danielis oraculum ad Christum revera pertineat, nihilo tamen minus literaliter adimpletum est in Onia summo sacerdote sub Antiocho interempto, utpote qui typus fuerit Christi. Et revera, inquit, praecinuit Daniel 1. post occisionem Christi dispergendum esse populum. Atque hoc ipsum accidit post occisionem Oniae, et Antiochus capta Jerusalem templum profanavit. 2. Christum confirmaturum pactum: quod accidit Oniae tempore quando Mathathias clamavit: *Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me*. 3. supputandas esse hebdomadas *ab exitu sermonis*. Ast septem hebdomades numerentur ab anno quarto Joachim in quo Jeremias finem praenuntiavit babylonicae captivitatis, consignandus illarum exitus erit ad annum quo Cyrus eamdem captivitatem relaxavit. Et rursus si hebdomades reliquae supputentur ab eodem anno quarto Joachim, descendemus ad tempora Antiochi Epiphanis sub quo interfectus est Onias.

Resp. ejusdem ac superiora farinae esse Harduini argumentum. Et I. Harduinus sibi aperte contradicit. Ait siquidem praenuntiari hoc vaticinio

verum Messiam, de illo loquutum fuisse Angelum: et simul affirmat completum literaliter fuisse in Onia tamquam in Christi figura. II. juxta Harduinum non unicum, sed duplicem praedixit Daniel Messiam, Cyrum videlicet, atque Oniam: quod Prophetae verbis repugnat. III. dispescit et ipse cum recentioribus Hebraeis et Marshamo, Danielis hebdomades in duas partes: quod fieri non posse jam demonstravimus. IV. supputare incipit hebdomades septem ab anno quarto Joachim, et rursus ab eodem anno iterum numerat reliquas: quod nullo innititur fundamento. V. Onias non fuit sanctus sanctorum, neque justitiam adduxit sempiternam, nec finem dedit peccato. Post Oniae necem judaica gens illico fuit adunata, non in sempiternum dispersa, una cum urbe et templo exterminata, ut vaticinatus est Daniel. Confer cum Oniae morte reliquos oraculi characteres. VI. praenuntiat Daniel Christi adventum post hebdomades septuaginta ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, supputandas. Verum edictum de urbe reaedificanda quomodo praedictio dici potest Jeremiae anno quarto Joachim facta? VII. admisso etiam Harduini systemate, non proinde septem priores hebdomades desinerent in Cyro, et in fine captivitatis. Nam juxta accuratiores chronologos annus quartus Joachim primus est captivitatis, quae quum protracta sit ad septuagesimum annum, a prophetia Jeremiae ad annum primum Cyri anni interfluxere non 49. sed 70. Merito ergo ipse Harduinus hanc suppressit expositionem utpote catholico viro indignam.

CAPUT VI.

De initio et fine septuaginta hebdomadum Danielis.

Tam magna est veterum recentiorumque dissensio in initio ac fine assignando septuaginta hebdomadum Danielis, ut diversas supputandi rationes ab omnibus scriptoribus adhibitas velle recensere idem sit ac in infinitum orationem protrahere. Ego brevitati consulens, sex dumtaxat easque praecipuas referam, praesertim cum reliquae a theologis numerari solitae jam exoleverint.

I. est Tertulliani veterumque Hebraeorum apud Hieronymum in cap. 6. Danielis, quos secuti postea sunt Aben-Ezra, Rigaltius Marshamus, nonnullique alii initium hebdomadum Danielis statuentes in anno 1. Darii Medi, quando scilicet Angelus allocutus est Prophetam.

II. est Calvini, Beroaldi, Ligforti, nonnullorumque Hebraeorum qui ab eo anno supputationem incipiunt quo babylonica soluta est captivitas, ab anno scilicet 1. Cyri.

III. quam aliquando tradidit Eusebius caesariensis, adscivitque subinde Cornelius Jansenius, supputare incipit hebdomades ab anno 2. Darii Hystaspidis, quando facultas Judaeis iterum facta est reaedificandi templum.

IV. quam post Severum Sulpitium Scaliger, Drusius, l' Empereur, et Calvisius tuentur, tenet Darium qui Cyri renovavit edictum, esse Darium Nothum, et Artaxersem qui Esdram ac Nehemiam remisit in patriam, esse

Artaxersem Mnemonem seu Memoriosum; proindeque hebdomades Danielis supputandas esse ab anno 2. Darii Nothi, quo renovatum supponunt Cyri diploma de templo reaedificando.

V. est fere communis, et post Julium africanum traditur a Torniello, Pererio, Petavio, aliisque recentioribus, eaque fert ut hebdomades Danielis initium ducant ab anno 20. Artaxersis Longimani, quo putant emanatum fuisse decretum de templi reaedificatione.

VI. denique sententia est Jacobi ac Ludovici Cappelli, Turretini, Bulingeri, Helvii, aliorumque autumantium supputandas esse hebdomades ab anno 7. Artaxersis ejusdem Longimani. Videndum modo quaenam ex his opinionibus sit probabilior.

Sed in antecessum nonnulla animadversione digna praemittenda esse reor. Et 1. reges Persarum numerantur undecim, quorum I. fuit Cyrus monarchiae Persarum fundator. II. Cambyses Cyri natu major filius, Assuerus in sacris literis nuncupatus. III. Darius filius Hystaspis. IV. Xerses Cyri nepos ex Atopa illius filia genitus. V. Artaxerses Longimanus. VI. Xerses secundus Artaxersis Longimani filius. VII. Darius Nothus ejusdem Artaxersis Longimani frater qui antea Ochus vocabatur. VIII. Artaxerses secundus Darii Nothi major filius, ob memoriae felicitatem, *Mnemon* seu *Memoriosus* nominatus. IX. Ochus Artaxersis Mnemonis filius. X. Arsen. XI. Darius Codomanus, in quo victo per Alexandrum M. Persarum desiit imperium. Hic animadverto praetermisisse me Oropastem magnum, qui sub ementito nomine Smerdis Magi post Cambysem regnavit, quique a libri primi Esdrae auctore cap. 4. v. 7. Artaxerses appellatur: quoniam septem illi menses quibus regnavit, solent in Cambysis imperio concludi.

2. Quum in Danielis vaticinio dicatur, *ab exitu sermonis* etc. manifestum est exordiendas hebdomades illas esse ab aliquo edicto lato, *ut iterum aedificetur Jerusalem*. Quatuor autem ejusmodi edicta a regibus Persarum lata fuisse colligitur ex Scripturis. Primum a Cyro anno primo regni sui, lib. 1. Exdr. cap. 1. v. 1. Alterum a Dario anno secundo, ibid. cap. 4. v. 5. et cap. 6. v. 1. Tertium ab Artaxerse anno imperii sui septimo, Esdr. cap. 7. v. 1. 7. et 8. Quartum diploma editum est anno ejusdem Artaxersis vigesimo.

3. Quamvis recentiores omnes chronologi in epocha tum Cyri tum aliorum regum Persarum assignanda conveniant, dissentiunt nihilominus in figendo regni Artaxersis Longimani principio. Qui enumerandas arbitrantur hebdomades ab anno vigesimo ejusdem Artaxersis, statuunt obtinuisse regnum anno M. 3531. atque ita decretum de reaedificanda Jerusalem latum esse volunt an. M. 3551. seu ante Æ. V. 453. Cumque teneant Christum oppetiisse mortem an. V. Æ. 33. numerus annorum a Daniele praefinitus incidit adamussim in Christi mortem. Nam ab anno ante Æ. V. 453. usque ad 33. ejusdem aerae interfluxerunt an. 486. atque adeo sexaginta novem hebdomades cum dimidia. Qui vero initium hebdomadum sumendum esse tenent ab anno septimo Artaxersis Longimani, affirmant regem hunc imperio fuisse potitum an. M. 3540. sicque annus se-

ptimus Artaxersis incidit in annum M. 3547. ante V. Æ. 457. quibus si adjungantur anni 486. perveniemus ad an. Æ. V. 29. quo Christum mortuum fuisse censent.

4. Demum hebdomades illae ita supputandae sunt ut sexagesima nona desinat in tempus baptismatis Christi, et in medio septuagesimae hebdomadae, hoc est an. 486. earumdem hebdomadarum Christus pro nobis mortuus sit.

CONCLUSIO I.

Initium hebdomadum Danielis repeti non debet ab anno primo Darii Medi, nec ab anno primo Cyri vel a secundo Darii Hystaspidis, multoque minus ab anno secundo Darii Nothi, et a quinto Artaxersis Memoriosi.

Prob. prior thes. pars. I. sub Dario Medo qui an. M. 3466. et ante Æ. V. 538. Babylone regnare coepit, nullum de reaedificandis vel urbe vel templo decretum emanatum est. Nam in sacris literis narratur edicta pro Judaeis emanari coepisse sub Cyro Persarum rege statim ac Babylonem occupavit, anno videlicet M. 3468. et ante Æ. V. 536. Ast hebdomadum exordium juxta vaticinium, *ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Jerusalem*, sumendum est. II. si ab anno primo Darii Medi supputentur hebdomades, ab exordio hebdomadum ad Christi mortem non anni 486. sed 567. erunt. Nam Darii Medi annus primus incidit in annum ante Æ. V. 538. quibus si annos ejusdem Æ. V. 29. addamus quo mortuus est Christus, juxta nostram sententiam, numerum conficiemus annorum 567.

Prob. alt. pars. I. edictum a quo hebdomades supputandae sunt Danielis, debet esse edictum de reaedificanda Jerusalem: *Scito ergo, et animadverte, ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum*. Verum neque sub Cyro neque sub Dario Hystaspidis filio latum est de reaedificanda urbe decretum. Nam diploma Cyri sic ab Esdra recitatur lib. 1. cap. 1. v. 3. *Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Jerusalem, quae est in Judaea, et aedificet domum Domini Dei Israel*: ex quo apparet factam Judaeis fuisse per Cyrum potestatem reaedificandi templum dumtaxat, non civitatem. Darius autem Hystaspidis latum a Cyro decretum renovavit ac confirmavit, ut colligitur ex eod. lib. 1. cap. 6. Esdr. v. 3. 5. 7. 12. II. si supputare incipiamus hebdomades ab anno primo Cyri, vel secundo Darii Hyptaspidis, tempora minime congruunt. Ab exitu namque sermonis usque ad Christum intercedere debuerunt anni 490. atque si de epocha loquamur mortis, an. 486. Ab anno autem primo Cyri usque ad Christi mortem praeterierunt anni 565. et a secundo Darii anni 551. quum ille regnum auspicatus sit decretumque tulerit anno ante Æ. V. 536. hic autem sanctionem a Cyro emanatam confirmaverit anno ante Æ. V. 522.

Prob. pars. tertia. I. sententiae hujus quam confutamus patroni, supponunt Darium illum qui Cyri confirmavit edictum esse Darium Nothum, et Artaxersem a quo Judaei potestatem ascendendi Hierosolymam bis acceperunt, esse Artaxersem Memoriosum: in quo supposito plane decipiuntur. Nam si illud admittatur, Zorobabel, Josue filius Josedek, Esdras, ac Nehemias, citra omnem fidem, humanae vitae superassent diuturnitatem. Zorobabel enim anno primo Cyri dux erat Judaeorum quibuscum remeavit in patriam, proindeque esse debuit annorum triginta, aut saltem vigintiquinque. Ab anno primo Cyri ad secundum Darii Nothi interfluxerunt anni 114. Ille quippe babylonicum occupavit imperium anno M. 3468. Annus autem secundus Darii Nothi incidit in annum M. 3582. atque idcirco Zorobabel dux fuisset Judaeorum 114. annis, quibus si anni addantur 25. quibus vixisse supponimus antequam dux fieret Judaeorum, et aliquot alii quibus post suam in patriam expeditionem adhuc vixit, fieret summa 140 annorum et amplius, quod incredibile est. Id multo clarius in Josue filio Josedek apparet, qui et ipse una cum Zorobabele rediit in Judaeam. Quando enim id accidit, Josue esse debuit annorum saltem 40. quum esset jam summus sacerdos, adeoque matura aetate. Hoc eodem modo discurrendum est de Esdra ac Nehemia qui in priori sub Cyro reditu seniores erant, et uterque vixit sub Dario et Artaxerse: atque idcirco si Darius fuisset Darius Nothus, et Artaxerses Memoriosus, nimis quam credibile sit propriam hi viri protraxissent aetatem. Quod si suppositum cui systema innititur labatur, jam totum corruit systema. II. ab initio hebdomadum ad mortem usque Christi fluere debuerunt anni 486. ut saepe diximus. Ast neque a secundo anno Darii Nothi, neque a quinto Artaxersis Mnemonis ad Christi mortem haec intercessit annorum summa. Annus quippe Darii Nothi secundus incidit in annum ante Æ. V. 422. quibus si adjiciantur anni ejusdem aerae 29. fiet summa annorum 451. Item annus quintus Artaxersis Memoriosi est idem cum anno ante V. Æ. 395. ac proinde ab anno hujus principis quinto usque ad 29. Æ. V. fluxerunt anni 424. III. Scaliger, quique illum sequuntur, septuaginta Danielis hebdomades in septem, sexaginta duas, ac postremam dispescunt ut eas a diversis epochis supputare incipiant. Haec autem divisio ac statuendarum epocharum diversitas nullo innititur fundamento.

CONCLUSIO II.

Initium regni Artaxersis Longimani consignandum est ad annum M. 3540. et ante Æ. V. 464.

Prob. Artaxerses Longimanus regnare coepit an. 1. Olympiadis 79. Nam Eusebius caesariensis in Chronico loquens de exordio regni Artaxersis Longimani expresse consignat illud ad an. 1. Olymp. 79. Qua in re certe Eusebius deceptus non est. 1. quoniam illum sequuntur viri doctissimi complures, et praesertim Sigonius de Rep. Athen. 2. Julius africa-

nus, teste Hieronymo in cap. 9. Dan. annum 20. Artaxersis consignat ad an. 4. Olymp. 83. Ast si ab his annos demas 20. descendes ad an. 1. Olymp. 79. 3. Juxta Diodorum lib. 11. Biblioth. Xerses Artaxersis Longimani pater interfectus fuit ab Artabano an. 4. Olymp. 78. Verum Artaxerses statim post patris mortem coepit regnare; atque adeo regni ejus initium ab an. 1. Olymp. 79. repetendum est. 4. Diodorus Siculus proxime commemoratus Biblioth. lib. 12. tradit Artaxersem Longimanum obiisse *an. 4. Olymp.* 88. *cum regnasset annos quadraginta*. Quod si ab hac summa annos demas 40. venies ad an. 1. Olymp. 79. Vide reliqua apud Johan. Berti. Ast vero annus 1. Olymp. 79. est annus M. 3540. ante Æ. V. 464. ut etiam adversae sententiae patroni consentiunt. Quare regni Artaxersis Longimani initium consignandum est ad an. 3540. ante Æ. V. 464.

COROLLARIUM.

Annus ergo vigesimus regni Artaxersis Longimani nullimode incidit in an. M. 3551. et ante Æ. V. 453. ut adversarii putant. Nam si regni Artaxersis initium consignandum est ad an. M. 3540. et ante Æ. V. 464. annus regni ejus vigesimus erit an. M. 3560. et ante V. Æ. 444. En ergo tabula chronologica rerum quae ad hanc dirimendam controversiam necessariae sunt, juxta nostram sententiam.

	Mundi	Olymp.	ant. Æ. V.
Nabuchodonosor Judaeos capt. adducit	3398	43. 3	606
Darius Medus Babyl. regnare coepit an.	3466	60. 3	538
Cyrus Babylonem occupat, et captivit. solvit anno	3468	61. 1	536
Cambyses regnare incipit anno . .	3475	62. 4	529
Darius Hystaspis regnum auspicatur .	3483	64. 4	521
Xerses imperium sumit anno . . .	3519	76. 4	485
Artaxersis Longim. annus primus .	3540	79. 1	464
Artaxersis an. sept.	3547	80. 1	457
Artaxersis an. 20.	3560	83. 4	444
Xerses II. succedit	3580	88. 4	424
Darius Nothus regnum iniit anno .	3581	89. 1	423
Artaxerses Mnemon inauguratur . .	3600	94. 1	404

	Mundi	Olymp.	ant. Æ. V.
Ejusd. annus imperii quintus an. .	3605	96. 3	395
Ochus regnare incipit anno . . .	3643	104. 4	361
Arsen regnum occupat anno . . .	3666	110. 3	338
Darius Codomanus imperare incipit .	3668	111. 1	336
Superatur ab Alexandro an. 6. . .	3674	112. 3	330
Antiochus Epiphanes incipit . . .	3829	151. 2	175
Idolum in templo collocat an. . .	3837	153. 2	167
Hircanus ultimus Assamon. . . .	3964	185. 1	40
Christus nascitur	4000	193. 4	4
Christus baptizatur	4030	211. 4	26
Christus moritur an.	4033	222. 2	29

CONCLUSIO III.

Initium hebdomadum sumi non potest ab anno vigesimo Artaxersis Longimani, sed sumendum est ab anno ejusdem principis septimo.

Prob. prior pars ex dictis. Ab anno enim quo latum ab Artaxerse fuit decretum usque ad Christi mortem, intercedere debent hebdomades sexaginta novem cum dimidia, anni videlicet 486. Christus quippe a Daniele praenuntiatus moriturus erat in medio septuagesimae hebdomadae. Verum ab anno vigesimo Artaxersis usque ad Christi mortem intercesserunt anni dumtaxat 473. Annus siquidem vigesimus Artaxersis est annus ante Æ. V. 444. quibus si addantur anni 29. Æ. V. conficiunt summam annorum 473.

Prob. altera pars. Ab eo anno ducendum est hebdomadum Danielis initium quo posito salvatur accurata chronologia, item et veritas vaticinii. Porro posito hebdomadum Danielis initio in anno septimo Artaxersis Longimani salvatur optime accurata chronologia, item et vaticinii veritas. Et 1. salvatur accuratissima ratio temporum. Nam ab hebdomadarum exordio usque ad Christi mortem interfluere debebant anni 486. ut saepe diximus: quod adamussim verificatur si supputare incipiamus hebdomades ab anno septimo Artaxersis. Annus enim hic, ut ex chronol. tabula patet, et ex superiori prop. in annum M. incidit 3547. et ante V. Æ. 457. Christus mortuus est an. Æ. V. 29. ut modo supponimus. Si ergo annis 457. addas annos V. Æ. 29. numerum conficies annorum 486. et summam heb-

domadum sexaginta novem cum dimidia. 2. Salvatur optime veritas quoque vaticinii. Nam juxta illius verba hebdomades supputandae sunt, *ab exitu sermonis ad reverti faciendum, et ad aedificandum Jerusalem*, ut habet hebraicus textus; hoc est, ab eo anno quo latum est decretum ut reaedificaretur non modo templum, sed etiam civitas. Hoc autem decretum latum est revera anno septimo Artaxersis Longimani. Ita namque regium diploma Judaeis ab Artaxerse anno regni sui septimo concessum se habet: *Artaxerses rex regum Esdrae sacerdoti, scribae legis Dei caeli doctissimo, salutem. A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, et de Sacerdotibus ejus, et de Levitis ire in Jerusalem, tecum vadat. A facie enim regis, et septem consiliatorum ejus, missus es, ut visites Judaeam et Jerusalem in lege Dei tui, quae est in manu tua*. Et post pauca: *Et omne argentum et aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, et populus offerre voluerit ... libere accipe, et studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, et sacrificia, et libamina eorum, et offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem. Sed et si quid tibi, et fratribus tuis placuerit de reliquo argento et auro, ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite*. Et infra: *Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui, quae est in manu tua, constitue judices et praesides ut judicent omni populo, qui est trans Flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui ... Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, et legem regis diligenter, judicium erit de eo sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiae ejus, vel certe in carcerem*. Ita se habet decretum: ex quo luculentissime ni fallor apparet datam fuisse Judaeis facultatem non solum reaedificandi templi, sed etiam civitatis instaurandae. Nam primo, non modo judaica gens immunis a vectigalibus et tributis facta est, sed evasit etiam sui juris, praesides habens ac judices auctoritate praeditos necis et vitae. Deinde Artaxerses dedit Esdrae *omnem petitionem ejus*, ut ibid. v. 6. legitur. Quis vero dubitet quin Esdrae voluntas fuerit omnia in pristinum restituere? Ulterius dedit Esdrae ac fratribus ejus potestatem de argento et auro faciendi quidquid ipsis placeret. Quis autem crediderit populum in patriam tamdiu exoptatam reversum, populum a tributis ac vectigalibus liberum, propriis legibus supremoque utentem jure, populum ab Artaxerse potestatem secundum omnem petitionem suam habentem usque ad impendendum argentum et aurum pro suo beneplacito, voluisse sub dio, vel in tentoriis, aut in dirutis combustisque domibus habitare, patriamque sedem una cum templo non instaurare? Et revera Esdras opere ipso urbis reaedificationem complevit, quod plane non praestitisset nisi ejus rei facultas in accepto ab Artaxerse diplomate contineretur. Quod ex lib. 2. Esdr. cap. 1. non obscure colligitur; ubi narratur Nehemiam accepto ab Hanano et viris ex Juda, eos qui in provincia erant de captivitate relicti, in magna afflictione et opprobrio fuisse, et murum Jerusalem dissipatum esse, et portas ejus igni combustas, amare flevisse, diebus multis jejunasse, et ante faciem Dei caeli orasse, facultatemque effla-

gitasse ab Artaxerse pro reaedificanda urbe, quam obtinuit anno vigesimo ejusdem Artaxersis, ut cap. 2. legitur. Series haec rerum satis demonstrat Esdram vi decreti ab Artaxerse anno septimo regni sui lati reaedificasse urbem, eamque iterum dirutam incensamque fuisse a finitimis populis. Nam si Hananus de urbis locutus fuisset devastatione olim per Nabuchodonosorem facta anno primo captivitatis, cur tam amare flevisset Nehemias? Numquid ei rem novam narrabat Hananus? Potestas ergo a Nehemia anno vigesimo regni Artaxersis obtenta aedificandi iterum Jerusalem, fuit potius lati jam anno septimo decreti ampliatio, quam novum decretum; ac proinde in diplomate ab Artaxerse anno septimo edito, facultas continetur reaedificandi non modo templum, sed et civitatem.

Respondetur adversariis.

Obj. 1. Si supputari incipiant hebdomades ab anno primo Darii Medi, omnia adamussim cohaerent. Nam ab eo anno usque ad Vespasianum hebdomades numerantur sexaginta duae. A Vespasiano vero usque ad Adrianum intercesserunt hebdomades septem. Septuagesima dividenda est, et media Vespasiano, media autem Adriano est tribuenda; uterque enim judaicam dissipavit gentem. II. vel ordiendae sunt hebdomades ab anno primo Cyri. Huic quippe tribui Hierosolymorum reaedificatio debet, quum ita de illo Isaias cap. 44. v. 28. prophetaverit: *Qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: Ædificaberis; et templo: Fundaberis*. Ast ab eo anno sunt hebdomades exordiendae quo latum est decretum de urbe reaedificanda. III. et Cyro revera Fl. Josephus lib. 11. Ant. cap. 1. Hierosolymorum adscribit instaurationem. IV. et facto constat Judaeos reduces sub Cyro civitatem extruxisse. Nam finitimi populi qui hostes erant Judaeorum, mortuo Cyro literas ad Assuerum seu Artaxersem Oropastem dederunt quaeis illos accusabant quod urbem et moenia et munimenta aedificarent. Ita quippe Esdr. lib. 1. cap. 4. v. 12. scripsere: *Notum sit regi, quia Judaei qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem et pessimam, quam aedificant extruentes muros ejus, et parietes componentes*. V. hinc Aggaeus cap. 1. v. 4. ita Judaeos alloquitur: *Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista* (nempe templum) *deserta*? Cumque prophetaret Aggaeus Darii Hystaspidis tempore, jam tunc erat urbs reaedificata. VI. quod confirmat Esdras lib. 1. cap. 9. sic alloquens Dominum: *Et daret nobis sepem in Juda et Jerusalem*. Porro nomine sepis quid aliud significare voluit nisi moenia civitatis? Venit enim vox illa ab hebraico themate גדר *ghadhar*, *circumvallo*, *impedio*, *circumdo*, quod de moenibus non raro profertur.

Resp. ad 1. Si supputentur hebdomades ab anno primo Darii Medi omnia erunt perturbata. 1. Ab anno primo Darii Medi usque ad Vespasianum longe plures quam septuaginta interfluxere hebdomades, ut ex tabula nostra chronologica patet. 2. Longe plures etiam quam septem a

prima sub Vespasiano ad alteram sub Adriano cladem hebdomades decurrerunt. 3. Stulte prorsus septem hebdomades a sexaginta duabus dividuntur eisque postponuntur. 4. Argumentum illud supponit nil aliud praecinuisse Prophetam quam Judaeorum dissipationem; quum hanc juxta oraculum praecedere debuerit Christi mors.

Ad 2. Ne a Cyro hebdomades enumerare incipiamus, obstat 1. ratio temporum, quum multo plures quam septuaginta a Cyro ad Christum praeterierint hebdomades. 2. Quoniam decretum quidem princeps hic tulit de Dei reaedificando templo, non autem civitate ac moenibus instaurandis, ut cap. 1. v. 2. lib. 1. Esdr. legenti constat. 3. Dici tamen potest vaticinium fuisse in Cyro adimpletum, ipsumque civitatem reaedificasse, quatenus facta Judaeis redeundi potestate, primus fuit reaedificationis auctor; et etiam quoniam filii ejus facultatem Judaeis murorum erigendorum concesserunt. Atque hunc habent sensum verba Isaiae in argumento relata.

Ad 3. Atque eodem sensu loquitur etiam Josephus qui paullo post, scilicet cap. 5. animadvertit moenium aedificationem dilatam fuisse usque ad Nehemiam et Artaxersem.

Ad 4. Finitimi illi populi Judaeos apud Oropastem calumniati sunt quod moenia extruerent ac munimenta, non quod ipsi revera instaurationi admoverint manus. Ex quo enim Esdras noluerit eos ad templi reaedificationem in socios adsciscere ut ipsi petebant, in furorem acti nullum non moverunt lapidem ut a templi urbisque instauratione Judaeos exturbarent: ac inter cetera scelera contra eos intentata, epistolam regi dederunt in qua judaicam gentem calumniati sunt tamquam ejus imperio rebellem, quod muros extrueret Jerusalem, et parietes rursus componeret. Idque ut accidere solet, bene cessit calumniantibus; quoniam *tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem*, ut narrat Esdras lib. 1. cap. 4. v. 24.

Ad 5. Aggaei prophetia supponit urbem instauratam quoad domos ad habitandum, non quoad moenia et portas ac reliqua munimenta. Quum enim Judaei a Cyro et Dario Hystaspidis potestatem denuo extruendi templum acceperint, necessario infertur facultatem quoque obtinuisse extruendi domos ad habitandum, quo ab imbribus ac caeli intemperie essent immunes. Atque ad hoc alludit Aggaeus Judaeos reprehendens quod in domibus habitent laqueatis, deserta interim relicta domo Dei.

Ad 6. Esdras laudato in argumento loco conqueritur quod infirmum haberent Judaei parietem tumultuarie fabricatum, domunculas scilicet properanter ob vicinorum hostilitatem extruxerant. *Ghedher* autem etsi moenia quandoque significet, saepe tamen denotat etiam septa cratitia ad continendas oves. Unde videtur Esdras per figuram vocem illam adhibuisse ad innuendum Judaeos ante ac dissipatas oves, simul denique fuisse collectos; praesertim cum pastorem summum, nimirum Deum alloquatur.

Obj. 2. Ex 6. cap. lib. 1. Esdr. constat Darium anno regni sui secundo facultatem fecisse Judaeis templum et urbem reaedificandi. Ast ille Darius Darius est Nothus, non Darius Hystaspidis filius. Nam a Cyro ad Darium Hystaspidem breve admodum intercessit temporis spatium;

quum e contra a Cyro ad Darium de quo loquitur Esdras, ingens fluxerit annorum numerus; legitur enim ibidem Darium Archivam consuluisse ut facultas Hebraeis a Cyro olim concessa inveniretur: *Tunc Darius rex praecepit: et recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone*. II. Darius sub quo templum est absolutum, medius est inter duos Artaxerses: quod de Dario non Hystaspide, sed Notho verificatur.

Resp. ad 1. facultatem Judaeis a Dario concessam respicere templi dumtaxat, non urbis reaedificationem; idque legenti diplomatis exemplar quod prostat Esdr. lib. 1. cap. 6. apertissime patet. Falsum autem est Darium in cujus anno secundo decretum latum est pro Judaeis, esse Darium Nothum. Nam praeterquam quod temporum non cohaeret ratio, ut supra demonstravimus, nil prorsus officit argumentum in contrarium allatum. Neque enim affirmare cogimur ingens a Cyro ad Darium temporis fluxisse spatium, quod hic decreti exemplar in archivio quaesiverit: tum quia principes ubi de privilegiis etiam recenter concessis pertractatur, ad ipsa exemplaria recurrere solent: tum quia non de privilegii substantia, sed de illius agebatur circumstantiis quae facilius e memoria excidere potuerant: tum denique quoniam anni jam praeterierant duo de viginti ex quo latum per Cyrum decretum illud fuerat, quae annorum summa comparate ad magnum regem variis curis distentum non adeo parva est, ut per se patet.

Ad 2. Reges Persarum diverso modo in sacris literis ac ab auctoribus exoticis numerantur, cujus rei rationem supra dedimus. Quare juxta Scripturae loquendi rationem utique Darius Nothus medius est inter duos Artaxerses. Ast juxta scriptores exoticos ante hunc Darium collocandus est Xerses II. non Artaxerses. Non potuit autem haec ignorare Scaliger qui in rebus ad historiam spectantibus versatissimus erat.

CAPUT VII.

An ex Michaeae, Aggaei, et Malachiae vaticiniis probetur Messiae adventus.

Michaeas qui ut Jeremias cap. 26. v. 18. ait, *fuit propheta in diebus Ezechiae regis Juda*, hoc celeberrimum inter cetera fudit vaticinium cap. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*. Prolatum hoc esse de Messia in lege promisso, non modo Christiani omnes fatentur, uno excepto Grotio referente illud ad Zorobabelem, sed veteres quoque Judaei, ut Jonathas, Paraphrastes chaldaeus, Auctores Thalmud tract. Sanhedrim cap. ult. et in tract. de Pasch. cap. 10. Auctores item Midrasch Thehillim, R. Selomoh, et R. Kimki, renuentibus licet Judaeorum plerisque.

Alterum de Messia oraculum pronunciatum fuit ab Aggaeo quem suscitavit Dominus ut prostratos Judaeorum erigeret animos. Quum enim Judaei ex babylonica reduces captivitate templum salomonico longe infe-

rius reaedificaverint, eaque de caussa contristarentur, sic Deus allocutus est populum per Aggaeum cap. 2. v. 7. *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum, et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria: dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Recentiores omnes Hebraei oraculum istud ad Messiam pertinere obstinatissime negant, referentes illud ad templum ipsum de novo extructum cujus gloriam alii in uno, alii in alio ineptissime reponunt.

Tertium vaticinium quum eadem de caussa eodemque fine ac illud Aggaei prolatum fuerit a Malachia, sicuti a nobis de Messia, ita a Judaeis detorto sensu intelligitur et explicatur. Verba vaticinii habentur cap. 3. v. 1. hoc modo: *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis; et Angelus testamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Demonstrandum itaque adversus Judaeos erit, ex laudatis vaticinis invicte probari Messiam jam advenisse. Ordiamur a primo.

CONCLUSIO I.

Ex recitato Michaeae vaticinio invicte demonstratur Messiam advenisse.

Prob. Ille quem Michaeas oriturum praenuntiat in Bethlehem Ephrata, est Messias in lege promissus. Nam 1. omnes Judaei tempore Herodis credebant Michaeam citato in vaticinio praenunciasse Messiam; Herodi enim sciscitanti ubi Christus nasceretur, sacerdotes Matth. cap. 2. v. 5. responderunt: *In Bethlehem Judae: sic enim scriptum est per Prophetam. Et tu Bethlehem terra Juda etc.* 2. Generatio illius quem futurum praedicit Michaeas, appellatur aeterna, *Et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*: qui character nemini competere potest praeter Messiam: unde ambigi nequit verba facere Michaeam de Messia. Ast dominator ille quem praenuntiat Michaeas, jam advenit: oppidum quippe Bethlehem ubi ortum habere debebat, jam a pluribus saeculis eversum est: adeoque Messias jam advenit.

CONCLUSIO II.

Etiam ex oraculis Aggaei et Malachiae apertissime colligitur Messiae adventus.

Prob. Aggaeus ac Malachias venturum praedixerunt ad templum quod tunc Judaei extruebant, Messiam in lege promissum. Et quod loque-

rentur Prophetae de templo quod tunc reaedificabant Judaei, lucutentissime patet ex pronomine illo tam crebro repetito, *domus istius*, *in loco isto*, *domum istam*. Quod vero loquerentur de vero Messia demonstratur 1. ex magnificis verbis quibus Aggaeus auditorum animos praeparat dicens: *Commovebo caelum, et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes*: quibus emphaticis phrasibus aliquod a Judaeis maxime expetitum promittitur, quod aliud esse nequit praeter Messiam. 2. Illius Aggaeus praenunciat adventum, qui erat *desideratus cunctis gentibus*. Porro non est hic nisi Messias quem eodem designat nomine etiam Jacob, Gen. cap. 49. et Isaias cap. 2. 3. A Malachia autem praeconiatur *Angelus testamenti*, quo nomine Messiam appellant Isaias, cap. 42. Jeremias et Daniel. 4. Praedicunt memorati Prophetae adventum illius qui futurus erat gloria templi secundi, qui ad templum illud tamquam ad domum suam venturus erat, et in cujus adventu omnia elementa et universus orbis debebant commoveri. Haec porro de quo alio nisi de Messia possunt intelligi? Dubium ergo esse non potest quin duo hi Prophetae de Messia loquantur qui venturus erat ad hierosolymitanum templum quod ea aetate Judaei rursus erigebant. Ast vero templum illud jamdiu eversum est. Quare Messias in lege promissus jamdiu advenit.

Contradicentium oppositiones enodantur.

Obj. 1. cont. 1. thes. cum Grotio Annot. in Michaeam: *Natus ex Bethlehemo Zorobabel recte dicitur, quod ex Davidis familia esset quae orta Bethlehemo. Et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis. Idest, Origo Zorobabelis ab olim, a temporibus longis originem trahit, a domo illustri antiquitus, et per quingentos annos regnatrice. Quia nunc magnificabitur usque ad terminos terrae. Idest, Illico postquam reversi fuerint, Dei fama ex isto beneficio longe lateque propagabitur per terras omnes. Et erit iste pax. Et erunt tunc res prosperae.* Michaeas igitur adventum non Messiae, sed Zorobabelis praedicit. II. et revera loquitur Michaeas de duce atque pastore qui a captivitate et Assyriorum incursionibus filios Israel liberaturus erat, *Reliquiae fratrum ejus convertentur ad filios Israel*. Et rursus, *pascent terram Assur in gladio*. Quis vero fecit haec omnia, Zorobabel vel Messias? III. praenuntiat Propheta dominatorem in Israel. Jesus autem Nazarenus non fuit dominator in Israel, bene vero Zorobabel. IV. loquitur Propheta, inquit Bodinus, de duce orituro in Bethlehem; quum Jesus e converso natus sit in Nazareth, unde Nazarenus vulgo nuncupabatur. Aptari ergo vaticinium Christo Domino non potest.

Resp. ad 1. Grotii interpretatio nimis coacta est. 1. Si Michaeas Zorobabelis praedicit adventum, cur non Zorobabelis ipsius, sed Davidis patriam designat? 2. Si Propheta ad atavos respexisset Zorobabelis, indigitare debuisset Jerusalem, ubi tot reges antecessores ejus ortum habuerunt. 3. Phrasis illa, *A diebus aeternitatis*, juxta Scripturae loquendi modum,

non antiquitatem temporum, sed germanam denotat aeternitatem: de nullo enim quamvis prosapia ac origine illustri, legitur, *Egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*. E contra vero hac eadem loquendi forma describitur origo Messiae, Prov. cap. 8. v. 23. *Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis*. 4. Quomodo Zorobabelis fama per terras omnes propagata est pacemque attulit populo, si Samaritani templum ei reaedificanti insolentissime obstiterunt: et post illius mortem contra Nehemiam insurrexerunt Sanaballat, et Tobias, Arabes, Ammonitae, et Azotii; adversus Machabaeos Graeci, in omnes tandem Judaeos Romani? Melius ergo Theodoretus Com. in Mich. cap. 5. vaticinium exposuit his verbis: *Ne respicias exiguum numerum incolarum, o Bethlehem; causam enim habes quare illustris habenda sis, qualem nulla totius orbis urbs. Nam in te secundum carnem nascitur qui ante saecula ex Patre est genitus, cujus egressus ab initio*.

Ad 2. Verba facit Michaeas de duce qui mystice, non literaliter liberaturus erat Jerusalem ab Assyriis. Ita S. Hieronymus in hunc locum ad illa verba, *Et erit iste pax etc. Quando venerit diabolus super terram regionemque credentium et eorum quos pascet Dominus in fortitudine et in sublimitate nominis Dei sui, et eos calcaverit tribulationibus variis, et domos animarum nostrarum, idest corpora, quasi superbus ascenderit atque depresserit, et tamen nihil nos a Christi caritate separaverit: tunc Christi pax, sive ipse Christus erit in nobis*. Ita Hieronymus. Quin autem pax illa literaliter intelligatur, obstat quod ejus tempore et post illum usque ad Christi adventum numquam pax inter Judaeos fuerit, ut paullo ante animadvertimus.

Ad 3. Eodem modo solvendum est tertium. Praenuntiat nimirum Propheta dominatorem non temporalem atque carnalem, sed spiritualem in Israel. Nam dominium Messiae de quo Prophetae loquuntur, spiritualiter esse sumendum ex lectione ipsa patet vaticiniorum. Sic autem accepta prophetia, adimpleta est utique in Christo qui se regem dicebat, sed non hujus mundi ac temporalem, ut ex Evangeliis apparet.

Ad 4. Stulta narrat Bodinus. Nam omnes Evangelistae testantur Christum natum fuisse in Bethlehem Juda, Nazarenum vero vocari a domicilio; quoniam quum parentes ejus nazareni essent, in Nazareth morabatur ibique fuit educatus.

Obj. 2. adv. alt. prop. Gloria zorobabelici templi prae salomonico, non in eo consistit quod ad illud venturus esset Messias: sed in eo quod hoc secundum decem annis diutius primo steterit; vel quod Judaei secundo stante templo pacem habuerint tranquilliorem; vel denique quod magnificentius prae primo fuerit. II. vel dici potest quod dominator quem ad templum Domini venturum praedicunt Aggaeus et Malachias, fuerit Alexander Macedo, cui omnes vaticinii conveniunt characteres. Nam in ejus expeditione commota sunt caelum, terra, mare, omnesque gentes: aurum et argentum, hoc est munera vere regia, Deo in hierosolymitano templo ipse obtulit: ac major prae prima fuit secundae domus gloria, quoniam quum

ad secundam M. Alexander qui regum omnium potentissimus fuit accesserit, gloriam decoremque quam maximum inde recepit, quem profecto non habuit Salomonicum templum ad quod nullus regum umquam accessit. Data est etiam tempore illo pax, quoniam Judaei qui Alexandrum tamquam hostem timebant, eum receperunt velut amicum. III. saltem ex Aggaei ac Malachiae vaticiniis demonstrari non potest Jesum Nazarenum esse Messiam. Nam hi praedicunt Messiam venturum ad templum secundum extructum a Zorobabele, ut ex pronomine demonstrativo, *istius*, *isto*, apparet. Ast templum quod ingressus est Jesus, non est secundum et zorobabelicum, sed tertium ab Herode constructum. Josephus quippe Ant. lib. 15. cap. 2. narrat novum Herodem erigere voluisse templum, quoniam *secundo deerant ad altitudinem cubitorum sexaginta*; *tanto quippe altius erat a Salomone aedificatum*. Et infra: *Judaeis anxiis, ne si totum opus dissolveret, non satis opum haberet ad perficiendum, dixit non se prius templum diruturum, quam omnia quae ad novum absolvendum pertinerent, praeparasset*. Et rursus: *Sublatis veteris fundamentis et jactis aliis, templum super eis erexit in longitudinem cubitorum centum, in altitudinem totidem et viginti amplius*. Haec demonstrant templum quod tempore Christi existebat, fuisse revera tertium et herodianum; dirutum namque fuit zorobabelicum, nova jacta fuere fundamenta, et templi moenia tam in longitudinem quam in altitudinem accepta.

Resp. ad 1. Aggaeus ac Malachias luculenter affirmant templi secundi gloriam futuram plusquam primi, quoniam ad illud venturus erat *Desideratus cunctis gentibus*, *et Angelus pacis* a Patribus exoptatus ad afferendam pacem. Deinde stultitiam sapit majorem Dei templi gloriam reponere vel in diuturnitate vel in temporali quiete. Altiora namque laudati Prophetae promittunt. Ac denique quae secundi templi gloria prae primo fuit? Decem, ut Judaei fatentur, annorum. Ast vero tam emphaticis phrasibus ad decem annorum exprimendam diuturnitatem uti voluere Prophetae? Quod stante secundo templo pace gavisi sint Judaei falsissimum est, nisi pacem dicant abominationem desolationis ab Antiocho, Pompejo, ac Tito illuc illatam. Falsum quoque est Herodem magnificentius prae salomonico secundum reddidisse templum, ut cordatiores Rabbini fatentur, ne repetam non in his Deum gloriam reponere templi qui per eumdem Aggaeum dixit: *Meum est argentum*, *meum est aurum*, ac si dixerit non in hisce caducis atque fluxis se gloriam suam collocare.

Ad 2. Mira in hoc argumento Judaeorum stultitia relucet. Memorati namque Prophetae venturum praenuntiant, et quidem ad *templum suum*, *Angelum testamenti*, *et Desideratum cunctis gentibus*. Numquid hierosolymitanum templum erat Alexandro dicatum, aut impio huic principi magnifici illi competunt characteres? Deinde quae gloria templo Dei in adventu Alexandri, viri idololatrae Deoque invisi, vel in exhibitis ab eo muneribus accessit, quae in Apollinis quoque obtulerat templo? Neque gentium orbisque commotio de qua loquuntur Prophetae, illius generis est quae in expeditione accidit Alexandri, ut nemo non videt. Pudeat ergo Judaeos tam inepte Prophetarum oracula interpretari.

Ad 3. Nonnulli affirmant Herodem ornasse dumtaxat, non reaedificasse zorobabelicum templum; proindeque Josephum in herodianae gentis gratiam turpiter fuisse mentitum. Sed hoc omisso, templum ab Herode instauratum quidem, non de novo extructum fuit. Neque contrarium Josephus affirmare videtur. Nam licet Herodes templum a fundamentis extruxerit, non simul tamen et semel id factum est, sed per partes: ita ut cum murorum pars una dirueretur, nova moenia vel super veteribus vel super novis erigerentur fundamentis. Quod adeo verum est, ut in templo semper Sancta-Sanctorum perseveraverit, nec umquam oblationes et sacrificia fuerint interrupta. Hinc nemo Judaeus herodianum templum domum tertiam appellavit, sed ubique ac semper secundam. Sunt alia bene multa Prophetarum oracula quae ad demonstrandam miserrimae judaicae gentis caecitatem afferri possent. Sed pauca haec, superaddito caelestis gratiae auxilio, quo velum ante eorum oculos positum superna virtute scindatur satis esse possunt ad eos manuducendos ad Christum: in quo reliqua Prophetarum vaticinia fuisse adimpleta in sequenti capite summatim demonstrabimus.

CAPUT VIII.

An Messias in lege promissus sit Jesus Nazarenus.

Nulla fere est veteris Testamenti pagina in qua Messias ac Liberator noster sive verbis sive signis non praenuntietur: quoniam omnia in figura contingebant illis, ut inquit Apostolus. Posset tamen quis oraculis victus Prophetarum existimare Messiam advenisse, nec tamen fateri esse illum Jesum Nazarenum. Et sane, nullum ferme fuit saeculum quod Judaeis a spirituali ad carnalem sensum vaticinia detorquentibus, aliquem Messiam non produxerit. Sic vel ipsius Christi tempore nonnulli Herodem magnum pro Messia coluerunt, unde Herodiani saepe in Evangelio fuerunt nominati. Tum Simon magus, ac Dositheus quidam, ambo samaritani, Messiae arrogavere sibi honorem. Saeculo ineunte secundo eamdem sibi curavit famam Barchochebas: et saeculo quinto Judaeus alter natione cretensis: et sub Leone Isaurico alius gente syrus. Et ne singulos recenseam, suos quavis fere aetate dedere Messias, Gallia, Hispania, Germania, Persia, usque ad saeculum XVII. in quo R. quidam Lemlem suos habuit sectatores. Quoniam ergo ita animo Judaei comparati sunt ut facile credant Messiam advenisse, non abs re erit si eos velut manu ducamus ad Christum Dominum, ostendentes hunc et non alium esse Messiam in lege promissum.

CONCLUSIO.

Messias quem hactenus advenisse probavimus, est Jesus Nazarenus.

Prob. Verus Messias in lege promissus ille habendus est in quo Pro·

phetarum oracula, de ortu, vita, morte, ac tempore mortem excipiente veri Messiae completa sunt. Jam vero Prophetarum oracula quae sunt de Messiae ortu, vita, morte, ac tempore quod mortem consecuturum erat, omnia adamussim in Jesu Nazareno impleta esse patet per singula excurrendo. Et primo quoad ortum. 1. Praenunciavere Prophetae oriturum Messiam de semine Abraham, Gen. cap. 22. v. 15. *Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de caelo, dicens: Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli etc.* Et iterum: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* De semine Isaac, Gen. 26. v. 2. *Apparuit ei* (Isaac) *Dominus, et ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi ... et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* De semine Jacob, Num. 24. v. 17. *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel.* De semine Juda, Gen. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* De semine Jesse et Davidis, Isaiae 11. v. 1. *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini*: Et Jerem. 33. v. 15. *Germinare faciam David germen justitiae: et faciet judicium, et justitiam in terra.* At vero Jesus Nazarenus fuit de semine Abraham, Isaac, Jacob, Juda, Jesse, Davidis. Sic enim ejus genealogia describitur Matth. cap. 1. v. 1. et seq. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus etc. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem etc. genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Unde Prophetarum oracula de ortu Messiae quoad semen et stirpem, impleta sunt in Jesu Nazareno. 2. Praedixerunt Prophetae appariturum Messiam cum auferretur sceptrum de Juda, quum expletae essent septuaginta Danielis hebdomades ab anno septimo Artaxersis Longimani supputandae, cum floreret adhuc nobilissimum totius orbis imperium, cum staret adhuc templum a Zorobabele reaedificatum, ut in superioribus suis locis demonstratum est. Porro Jesus Nazarenus in mundum venit quando sceptrum de Juda ablatum est, quando hebdomadum tempus ad finem vergebat, et floreret adhuc romanum imperium, et paullo antequam secundum templum solo aequaretur: natus est quippe tempore Herodis, cujus aetate quae praedixerunt Prophetae ferme adimpleta sunt. Sic namque Matth. cap. 2. v. 1. legitur: *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam etc.* 3. Juxta ea quae praedixerunt Prophetae, Messias oriturus erat ex virgine: dicente Isaia cap. 7. v. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod vaticinium a falsis Judaeorum Haereticorumque interpretamentis suo loco deinceps vindicabimus. Oriturus erat in Bethlehem.

Michaeas quippe cap. 5. v. 2. ait: *Et tu Bethlehem Ephrata ... ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel*. Adorandus paullo post nativitatem erat a Magis, juxta illud Psal. 71. *Reges Tharsis, et insulae munera offerent: reges Arabum, et Saba dona adducent ... Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiae, et adorabunt de ipso semper*. Haec autem omnia verificata sunt in Jesu Nazareno, quem de virgine natum esse Matth. cap. 1. v. 18. narrat. Christi autem generatio sic erat. *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto ... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit etc.* Idem Matth. cap. 2. v. 1. fidem pariter facit natum esse Jesum in Bethlehem Juda, *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda*. Quod vero adoratus fuerit, ac munera acceperit a Magis idem Evangelista testatur ibidem: *Ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam etc. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham*. Quae ergo de ortu Messiae praeconiaverunt Prophetae, adamussim impleta sunt in Jesu Nazareno.

II. hoc idem dicendum de vita Messiae. 1. Debuit ille fugam in Ægyptum arripere, Osee cap. 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Post reditum habitare in Nazareth ac Nazaraeus vocari, Isaiae juxta hebraicum textum cap. 11. *Et egredietur virga de radice Jesse, et Nazaraeus de radice ejus ascendet*. Et pauperem ducere vitam, ibid. cap. 53. *Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum*. Haec sane de Jesu Nazareno verificata sunt. Nam de illius fuga in Ægyptum Matth. 2. v. 14. legitur: *Consurgens* (Joseph) *accepit puerum, et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum: et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum*. De incolatu ejus in Nazareth, unde ei Nazareni nomen accessit, Matth. ibid. *Secessit*, inquit, *in partes Galilaeae. Et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur*. Quod vero Jesus pauperem duxerit vitam, omnia Evangelia narrant; unde Scribae ac Pharisaei ajebant: nonne hic est faber, et fabri filius? 2. Praedictum de Messia fuerat habiturum Praecursorem, per illa Isaiae verba quae occurrunt cap. 40. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini*. Descensurum super eum Spiritum sanctum, ibid. cap. 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini*. Et annuntiaturum hominibus Evangelium, ibid cap. 61. *Ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam*. Adimpleta autem sunt haec in Jesu Nazareno. Nam Praecursorem habuisse refert Matth. 3. *In diebus autem illis venit Johannes Baptista praedicans in deserto Judaeae, et dicens: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum. Hic est e-*

nim , qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem : Vox clamantis etc. Spiritus sanctus descendit super Jesum quando baptizatus est , Matth. cap. 3. *Aperti sunt ei caeli , et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam , et venientem super se .* Idem accidisse quando super monte transfiguratus est affirmant omnes Evangelistae . Quod Evangelium praedicaverit innumeris narratur in locis , et praesertim apud Matth. cap. 4. *Exinde coepit Jesus praedicare ... Et circuibat Jesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum , et praedicans Evangelium regni .* 3. Miranda Messias editurus erat facinora , et omnis generis languores sanaturus , Isaiae 42. *Dedi te in foedus populi ... ut aperires oculos caecorum , et educeres de conclusione vinctum , de domo carceris sedentes in tenebris .* Et cap. 53. *Vere languores nostros ipse tulit , et dolores nostros ipse portavit .* Debuit praeterea ante mortem suam ingredi Sion vectus asina, Zach. cap. 9. *Exulta satis filia Sion ... Ecce rex tuus veniet tibi ... ascendens super asinam , et super pullum filium asinae .* Debuit postremo , ne singula vitae ejus capita percurram , novum instituere sacrificium , et quidem in pane ac vino , Malach. cap. 1. *Non est mihi voluntas in vobis , dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra . Ab ortu enim solis usque ad occasum , magnum est nomen meum in gentibus , et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda .* Quibus vita correspondet Christi . Nam quoad miracula atque sanationes , Matth. memorato cap. 4. narrat quod *circuibat Jesus totam Galilaeam ... sanans omnem languorem , et omnem infirmitatem in populo . Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes , variis languoribus et tormentis comprehensos , et qui daemonia habebant , et lunaticos , et paralyticos , et curavit eos .* Quod vero Jesus asina pullo comitante vectus ingressus sit Hierosolymam , refert idem Matthaeus cap. 21. in haec verba : *Tunc Jesus misit duos discipulos , dicens eis : Ite in castellum , quod contra vos est , et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi ... Hoc autem totum factum est , ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : Dicite filiae Sion : Ecce rex tuus etc. Euntes autem discipuli fecerunt sicut praecepit illis Jesus . Et adduxerunt asinam , et pullum : et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt* etc. Et de incruento panis ac vini sacrificio haec idem Matthaeus habet cap. 26. *Coenantibus autem eis , accepit Jesus panem , et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite : Hoc est corpus meum . Et accipiens calicem , gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes : Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Itaque praecipua etiam vitae Messiae capita verificata sunt in Jesu Nazareno .

III. characteres quoque mortis Messiae mirifice impleti sunt in morte Jesu Nazareni . 1. Debuit Messias juxta Prophetarum oracula tradi ab amico , Psal. 40. *Etenim homo pacis meae in quo speravi : qui edebat panes meos , magnificavit super me supplantationem :* vendi triginta ar-

genteis, Zach. 11. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*: Et a suis deseri, Psal. 87. *Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, et non egrediebar ... elongasti a me amicum et proximum: et notos meos a miseria*. 2. Debebat Messias agonia languere, Psal. 54. *Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me ... et contexerunt me tenebrae*: accusari a falsis testibus, Psal. 40. *Verbum iniquum constituerunt adversum me*: et accusatus silere, Isaiae 53. *Non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet*: contumeliis et sputaminibus affici, Isaiae 50. *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me*: a suis et a gentibus ad mortem damnari, Psal. 2. *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus*: et cruci affigi inter iniquos, Psal. 21. *Foderunt manus meas, et pedes meos*; et Isaiae 53. *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est*. 3. De Messia praenuntiarunt Prophetae deberi a praetereuntibus irrideri ac subsannari, Psal. 21. *Omnes videntes me deriserunt me ... Speravit in Domino, eripiat eum*: dividi vestimenta sua, Psal. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*: felle et aceto potari, Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto*: lancea in latere perfodi, Zach. cap. 12. *Et aspicient ad me quem confixerunt*: in ejus morte deficere sol, et terra moveri, Amos 8. *Numquid super isto non commovebitur terra?... Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis*: pro persecutoribus precari veniam, Isaiae 53. *Et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit*: tandem debuit Messias mori, Psal. 17. *Circumdederunt me dolores mortis: et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me: praeoccupaverunt me laquei mortis*. Ast vero haec omnia perpessus est Jesus Nazarenus. Nam de Jesu contumeliis sic Matthaeus cap. 27. scribit: *Et genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave rex Judaeorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde*. Sic pergit Evangelista divisionem vestium Christi describere: *Diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta* etc. Ibidem narrat etiam quomodo propinaverint Jesu fel et acetum, dicens: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum ... Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere*. De Christi latere lancea confosso loquitur Johannes cap. 19. *Unus militum lancea latus ejus aperuit*. Solis defectum, et tenebras, et terraemotum describit Matth. cap. 27. *A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam ... et terra mota est, et petrae scissae sunt*. Jesus deprecatus est veniam persecutoribus, ut habetur Lucae cap. 23. *Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis: non*

enim sciunt quid faciunt. Ac denique Jesus moritur, ut narrat Matthaeus capite citato: *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum*. Atque ita quae de Messiae morte praenuntiavere Prophetae adimpleta sunt adamussim in morte Jesu Nazareni.

IV. Nonnulla modo dicamus de iis quae secundum Prophetas eventura erant post mortem Messiae. 1. Praeconiaverunt Prophetae crura non esse frangenda Messiae, Exodi 12. *Haec est religio Phase ... In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis*: sepulcrum ejus futurum gloriosum, Isaiae 11. *Et erit sepulcrum ejus gloriosum*: descensurum ad inferos et Patriarchas inde educturum, Psal. 67. *Qui educet vinctos in fortitudine ... qui habitant in sepulcris*: et excitandum fore a mortuis, Psal. 3. *Ego dormivi, et soporatus sum: et exurrexi, quia Dominus suscepit me*. 2. Debuit Messias homines a peccatis absolvere, Isaiae 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*: eosdem homines sanguine suo redimere, Gen. 49. *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum*; et Job. 19. *Scio enim quod Redemptor meus vivit*: et veram Ecclesiam fundare, Isaiae 2. *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini ... quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes, et arguet populos multos*. Prophetae viderunt in spiritu Messiam ascendentem in caelum, Psal. 46. *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubae*: sedentem ad dexteram Patris, Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis ... Dominus a dextris tuis*: mittentem Spiritum sanctum ad discipulos, Isaiae 44. *Effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam*: et gentes vocantem ad veri Dei religionem, Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Porro omnia haec post Jesu Nazareni mortem evenerunt. Non enim post mortem ei crura fregerunt, ut Johannes cap. 19. narrat: *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura ... Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo*. Jesu sepulcrum fuit gloriosum, scribente Matthaeo cap. 27. *Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo quod exciderat in petra*: magisque gloriosum evasit ob ea quae in ejus resurrectione evenerunt. Descendit deinde Jesus ad inferos indeque Patriarchas eduxit, Johan. 12. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Tertia die resurrexit a mortuis, Matth. cap. 28. *Respondens Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic: surrexit enim, sicut dixit*: absolvit homines a peccatis, Lucae cap. 24. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes*: eosdemque homines sanguine suo redemit, Matth. 26. *Hic*

est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: Ecclesiam fundavit Act. 20. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*: Jesus ascendit in caelum, Marci cap. 16. *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum*: ibique sedet ad dexteram Patris, Marcus ibid. *Et sedet a dextris Dei*: et paullo post misit ad discipulos Spiritum sanctum, Act. 2. *Cum complerentur dies Pentecostes ... repleti sunt omnes Spiritu sancto*: exinde gentes omnes sunt ad veram Dei Ecclesiam vocatae, Marci eodem cap. 16. *Praedicate Evangelium omni creaturae* etc. Quaecumque ergo praedixere Prophetae de Messiae ortu, vita, morte, atque iis quae eventura erant post mortem, omnia accuratissime completa sunt in Christo Jesu. Rogemus ergo Deum ut miseris Judaeis gratiam suam dignetur elargiri quo oculos aperiant, et tandem agnoscant Jesum Nazarenum esse Messiam a Patriarchis tantopere expetitum.

Verum in sua pertinacia persistentes Judaei inquiunt: I. praedixit Daniel cap. 9. Messiam confirmaturum pactum seu legem mosaicam, *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*. Ast Jesus Nazarenus abrogavit potius quam confirmavit pactum et legem mosaicam: non est ergo ipse Messias. II. debet esse Messias juxta Prophetarum oracula sacerdos, bellator, victor, rex seu princeps: quibus characteribus certe insignitus non fuit Jesus Nazarenus. III. item debet Messias idololatricum evertere cultum, juxta illud Isaiae cap. 31. v. 7. *In die illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quae fecerunt vobis manus vestrae in peccatum*. Neque enim accipi id potest in sensu spirituali. Ubinam autem Jesus Nazarenus qui Judaeae fines egressus non est, idololatriam subvertit? IV. demum Messias approbandus est ab Ecclesia; hunc enim vel illum hominem esse Messiam, primarium est fidei dogma. Ast vero Jesus Nazarenus a Judaeorum Ecclesia quae sua aetate existebat, non modo non fuit approbatus, sed fuit e contra publice et palam reprobatus: Pontifices siquidem et Sacerdotes Concilium adversus illum collegerunt in quo fuit ad mortem damnatus.

Haec autem levissima sunt nulliusque ponderis. Atque ad 1. pactum quod juxta Danielis oraculum confirmare debebat Messias, non erat mosaica lex; alioquin quomodo dicere potuisset ibidem Propheta, *Deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio*? Pactum ergo quod a Messia confirmandum erat, est novum foedus nova lex, ut Jeremias ait cap. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut ducerem eos de terra Ægypti*. Exponens deinde Propheta in quo novum hoc pactum consistat subdit: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*.

Ad 2. Utique Messias debuit esse sacerdos, sed secundum ordinem

Melchisedech, non secundum ordinem leviticum. Secundum, inquam ordinem Melchisedech, juxta illud Psal. 109. *Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Non vero secundum ordinem leviticum; quum futurum illum sacri praenunciaverint Vates de tribu Juda. Hinc Jesus quomodo et Melchisedech, panem et vinum obtulit in sacrificium, fuitque de tribu Juda; adeoque sacerdos extitit, et quidem de ea gente quam praesignaverant Prophetae. Juxta Prophetarum oracula debuit etiam Messias esse bellator et victor: sed qui pugnare debuit armis spiritualibus, non carnalibus principatus superans et potestates tenebrarum. Quod in Jesu Nazareno adamussim verificatum est: qui armis spiritualibus, verbo nempe veritatis, idololatriam e mundo delens et solvens homines a peccatis, vicit Moab, et de Gog et Magog triumphum reportavit. Hinc Jesu fidissimus discipulus Paulus qui optime Prophetarum oracula intelligebat, in 2. ad Cor. cap. 10. inquit: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum* etc. Eodem sensu debuit Messias esse rex seu princeps: Isaias namque cap. 9. 11. et 17. omnesque alii Vates regnaturum dicunt Messiam verbo virtutis suae, justitia, sanctitate, cunctisque virtutibus. Hoc modo regnare Christum in nobis experimento patet. Hujus generis alia innumera producunt Judaei: quae facilem habent solutionem, si animadvertatur detorquere illos ad carnalem sensum quae sensu spirituali sunt accipienda.

Ad 3. Debuit quidem Messias idololatriam evertere: sed paulatim, per Apostolos, discipulos, ac praedicatores suos, non per se, et simul et semel. Idque proculdubio fecit Jesus Nazarenus. Nam postquam Apostolorum aliorumque Evangelizantium sonus in omnem terram exivit, Christi Evangelium ita promulgatum propagatumque est, ut paucissimi modo idolorum cultores supersint. Ceterum paullo post Christi mortem specimen habemus acerrimi belli adversus idololatriam indicti: narratur quippe in Act. Ap. cap. 19. v. 24. et seq. quod *Demetrius quidam nomine, argentarius, faciens sedes argenteas Dianae, praestabat artificibus non modicum quaestum: quos convocans, et eos, qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: et videtis, et auditis quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiae, Paulus hic suadens avertit multam turbam dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. Non solum autem haec periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnae Dianae templum in nihilum reputabitur*.

Ad 4. Messias approbandus erat ab Ecclesia quae nova instituebatur, non a synagoga quae a jure suo jam exciderat: atque hoc ipsum Prophetae praenuntiaverunt. Excidit autem a jure suo synagoga, quoniam oculos luci sponte claudens omnia rejecit, et quidem luculentissima motiva credibilitatis quae Jesum Nazarenum Messiam esse in lege promissum declarabant.

CAPUT IX.

De celeberrimo Fl. Josephi testimonio .

Si Judaei non perturbatis oculis Prophetarum oracula cum praeclarissimis Jesu Nazareni gestis compararent, quamvis persuaderi, si supernaturalis gratiae eis deesset donum non possent, haud dubito tamen quin suaderentur esse illum revera Messiam in lege promissum . Fl. certe Josephus , judaeus et ipse de secta Pharisaeorum , vir doctissimus, rerum gentilium suorum non indiligens scriptor , qui hierosolymitanae cladis tempore floruit, librosque de Bello et Antiquitatibus judaicis graece ac dissertissime scripsit, vi veritatis superatus ingenue pro candore suo fassus est Jesum Nazarenum maximae inter suos famae mirabilium operum fuisse effectorem , de quo sacri Vates plura praedixerint admiranda . Prostat illustre illius testimonium in lib. 18. Antiq. cap. 4. hoc modo : *Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens , si tamen virum illum oportet dicere ; erat enim mirabilium operum effector , et doctor hominum qui vera libenter amplectuntur . Et plurimos quidem ex Judaeis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit . Hic erat Christus . Cumque eum a gentis nostrae primoribus accusatum Pilatus ad crucem damnasset , ab eo diligendo non abstinuerunt qui primum coeperant . Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit , cum divini vates haec aliaque quamplurima admiranda de eo praedixissent . Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo genus Christianorum* . Ita de Christo Fl. Josephus .

Testimonium hoc utpote ab auctore Judaeis minime suspecto prolatum, ad eos de Messiae adventu revincendos invicti roboris esset, nisi anxia et odiosa nimis recentium aliquot criticorum sedulitas illius labefactasset genuinitatem . Quamvis enim ab Eusebii caesariensis aetate ad saeculum usque sextum decimum omnes uno fassi sint ore laudatum testimonium germanum Josephi opus esse, Cappellus nihilominus , Blondellus , Faber , et Richardus Simonius fidenter affirmare non dubitarunt fuisse pia veterum Christianorum fraude in opera Josephi intrusum. Sed intemperantissimos criticos aperte decipi sequentia momenta demonstrabunt .

CONCLUSIO .

Genuinum est , non suppositum recitatum nuper Fl. Josephi testimonium .

Prob. 1. Si testimonium hoc christiana manu in Josephi opera intrusum antiquitus fuisset , in aliquo sane Josephi operum MS. codice sive graeco sive hebraico sive latino proculdubio desideraretur ; impossibile namque est ut fraudis hujus auctor omnia et singula per universum orbem dispersa exemplaria corrumpere impune potuerit , praesertim cum libri de antiquitatibus judaicis , non Christianorum solum , sed Hebraeorum , Gentiliumque manibus continuo tererentur . Nullus autem in-

veniri est Josephi operum MS. codex sive hebraice sive graece sive latine exaratus, ex iis qui in Italiae, Germaniae, et Galliae bibliothecis asservantur, in quo testimonium illud desideretur, ut Augerius Busbequius, Isaac Vossius, Emericus Bigotius, aliique prudentissimi viri amplissimam fidem faciunt apud Frabricium tomo 3. Biblioth. graecae. Hinc qui primitus libros Antiq. de graeca in hebraicam linguam transtulerunt, testimonium illud non omiserunt. *Robertus enim Canutus* (qui saeculo XII. floruit) *Prior S. Fridixwidae apud Oxoniam hebraice doctus, in duobus exemplaribus Josephi hebraice scriptis invenit testimonium de Christo in illis nuper erasum, quod et Judaeis Oxoniae degentibus ostensum fuit*, inquit Caveus ex inedito Gyraldi cambrensis libro de Inst. Princip. Consimile Josephi hebraicum exemplar legit etiam Comes de Windisgratz Rom. ut refert Fabricius tom. 3. Biblioth. graecae.

Prob. 2. auctoritate veterum scriptorum. Eusebius caesariensis lib. 1. H. E. cap. 10. testimonium hoc usurpat tamquam germanum Josephi foetum. Hieronymus reponere illud non dubitavit in Catal. Script. Eccl. cap. 13. Item et Rufinus aquilejensis, et Isidorus Pelusiota, et Sozomenus, Suidas, Hegesippus, Cedrenus, Nicephorus, Johannes sarisburiensis, Haymo, brevi, scriptores omnes medii ac postremi aevi usque ad tempora Giffanii et Osiandri qui primi de illius germanitate subdubitarunt, praestitere.

Sed morosi critici argumentum hoc ad rem non facere ex tripode pronunciant. I. quoniam Eusebius caesariensis vel locum hunc fraudolenter supposuit, vel incidit in interpolata MS. II. quoniam Hieronymus in Catal. de Script. in omnibus secutus est Eusebium; atque adeo et in Josepho. III. ceteri autem scriptores vel ex Eusebii vel ex Hieronymi lectione inducti sunt in errorem.

En gravissima recentium criticorum argumenta. Ad 1. itaque, quo fundamento ducti tam affirmate critici nostri pronuntiant testimonium illud Eusebium fraudolenter imposuisse? Nullo. Imo e contra suppositionis hujus reum non fuisse Eusebium colligitur ex omnium constantissima codicum consensione. Deinde si id ausus fuisset Eusebius, nonne fraus ejus detecta fuisset? Non solum enim illius testimonii meminit lib. 1. H. E. sed ex eo praeterea argumentum urget in lib. 3. Dem. Ev. cap. 5. adversus Judaeos ac Gentiles: in quorum manibus Josephi opera quum essent, fraudis argui facile potuisset. Denique cui bono textum illum confingere? Numquid ex illo Christi pendebat divinitas? Neque suspicari licet incidisse Eusebium virum doctissimum et critices apprime peritum in deturpata Josephi exemplaria; tum quia vetustissimi omnes codices ea pericope non carent, ut diximus; tum quia usus est antiquissimo hierosolymitano exemplari, ut ipsemet testatur.

Ad 2. S. Hieronymum in Josephi operibus recensendis opus consuluisse de Antiq. judaic. vel ex eo evincitur quod testimonium illud diversimode ab Eusebio recitet: et ubi apud Eusebium legitur, *hic erat Christus*, Hieronymus habet, *hunc crediderunt esse Christum*. Et So-

phronius qui Hieronymi librum in graecum vertit eloquium, quum consuluerit et ipse opera Josephi, priorem restituit lectionem, *hic erat Christus.*

Ad 3. Subsequentes scriptores qui testimonii illius mentionem faciunt, tum ab Eusebio tum inter se in nonnullis parvi momenti dissentiunt: quod argumento est consuluisse singulos Josephi volumina, non exscripsisse vel Eusebium vel Hieronymum.

Prob. 2. ratione. Inverisimile omnino est Fl. Josephum silentio premere voluisse Jesu Nazareni praeclara gesta. Primo quoniam ad accuratum historicum pertinet ea sincere narrare quae vel propriis oculis vidit, vel omnibus manifesta sunt. Fuisse Josephum diligentem historicum quis ambigere poterit? Facinora Christi omnibus manifesta fuisse, non inficiabitur qui animadvertat ingentes excitasse in hebraica gente motus, innumera mirabilia patrasse, sectamque instituisse ex nomine suo. Deinde nihil fuit quod illum a Christi gestis commemorandis posset retardare. Nam in eodem opere lib. 20. cap. 8. haec de Jacobo Christi discipulo scribere non dubitat: *Junior autem Ananus, quem summum sacerdotium assumpsisse diximus ... judicum consessum cogit, et coram eo sistens fratrem Jesu, qui dicitur Christus, Jacobi illi nomen erat, et alios quosdam, impacta illis dicta, tamquam violatorum legum lapidibus necandos tradidit. Quicumque vero ex urbis incolis erant aequiores, et leges accurate servabant, aegre id tulerunt.* Deinde caussam hierosolymitani excidii inquirens inquit: *Haec autem contigerunt Judaeis in ultionem Jacobi justi fratris Jesu, qui dicitur Christus: quoniam eum cum justissimus esset, Judaei interfecerunt.* Paria his, si non illustriora, habet lib. 18. Ant. cap. 7. de Johanne Baptista: quem virum optimum Judaeos ad virtutum studia excitantem vocat, et in cujus necem exercitus Herodis refundit infortunia. Haec Josephus de Jacobo fratre Jesu, deque Johanne Baptista scripsit, quorum conatus erant ut omnes faterentur Jesum Nazarenum esse Messiam. Quid mirum ergo si de Christo etiam honorifice locutus est, quum tam praeclare locutus de discipulis ejus fuerit?

Criticorum scrupuli eximuntur.

Obj. 1. Justinus martyr in dialogo cum Tryphone qui judaeus erat, Clemens alexandrinus qui plura ex Josepho fuit pro christiana religione mutuatus, Tertullianus et Cyprianus contra Judaeos scribentes, celeberrimi hujus testimonii non meminerunt. Origenes immensae lectionis scriptor non modo testimonium illud alto praetermittit silentio, sed miratur meminisse Josephum Jacobi et Johannis Baptistae, nihil vero dixisse de Christo. Photius summae diligentiae ac doctrinae vir omnia Fl. Josephi opera accurate recenset, et de hac pericope ne verbulum quidem habet: cujus scriptoris silentium spurium testimonium illud aperte declarat. Nam Cod. 48. abjudicat Josepho librum *de Universo*, hac sola ductus ratione quod ibi disserit Auctor de aeterna Christi generatione. Ast quum testimonii, de quo loquimur, auctor de Christo scribat, *Si tamen virum illum o-*

portet dicere, nonne Christum ab aeterno genitum esse fatetur? Alter denique Josephus Ben-Gorion nuncupatus, quamvis in Judaeorum concinnanda historia Josephi Flavii opera ante oculos haberet, nullibi sententiam illam commemorat.

Resp. Allatum mox argumentum quum mere negativum sit, nullius est ponderis; praesertim cum certissima afferri possit ratio cur laudati Scriptores Josephi testimonium silentio praeterierint. Sancti namque illi Patres disputabant ut plurimum adversus Judaeos, non ut demonstrarent Christum aliquando extitisse et vera patrasse miracula, quod solum flavianum testimonium demonstrat, id enim ultro concedebant Judaei: sed an Christus quem extitisse fatebantur Judaei, Deus esset ac verus Messias, idque ex Prophetarum oraculis evinceretur. Hinc Justinus in dialogo cum Tryphone: *In omni hac dissertatione*, inquit, *ex sanctis vestris et propheticis litteris omnes probationes meas deducam*: cui Trypho respondet: *Neque te quoque disserentem sustinuissemus, nisi cuncta ad Scripturas referres*. Non debuit ergo Justinus ad Josephi provocare auctoritatem. Quod idem dicendum etiam est de Clemente alexandrino. Et addi potest quod si omnia modo hujus doctissimi Patris opera extarent, in aliquo ex illis testimonium hoc forsan legeretur. Cypriani scripta legenti constat opus ejus *de Testimoniis* contra Judaeos, totum Scripturarum oraculis esse refertum, nec unum non sacrum inveniri auctorem in sui thematis patrocinium advocatum. Eadem usus est quoque methodo Tertullianus nonnisi ex Scripturarum testimoniis assumens argumenta. Quoad Origenem spectat, nihil is ex proposito adversus Judaeos conscripsit: proindeque nil mirum si testimonium illud praeteriit. Quod autem critici nostri addunt Origenem in 1. contra Celsum mirari quod Fl. Josephus non meminerit Christi, falsum omnino est. En ejus verba: *Atque illud mirandum est, quod Jesum nostrum noluerit fateri esse Christum; et tamen Jacobo testatus sit fuisse tam eximiam justitiam*. Miratur itaque Origenes Josephum fateri noluisse Jesum esse Christum seu Messiam, cum plura de illo et audierit et scripserit. Etiam Theodoretus quem Tanaquillus pro sua sententia citat, Com. in Dan. inquit: *Josephus hebraeus christianam capere noluit professionem, et tamen veritatem occultare non potuit*. Quae verba agnovisse demonstrant testimonium de quo disputamus. Dicamus aliquid de Photii silentio. Quamvis verum esset siluisse Photium de eo testimonio, numquid pluris hujus scriptoris silentis quam Eusebii affirmantis auctoritas facienda esset? Deinde si adulterina quaecumque non exhibuit Photius aestimanda sunt, genuina vero quae ex Josepho Photius repraesentat: sequens adscribendum erit Josepho testimonium, *Hic est Herodes Antipatri idumaei, et Arabissae (Cypris autem nomen ipsi fuit,) filius: sub quo Christus Deus noster, pro salute nostri generis virgineo utero editur: adversus quem furore actus Herodes aberravit quidem a Domino, plurimorum autem infantium interfector fuit*, quoniam hoc scribit Photius Cod. 238. ubi Josephi libros de Ant. jud. recenset. Ast sententia illa Photii est, non Josephi.

Praeterea ex quindecim libris de Ant. jud. non meminit Photius nisi libri 15. ex quo admodum pauca excerpsit. Dicamus ergo alios quatuordecim non esse Josephi, quoniam illos tacet Photius. Itaque ratio cur testimonium illud praeterit Photius, si tamen praeterit, est quoniam non accuratissime flaviana volumina recenset, sed sola librorum argumenta summaque capita describit: quod idem in aliis etiam optimis scriptoribus praestitit quos aliquando penitus neglexit, quamvis frigida non pauca ex infimi subsellii auctoribus aliquando deprompserit. Verum probabile admodum est testimonium illud non omisisse Cod. 238. nulla facta Josephi commemoratione. Nam totidem ac Fl. Josephus verbis ibi de Christo loquitur. Et quod observatione dignum est, statim aliud de Jacobo fratre Domini subdit, quod proculdubio e Josepho desumpsit; quum is solus in Jacobi necem excidium refundat hierosolymitanum. Et tamen testimonium de Jacobo, suppresso Josephi nomine, recitat. Quare testimonium etiam de Christo attulit ex Josepho, quamvis nominatim id non affirmet. Verba autem illa, *Si tamen virum* etc. minime denotant aeternam Christi generationem, sed phrasis est ab auctoribus adhiberi solita, ubi de viro singulariter insigni et mirabilium operum effectore sermo instituitur, ut paullo post fusius dicemus. Deinde si Photii menti opinio de testimonii nostri suppositione, quoniam de divina Christi edisserit generatione insedisset, nonne id in bibliotheca sua expressisset, quemadmodum de libro cui titulus de Universo fecit? Historia denique Judaeorum quae sub Josephi Gorionidis nomine circumfertur, nullius prorsus est auctoritatis. Est siquidem opus a recentiori Judaeo confictum, ut Scaliger adversus Munsterum demonstrat. Et licet opus antiquum esset, quum sibi proponat auctor non accuratam, sed contractam proponere popularibus suis Flavii Josephi historiam, nihil colligi ex ejus silentio posset.

Obj. 2. Testimonium illud cum antecedentibus et consequentibus non cohaeret. Nam in antecedentibus narrat Josephus Judaeorum adversus Pilatum seditionem, cujus meritas dedere poenas. Absoluto autem testimonio de Christo aliud accidisse inquit Hierosolymis quod Judaeos turbavit infortunium. Jam vero si testimonium de Christo e loco moveatur, optime plane cohaerent omnia: post descriptam videlicet Judaeorum contra Pilatum seditionem, aliam referre aggreditur calamitatem. E contra vero orationis series non consistit si unam inter aliamque Judaeorum aerumnam testimonium hoc de quo disputamus intercedat.

Resp. allatum mox argumentum vim aliquam habere posse in mente illius qui in Josephi scriptis sit penitus hospes; nullam autem in eo qui vel extremo digito opera illa contrectaverit. 1. enim in more positum est penes Josephum facta narrare quae relationem cum historia sua habent, nulla temporum servata ratione. Et ne extra librum 18. Antiq. egrediamur, cap. 3. narrat Phraatem Parthorum regem fuisse interfectum ubi initia describit imperii Tiberii Caesaris; quum certum sit occisum fuisse viginti annis ante Christi nativitatem, ut demonstrat Usserius ad an. M. 3984. ac proinde 36. et amplius annis ante annum tertium imperii Tibe-

rii Caesaris. Consimile legere est exemplum lib. 9. ubi de tempore loquitur quo prophetabat Nahum. 2. Familiare est Josepho diversarum congerere rerum narrationes quae aliam habeant connexionem temporum. Quod ex eodem capite patet in quo celebre prostat testimonium. Postquam enim Judaeorum supplicium ob seditionem adversus Pilatum descripserat, e vestigio subdit: *Circa idem tempus, et alia accidit Judaeis calamitas:* et illa penitus omissa, refert illico Decii Mundi et Paulinae matronae romanae in templo Isidis adulterium, historiam calamitatis Judaeorum ad capitis sequentis rejiciens initium, ubi recenset quanta Judaei ob impiissimi viri popularis sui infanda facinora Romae passi sint. Nil mirum igitur si etiam testimonium de Christo extra locum positum esse videatur. 3. Sed contendo Josephum ibi tamquam in loco aptissimo ac propriissimo, ut in brevi tabella, vitam, munus, mortem, resurrectionem, aliaque praeclara Christi gesta fuisse complexum. Nam ibi res narrantur quae tertio vel quarto anno Pilati in Judaea evenerunt, inter quae Christi gesta utique locum habent; quum uno illo tempore baptizatus sit et evangelizare coeperit, ut in confesso est apud omnes: atque ita argumentum cui magis importuni critici fidunt, nullius ponderis est.

Obj. 3. Illius testimonii architectus videtur omnino christianus, et multis sane de caussis. I. quoniam de Christo scribit, *Si tamen virum illum oportet dicere*. Si non homo, ergo Deus: quod nonnisi a christiano potest pectore erumpere. II. ibi dicitur Christus *Magister hominum qui vera libenter amplectuntur*: ac proinde vera docuit et praedicavit. Cumque praedicaverit se esse Messiam, sequitur testimonii hujus auctorem fateri Christum verum esse Messiam: quod dici de Josepho non potest. III. quod subinde etiam clarius per illa verba expressit, *Hic erat Christus*. Quid namque aliud phrasis illa significat nisi: *Hic verus erat Messias?* Quod nonnisi a Christiano affirmari potuit. IV. illudque magis haec alia confirmant: *Cum divini vates haec aliaque quamplurima de eo praedixissent*. Neque enim credere Josephus poterat de Jesu Nazareno Prophetarum oracula fuisse prolata, qui assentationis gratia Vespasiano illa accommodare studuit; quique utpote sacerdos et de secta Pharisaeorum, ex illis erat qui blasphemiis Jesu nomen impetere non desistebant. Bene vero haec omnia ab homine christiano ex Josephi persona proferri subdole potuerunt.

Resp. Nihil in eo testimonio esse ex quo colligi necessario debeat auctorem fuisse christianum. Et quod spectat ad 1. verba illa, *Si tamen virum illum oportet dicere*, oratorio more et per figuram Josephus protulit ut mirabilia a Christo patrata magis extolleret, ac si dixisset: tam magna Jesus gessit, ut Deo propius quam hominibus accedere videretur. Quo sensu de eodem Christo inquit Arnobius: *Et jam si esset id verum* (Christum esse purum hominem,) *tamen pro multis, et tam liberalibus donis quae ab eo profecta in nobis sunt, Deus dici appellarique deberet*. Et ethnicis, judaeis, christianisque scriptoribus familiare est purum hominem per figuram ac sensu mox exposito, Deum aut divinum appellare, cujus rei plura affert exempla Daniel Huetius prop. 3.

Ad 2. Quod addit Josephus doctrinam Jesu iis acceptam fuisse qui vera libenter amplectuntur, non sic intelligendum est ac si ipse Jesu doctrinam divinam existimaverit: sed quod homines qui eam amplexi fuerant, veritatis praeseferrent studium, ac veritatem tam in dicendo quam in agendo quam maxime affectarent. Nec improbabile est in Christianorum illum inclinasse partes, si quae de Jacobo et Johanne Baptista scripsit bene perpendantur.

Ad 3. Ea verba, *Hic erat Christus*, idem sonant ac illa quae de Jacobo scribit Josephus, *Frater Jesu, qui dicitur Christus*: quod probe intelligens S. Hieronymus, graeca Josephi verba, οὗτος ἦν ὁ Χριστός, vertit, *et credebatur esse Christus*; subauditur quippe, ὁ λεγόμενος, sicut in illis ab impiis satellitibus prolatis, *Propheliza nobis Christe*, *quis est qui te percussit*; et in illis aliis, *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum*, titulo crucis inscriptis.

Ad 4. Non ipse Josephus Jesu gestis Prophetarum aptat oracula, sed quae ex publica fama et e discipulorum Christi fide qui ita credebant et praedicabant circumferebantur, ibi recitat historicus; ac si dixisset, eos qui Jesum colebant et venerabantur, credidisse illum esse Christum, resurrexisse a mortuis, et Prophetarum oracula de Messia fuisse in illo completa. Haec de Jesu publica tunc ferebat fama, a quibus narrandis non poterat absque livoris suspicione temperare Josephus. Etsi enim gente ex illis erat qui Jesu nomen maxime oderant, munus tamen gerebat historici qui partium studio abripi minime videri vellet. Et illud denique observatione dignum est, quod non modo Christum Jacobum ac Johannem Baptistam commendatos testimonio suo voluit, sed nullibi in ejus operibus minimum verbum legitur contra Christianos, quamvis de illorum moribus non raro loquatur. Qui plura desiderat adeat Danielem Huetium, Laurentium Berti, Salmasium, Ceillerium.

CAPUT X.

Quomodo suaderi Gentilibus possit advenisse Deum ad humanam carnem assumendam, illumque esse Jesum Nazarenum.

Fracta, prout potuimus Judaeorum pervicacia, superest modo ut ad Gentiles orationem nostram convertamus, illosque velut manu ducamus ad credendum in Christum, Deum in primis deprecantes ut oculos illorum in impietate detentos divinae gratiae suae largitate adaperiat; nihil enim juvat quod Paulus plantet, Apollo riget, nisi Deus dederit incrementum. Nos interim quantum in nobis erit, quinque proferemus in medium argumenta, ut miseros Gentiles ad Christi capessendam fidem pertrahamus. Primum erit ex mirabili veteris novique Testamenti consensu deductum. Alterum ex Christi ac discipulorum ejus miraculis. Tertium, et speciatim, ex Christi ipsius resurrectione. Quartum ex mirabili christianae religionis propagatione. Postremum ex christiani nominis hostium testimonio. Sed antequam rem

aggrediamur animadvertendum censemus illos praesertim nos alloqui Gentiles qui rectam accuratamque Dei summi ideam habent, ut in nonnullis principiis nobiscum conveniant. Ab illis deinde postulamus ut in iis quae ad historiam pertinent, eam Evangelio adhibeant fidem quae mere saltem humana sit; tum quia talem fidem nec ipsi Judaei infensissimi Christianorum hostes Evangelio negare audent; tum etiam quia non est potior ratio cur humana fides Herodoto, Thucydidi, Tito Livio, Caesari, aliisque, et non Matthaeo, Marco, Lucae, ac Johanni adhibeatur.

MOMENTUM I.

Ex veteris ac novae Legis concentu.

Ille verus Messias in quem omnes credere tenentur est, de quo vaticinia omnia quae ab hominibus divinitus inspiratis prolata fuerunt, sunt adamussim verificata. Deus enim est optimus, sapientissimus, potentissimus: atque idcirco si per homines a se agitatos Messiae adventum praenunciavit, impleri debuit praedictio: quoniam Deus optimus fallere neminem potest, Deus sapientissimus a nullo potest decipi, et Deus potentissimus ab alio non potest retardari quin quod promisit adimpleat. Haec ab homine qui accuratam Dei ideam habeat negari non possunt. Ast vero in Jesu Nazareno completa sunt vaticinia omnia quae ab hominibus divinitus afflatis fuere prolata, ut ex singulorum collatione cum Christi ortu, vita, gestis etc. a nobis supra instituta, luculentissime apparet.

Respondent tamen Gentiles, I. negando Deum praedixisse per homines a se inspiratos adventum Messiae. Nam fieri potest ut illa Prophetarum oracula quibus Christiani ad propriae religionis demonstrandam veritatem modo utuntur, fuerint ab ipsis imposita, et Christo post ejus adventum accommodata. II. dato etiam quod vaticinia ante Christi adventum extiterint, dubium adhuc superest an illae Prophetiae sic a Christianis appellatae, sint verae futurorum praedictiones et non potius praedictiones quaedam implexae, obscurae, et ambiguae. III. quis certo scire potest an a Deo revera sint oracula illa, an potius a fatidicis hominibus?

Sed inania haec esse suaderi facile potest. Et ad 1. demonstrat S. P. Augustinus non potuisse Christianos Prophetarum oracula imponere, ex eo quod eadem in manibus sint etiam Judaeorum Jesu Nazareni inimicorum: unde in Psal. 56. inquit. *Et ne forte dicant duri ad fidem quia nos illas* (Scripturas) *Christiani composuimus, ut cum Evangelio quod praedicamus finxerimus Prophetas, per quos praedictum videretur quod praedicamus; hinc eos convincimus, quia omnes ipsae litterae quibus Christus prophetatus est, apud Judaeos sunt, omnes ipsas litteras habent Judaei. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos.*

Ad 2. V. Testamenti Prophetarum oracula veri nominis esse vaticinia hoc suadetur argumento: Veri nominis vaticinium est rei futurae praedictio, quae necessariam cum naturalibus caussis non habet connexionem:

hujusmodi autem sunt Prophetarum nostrorum praedictiones, ut eas legenti primo intuitu apparet: adeoque vera sunt ac proprie dicta vaticinia. Nec implexae sunt et ambiguae, sed ad unum significandum determinatae, ut ex illorum cum vita Christi collatione superius instituta apertissime liquet.

Ad 3. Quae nullam cum naturalibus caussis necessariam habent connexionem praedicere nonnisi Deus potest. Hinc vel ipse Jamblicus lib. de Myster. sect. 8. *Praescientia*, inquit, *revera nihil est ex omnibus quae generantur, nec ad modum physicae mutationis efficitur, sed nec inventa est et excogitata tamquam ad vitae usum necessaria. In universum nihil in se humani habet, sed divinum quid et supernaturale est, caelitusque ad nos demittitur, ingeneratum et sponte sua praeexistit. Sed nec illa afflatio a daemonibus fit, sed a diis*. Non dicant ergo Gentiles oracula nostra a fatidicis fusa fuisse hominibus.

MOMENTUM II.

Ex Christi ejusque discipulorum miraculis.

Ille verus Messias est ad hominum salutem missus in mundum, qui et per se et per doctrinae suae sectatores in propriae missionis atque doctrinae confirmationem vera patravit miracula. Neque enim suspicari possumus Deum qui nec falli nec fallere potis est, virtutem vera patrandi miracula communicare velle alicui in mendacii errorisque confirmationem. Porro Jesus Nazarenus in missionis ac doctrinae suae confirmationem vera patravit miracula, iisque institutoris comprobavere doctrinam etiam ejus discipuli. Nam plena sunt Evangelia Apostolorumque Acta mirandis operibus a Christo et discipulis ejus in Christianorum dogmatum confirmationem patratis. Caecis etiam a nativitate visum, surdis auditum, claudis gressum, loquelam mutis reddiderunt, ab energumenis ejecerunt daemones, mortuos ad vitam revocarunt.

Non admittunt argumentum hoc Gentiles et inquiunt. I. falsum est Christum ejusque discipulos miracula edidisse. Sed quae Christo adscribuntur, conficta fuerunt ab ejus discipulis; quae vero tribuuntur discipulis, fuerunt a primis Christianis imposita. II. ut demus, subdunt, Christum et illius sectatores prodigia patrasse, nullo tamen modo probari potest facta haec non fuisse virtute daemonis. III. demum fuerint forte illa mirabilia praestigiae et magicae illusiones.

Sed nihil frigidius opponi poterat. Et ad 1. nec ipsi Judaei inter quos Christus versabatur, ausi umquam sunt patrata ab illo miracula denegare, sed vel daemonibus adscribebant, ut Matth. cap. 12. narratur; vel querebantur quod fierent in die Sabbati, ut legitur Johan. cap. 5. v. 10. Atque idem de prodigiis dicendum a discipulis patratis. Nec ea aetate tantum qua Christus ejusque discipuli vivebant, sed deinceps quoque fassi sunt Judaei Christum et Apostolos miracula edidisse: unde Tertullianus lib. cont. Jud. ajebat cap. 9. *Haec operatum Christum nec vos*

diffitemini. Et in Thalmud Tr. Avoda Zara iidem adhuc palam fatentur nomen Jesu vim habere opprimendi venenum. Deinde Gentiles etiam miracula illa agnoverunt, ut fatetur Celsus apud Origenem, et Julianus apostata apud Cyrillum. Nec Mahumetani diffitentur, ut in Alcorano Zoara v. 11. 13. 29. et 30. legere est. Praeterea miraculorum patratione Christus et Apostoli innumeros ad fidem pertraxerunt homines. Numquid obtinere id fictis miraculis poterant? Neque discipuli miracula Christi narrantes aut primi Christiani illa discipulorum, habiti umquam sunt tamquam mendaces et impostores a populis. Ac nihil denique est cur Evangelistis primisque rerum Christianarum scriptoribus eam saltem adjungamus humanam fidem quam apud nos obtinent rerum exoticarum historici.

Ad 2. Mortuos ad vitam revocare, caecis a nativitate tribuere visum, praenuntiare futura quae eveniant, cordium patefacere secreta, aliaque praestare hujus generis, mirabilia sunt quae omnem daemonum superant virtutem. Haec itaque et similia a Christo et Apostolis patrata, daemonum virtuti tribui non possunt. Rursus non solet ea efficere daemon ex quibus insignia resultent in homines beneficia quorum hostis est infensissimus. Ex Christi autem et Apostolorum miraculis nonne innumera resultarunt hominibus beneficia? Accedit his quod Christus ipse accusatus olim ab invidis quod daemonis virtute prodigia patraret, ita impactam sibi calumniam repellit Matth. cap. 12. v. 25. *Omne regnum divisum contra se, desolabitur: et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?*

Ad 3. Miracula a Christo et Apostolis perpetrata nullum habent praestigiarum magicarumque illusionum characterem. Nam patrata illa fuerunt non clam et in tenebris, ut fieri a praestigiatoribus solet, sed palam coram universo populo, ipsisque Christi et Apostolorum inimicis praesentibus. Deinde praestigiatores spectatorum sensus ludificare solent vel turpis lucri gratia vel ad vanum gloriae fumum nanciscendum: quorum nihil vel in Christo vel in Apostolis locum habuit, qui omnia ad Dei honorem et gloriam dirigebant. Ac denique experimento aliquando comprobatum fuit prodigia illa non sensuum illusiones, sed vera fuisse miracula. Nam Lazarus a mortuis excitatus loquebatur, ambulabat, epulabatur. Et miraculum illud quo Christus caeco a nativitate visum restituit, rigorosissimo subjectum per Pharisaeos examini, pro vero miraculo tandem agnitum fuit.

MOMENTUM III.

Ex Jesu Nazareni resurrectione.

In illum tamquam in hominem divinitus missum credere tenentur Gentiles, qui ut suam probaret missionem post triduum a morte redivivus apparuit. Hoc vero fecit Jesus Nazarenus, ut non modo Evangelistae et Apostoli, sed etiam Fl. Josephus a Christi religione alienus in suis scriptis testatur: adeoque tenentur Gentiles illum nobiscum agnoscere et adorare.

Ut Ethnici vim argumenti hujus eludant dicunt, I. potuerunt discipuli Jesu illius corpus per subterraneos subtrahere cuniculos, et ita plebem decipere. Testantur quippe Fl. Josephus lib. 1. de Bello jud. cap. 13. et Philo apud Eusebium lib. 9. Praep. Ev. cap. 37. et Aristeas apud eumd. ibid. hierosolymitanum solum fuisse cuniculis perfossum. II. sin minus ingressi fuerint discipuli per ostium sepulcri ad Christi corpus asportandum. Nam milites sepulcri custodes coram Praeside protestati sunt sibi dormientibus clam a discipulis corpus fuisse sublatum. III. demum potuerunt Apostoli ex nimio amore erga magistrum falso credere illum a mortuis resurrexisse quoniam se surrecturum praedixerat.

Ast parvi momenti sunt haec. Et ad 1. I. narrat Matthaeus Judaeorum Pontifices finxisse Christi corpus dormientibus testibus fuisse subreptum. Ast si bona fide id suspicati fuissent, ut quid eam adhibere fictionem, quum etiam custodibus vigilantibus potuissent discipuli magistri corpus subripere? II. omnes Evangelistae referunt monumentum in quo repositus fuerat Jesus, fuisse in petra excisum, quod universi itinerantes ac peregrini velut oculati testes confirmant: atque adeo non potuerunt Apostoli per subterraneos cuniculos corpus illud subripere. Nec refert Hierosolymae solum cuniculis fuisse perfossum: quoniam non intra urbis moenia, sed ad Calvariae montem positum erat Christi sepulcrum, qui mons petrosus est et deterrimis rupibus asper, ut testes sunt Strabo lib. 16. S. Hieronymus in cap. 50. Isaiae, innumerique alii. III. impossibile fuit Apostolis facinus illud aggredi: quibus nec tantum otii nec tam ingens esse potuit audacia, ut per durissimam silicem tam longos excavarent meatus. Ac denique Christus post resurrectionem quingentis apparuit hominibus, atque cum iis manducavit, bibit, conversatus est.

Ad 2. Exceptio haec satis demonstrat Judaeorum qui ea aetate vivebant voluntariam caecitatem. 1. namque incredibile prorsus est Apostolos viros simplices rudes et adeo meticulosos ut ad satellitum adventum et vocem ancillae trepidaverint, tantum animi et audaciae habuisse, ut sepulcri custodes potuerint tam callide decipere, praesertim cum non parva mora quae furtis contraria est, ad opus exequendum requireretur. Nam ingentem debuissent lapidem submovere, quum inventus sit revolutus; debuissent item sudarium solvere et instites: haec quippe in sepulcro remanserunt. 2. Si milites monumenti custodes dormiebant, quomodo per somnum deprehendere quiverunt Apostolos Jesu corpus subripuisse? A quonam id resciverunt? Neque enim fingi potest dormitasse milites et semivigiles fuisse; tunc enim facile Apostolorum cohibuissent temeritatem. 3. Ex circumstantiis resurrectionem comitantibus satis aperte constat Jesum a mortuis revera surrexisse. Nam Matthaeus narrat non latenter e sepulcro erupisse, sed magno praecedente terraemotu, Angelo immensa luce suffulto descendente de caelo, custodibus ingenti pavore exterritis et rem totam ad principes sacerdotum referentibus. Addit rursus Evangelista multa alia quoque sepulcra dedisse mortuos suos, eosque redivivos in urbe apparuisse. Neque dici potest narrationem hanc

pro lubitu suo finxisse Matthaeum. Nam dum haec ipse scribebat, et Apostoli palam coram populo praedicabant, supererant adhuc vel oculati vel auriti testes complures, nec ullus inventus est qui vel Matthaeum vel Apostolos mendacii redarguerit.

Ad 3. Ad hanc repellendam responsionem oculos injicere sufficit in Evangelia. In iis namque narratur Christum redivivum apparuisse quingentis hominibus, quibuscum manducavit, bibit, locutus saepe, et conversatus est. Narratur discipulos anxios ac dubios diu hac de re fuisse, donec propriis manibus vulnera tetigerunt, et Christum dicentem audierunt, *Palpate, et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

MOMENTUM IV.

Ex mirabili christianae religionis propagatione.

Ille verus est Messias a Gentilibus recipiendus et adorandus cujus doctrina et lex non humana, sed omnipotenti sua virtute Deus per universum orbem diffudit ac propagavit. Neque enim quod malum et impium est potest a Deo optimo speciali providentia promoveri. Talis autem est Jesu Nazareni doctrina et lex. Nam subsidia omnia humana, quae ut Christi religio per universum orbem naturaliter propagaretur necessaria fuissent, christianae eidem religioni plane defuerunt: adeoque universalis illa propagatio vel daemonis vel Dei opus fuit. Non certe daemonis, quoniam ad ipsius destruendum imperium haec religio tendit. Quare remanet ut Dei opus fuerit. Quod vero subsidia omnia humana nostrae defuerint religioni ut longe lateque diffunderetur, multis demonstrari potest momentis.

I. humanum praecipuum subsidium ad doctrinam aliquam religionemque propagandam est institutoris auctoritas atque nobilitas: quod nostrae religioni profecto defuit. Nam illius institutor fuit Jesus Nazarenus vilissimo loco natus et educatus, fabri reputatus filius, faber et ipse, regio quidem genere ortus, sed parentibus pauperrimis. Nullo divitiarum aut humanae literaturae vel principum favore sive plebis obsequio distinctus. A primoribus gentis suae saepe quaesitus ad mortem, et tamquam divinarum humanarumque legum infractor, coram Praeside accusatus in crucem actus est, et inter latrones propriam efflavit animam. Et nihilominus tam ignobilis oculis hominum et vilis institutoris religio ab universo orbe est adoptata. Nonne digitus Dei est hic?

II. alterum quod mirabili religionis propagationi humanum subsidium consulere potest, est discipulorum dignitas atque praestantia, ut per se patet. Ast hoc sane desiderabatur in discipulis Christi, pauci quippe numero erant, plebeii ac obscurissimi, pauperculi, piscium que captura victitantes. Nulla fuit ipsis ars ad suadendum idonea, non ingenii acumen, non scientiae amplitudo, non sermonis fucatus nitor, non vis eloquentiae.

Et his non obstantibus immensum Judaeorum Ethnicorumque numerum ad se pertraxerunt. Numquid haec absque omnipotentissimo supremo numine fieri potuerunt?

III. ea saltem quae praedicabant, illius generis fuerint quae facile ad se pertraherent auditores. Sed nihil minus. Nam doctrina ab ipsis proposita hominum animum primo intuitu potius offendebat quam alliceret. Proponebat nempe ad credendum trinitatem in una natura Personarum, Christi divinitatem, resurrectionem, aliaque sublimia mysteria quae humana ratio non percipit. Praescribebant etiam dura et ingrata; suipsius videlicet abnegationem, sensuum mortificationem, fugam ab illecebris saeculi; rursus, ut populi agros relinquerent, filios, parentes, uxores, et quod magis est, inditam cum lacte religionem. Et nihilo tamen secius ora obstruerunt philosophorum, mutos reddidere oratores dissertissimos, principes ac potentissimos reges ad fidem quam praedicabant converterunt. Haec sane humana virtute fieri non potuerunt.

IV. defuit christianae religionis propagationi et aliud humanum subsidium, quod in emolumentis consistit quae ab iis qui eam amplectebantur possent sperari. Nam nihil in hac vita sectatoribus suis spondebant Apostoli quod non esset aptissimum ad eos retrahendos. Parati namque esse debebant ad bonorum publicationes, ad exilia, tormenta, supplicia, quibus crudeliora inveniri non poterant. Cruces, metalla, ignis, secures, et alia hujus generis teterrimae mortis instrumenta ob oculos semper primis illis Christianis versabantur. Adeo nihilominus christiana religio praevaluit, ut Tertullianus in Apologet. cap. 1. merito scripserit: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis*. Quis in hac tam universali tam celeri tam mirabili diffusione D. O. M. summam non agnoscat potestatem?

V. postremum humanum subsidium ad religionem aliquam propagandam, ne singula percenseam, est temporis diuturnitas. Quae namque mere humana sunt, temporis progressu invalescere possunt. Verum temporis diuturnitate christiana religio non indiguit ut totam qua late patet terram occuparet. Quamvis enim illius Praecones initio numero duodecim essent, nudipedes, inertes, omnique destituti gratia, favore, eloquentia, eruditione; vix tamen triginta praeterlapsi fuerant anni, cum non solum omnes imperii romani partes occupabat, sed ad Indos quoque penetraverat: ita ut vaticinium illud Psalmi impletum sit, *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*. Nec plebeii tantum et rudes, sed principes, reges, philosophi, sacerdotes, rhetores, et cujusvis conditionis homines Christi legem atque doctrinam illico sint amplexati. Potuit ne tam celeris propagatio humanum opus esse?

MOMENTUM V.

Ex infensissimorum christiani nominis hostium testimonio.

Non modo viri sanctitate ac doctrina praestantissimi propemodum

infiniti, sed christiani nominis etiam osores et hostes praeclarum reddidere Jesu religioni et doctrinae testimonium. Ea namque est vis veritatis ut ab invictis quoque pectoribus quandoque erumpat. Et quod viri sanctitate ac doctrina celeberrimi Christi commendaverint religionem, illiusque veritatem invicte demonstraverint, probatione non indiget; quoniam notissima sunt Arnobii, Justini, Tertulliani, Lactantii, aliorumque complurium nomina qui apologias pro christiana religione edidere, easque obtulerunt romanis etiam imperatoribus. Quoad hostes vero christiani nominis, habemus 1. Mahumetanos. 2. Celsum, Lucianum, Julianum apostatam, aliosque eruditos ethnicos. 3. Acta Pilati sub quo Jesus passus est ad Tiberium missa.

Mahumetani licet a christiana religione alienissimi, non diffitentur tamen Christum magnum fuisse Prophetam a Deo in mundum missum ut homines in Dei lege imbueret. Addunt quidem Christo successisse Mahumetem, prophetam alium item missum a Deo: sed quam stulte et inscite id sibi suadeant, alibi Deo dante demonstrabimus. Interim ingenue fatentur optimam fuisse a Christo institutam religionem.

Celsus epicureus, Phlegon, Trallianus, Lucianus samosatensis, Julianus apostata, aliique gentiles scriptores veritatis robore victi denegare minime ausi sunt Christum vaticinandi floruisse virtute, ut Phlegon lib. 2. apud Origenem cont. Celsum; prodigia edidisse et miracula, ut Julianus apud Cyrillum lib. 6. cont. eumd. Julianum; sanissima tradidisse praecepta moralia, ut Celsus apud Orig. loco proxime memorato; et Christi sectatores constantia, castitate, charitate praecelluisse, ut Lucianus in Dial. Peregr. Scio memoratos scriptores fateri quidem Christi ejusque sectatorum opera fuisse admiranda, sed novi etiam in opprobrium illa vertere ac deridere. Sed dum hoc faciunt quid nisi propriam produnt amentiam? Puta, Julianus loco nuper citato ita de Christi miraculis loquitur: *Nisi quis existimet, sanasse claudos et caecos aliquos, et daemone correptos liberasse in viculis Bethsaida et Bethania, maxima opera esse*. Quasi nihil sit ea praestare quae nec magnis sumptibus nec ingenii vi nec armorum aut divitiarum potentia, brevi, nulla humana industria obtineri possunt. Est id rerum deturpatas atque corruptas habere notiones. Lucianus similiter in Peregr. Christianos deridet, eisque vitio vertit quod post ejuratum idolorum cultum labori vigiliisque non parcant, quod alios juvent Christianos, quod nimio amore officiisque maximis sese mutuo prosequantur, quod contemnentes divitias in egenos prompto animo fundant, quod immortalitatem aliaque innumera in altera vita expectent bona, et alia similia. Atque ita dum christianam traducere satagit religionem, eam commendat ac laudibus maxime extollit. Quare christianae religioni obloquentes propriae famae officiunt.

Pontius Pilatus Judaeae procurator, sub quo Jesus accusatus a suis actus fuit in crucem, in Actis quae juxta morem miserat ad Tiberium Augustum tam stupenda de Jesu scripserat, ut Imperator illius apotheosim apud Senatum solicitaverit. Non fuit ergo Jesus vilis ac vulgaris ho-

mo, ut Gentiles opinantur. Non me latet Acta haec conficta censeri a nonnullis, a Clerico nempe, Fabricio, Basnagio. Sed genuina esse reliqui tenent viri docti sive veteres sive recentiores. Et jure. Nam ad Acta Pilati digitum intenderunt, eaque pro Christianorum caussa laudarunt prisci christiani apologistae, Justinus Apolog. 11. Tertullianus Apologet. cap. 5. et 21. et Lucianus martyr apud Eusebium. Eadem Acta tamquam germana agnoverunt idem Eusebius H. E. lib. 2. cap. 2. Chrysostomus Hom. 26. in Ep. 2. ad Cor. Orosius lib. 7. cap. 4. innumerique alii; nec umquam veluti simplices ac nimis creduli a quoquam sunt redarguti.

Sed audiamus quibus ducatur argumentis Basnagius ut suam tueatur opinionem. I. redarguit Tertullianum quod scribat: *Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia christianus, Caesari tunc Tiberio nuntiavit*. Quasi vero, inquit, Pilatus coram allocutus sit Tiberium; nuntiare quippe est ore ad os loqui. Aut narrare potuerit Christi resurrectionem ille, qui a sepulcri custodibus audierat Jesu corpus a discipulis fuisse sublatum. II. nec verisimile est Tiberium postulasse a Senatu Christi apotheosim, tum quia Judaeis infensissimus erat, tum etiam quia si postulasset obtinuisset. III. nimis fidenter, ait, affirmant nonnulli ad Acta Pilati provocasse Justinum: is enim inquit, *Atque haec ita esse cognoscere potestis ex Actis quae scripta sunt sub Pontio Pilato*. Verba autem haec significant Evangelium tempore Pilati exaratum. IV. praesides provinciarum referebant quidem in literas quae ad politiam, non vero quae ad religionem spectabant. V. denique quando Maximinus nonnulla sub Pontii Pilati nomine Acta supposuit, cur Catholici ei non opposuerunt Acta genuina Pilati? Nempe quia nusquam extabant.

Haec autem admodum frigida sunt. Atque ad 1. falsum est verbum, *nuntiare*, semper significare loqui ore ad os: non raro significat etiam aliquem per literas facere certiorem, ut videre est in Ciceronis Ep. 17. ad Atticum lib. 1. Nec a Tertulliano qui novarum in scribendo phrasium inventor extitit, accuratissima loquendi ratio exigi potest. Pilatus autem ignorare non potuit Christum a mortuis vere surrexisse, qui sepulcri custodes quum interrogasset invenit mendaces. Quare nec Josephus illa militum testificatione non obstante, Christi ignoravit resurrectionem.

Ad 2. Quod Tiberius Judaeis infensus esset non demonstrat non potuisse a Senatu Christi apotheosim postulare. Non enim rem gratam, sed ingratissimam faciebat Judaeis qui acerrimi christiani nominis hostes erant. Ideo autem Tiberius a Senatu quod postulavit non obtinuit, vel quia sic divinitus factum est ne idololatrico cultu verus Deus adoraretur, vel quia quum Christus jusserit deos alienos non esse colendos, debuissent Romani ethnicam abjicere religionem.

Ad 3. Non poterat Justinus illis in verbis digitum intendere ad Evangelium, tum quia alloquebatur Gentiles qui Evangelium deridebant, tum quia Pilati tempore nullum adhuc scriptum fuerat Evangelium. Pilatus namque Judaea discessit anno V. Æ. 34. vel 35. et Matthaeus qui primus Evangelium in literas retulit, scripsit sub Nerone vel paullo ante.

Ad 4. Licet quae contra Jesum Nazarenum acta sunt a Judaeis religionem respicerent, illius tamen generis erant quae ad politicum quoque regimen spectarent; agebatur quippe de turbarum quae hierosolymis fuerant caussa assignanda, detegendisque fraudibus Judaeorum. Deinde falsum est praesides provinciarum res dumtaxat ad politicam pertinentes referre consuevisse; ex libro quippe Philonis de Legat. ad Cajum apparet solitos fuisse rerum quotidianarum describere commentarios.

Ad 5. Ante Maximini tempora supposita jam fuerant Acta Pilati, et multorum manibus terebantur. Non poterant ergo Catholici Maximinum velut illorum Actuum corruptorem redarguere, vel ei objicere Acta genuina, quoniam quum multa eaque diversa spuria Acta circumferrentur, facile haec eadem suppositionis poterat Maximinus insimulare.

CAPUT XI.

In quo dum Gentilium sophismata refelluntur, simul demonstratur possibilitas Incarnationis.

Gentiles quum mysteriis meditandis assueti minime sint, quando Verbi divini Incarnatio eis credenda proponitur, e vestigio respondent rem nos impossibilem narrare. Qui enim fieri potest, inquiunt, ut Deus ens summum, infinitum, immutabile, absque perfectionis suae jactura naturam sibi naturaliter copulet humanam? Sed dum ita ratiocinantur apertissime decipiuntur. Nam vel ipsa ratione duce (neque enim revelationem quam non admittunt possumus adhibere,) possibilitas demonstrari potest Incarnationis. Non quidem positive, ut inquiunt, hoc est *a priori*, vel *a posteriori*; quum in rebus naturalibus nec caussa nec effectus divinae Incarnationis reperiatur, est namque ordinis omnino diversi; *In talibus rebus*, ait Augustinus Ep. 137. *tota ratio facti est potentia facientis*: sed negative, demonstrando nimirum nullam in se repugnantiam aut contradictionem involvere quod Deus humanam assumat naturam. Atque id pro viribus hoc in capite praestare conabimur singulas Ethnicorum cavillationes accurate enodando. Sed primitus argumenta nonnulla solvere juvat quae ex ipsis Jesu Nazareni gestis et vita solent opponere.

Obj. 1. Tametsi mirabilia essent quae in vita sua gessit Christus, non tamen talia sunt ex quibus deduci possit fuisse speciali quadam providentia a Deo missum ad homines. Nam consimilia iis quae gessit Christus, fecerunt Socrates quoque et Lycurgus, qui optimas populis dedere leges non minus ac Christus; fecit et Alexander Macedo qui maximam orbis partem citissime domuit; fecit et Mahumetes cujus legem innumeri amplexati sunt populi. II. si quid est in quo Christus commemoratos proxime heroas superaverit, id maxime est quod Christus miracula patraverit, et a nonnullis post mortem fuerit adoratus. Ast miracula patrarunt etiam Vespasianus Augustus, et Apollonius Tyanaeus. Cultum vero a sectatoribus reportavit Simon quoque samaritanus, cui S. P. Q. R. statuam erexit apposita inscriptione, *Simoni deo sancto*.

Resp. ad 1. Quae Jesus Nazarenus dixit ac gessit divina revera fuisse jam satis superque antecedenti capite demonstratum est. Cum gestis vero ac doctrina Christi quae Socrates, Lycurgus, Alexander, Mahumetes fecerunt non esse comparanda, facile demonstrari potest. Nam doctrina a Socrate tradita nihil in se quod humanam excedat philosophiam continet. Ast Christi doctrina nonne innumeris est referta mysteriis? Doctrina Socratis vel ab ipsis ejus discipulis repudiata illico fuit. Discipuli autem Christi sanguinem mirabili constantia fuderunt ne magistri doctrinam abnegarent. Socrates denique mulierosus fuit et iracundus. Castissimis sanctissimisque moribus praeditus erat Christus. Quoad Lycurgum praeterquam quod leges ab eo latae complura contineant absurda, easque suffuratus sit ab Ægyptiis, ut cl. Huetius demonstrat, emendatae ipso vivente fuerunt a Spartanis, et a multis populis repudiatae. Ast nihil horum de lege a Christo tradita legitur. Quod Alexander magnam orbis terrarum partem domuerit quid mirum? Regna, militibus, cede, ferro occupavit. Sed Christus universum imperio suo mundum mysteriorum praedicatione, sanctitate praeceptorum, miraculorum patratione subjugavit. Eadem fere de Mahumete dicas, qui militum potentia et armis suum fundavit imperium et leges impietati hominumque flagitiis accommodatas tradidit, vindictam, polygamiam, veneremque permittens, et ne illius malitia detegeretur, sacrorum studia vetans. Rursus fuerat ipse furti, latrocinii, et impuritatis reus, nullumque est calliditatis genus quod in legibus suis ferendis ausus non sit. Numquid vel minimum horum cogitari potest de Christo?

Ad 2. Characteres quibus a reliquis secernitur hominibus Christus superiori capite jam exposuimus. Falsum autem est Vespasianum Augustum miracula edidisse. Narrant enim alteri oculis capto reddidisse visum, alteri manibus aegroto sanitatem: sed Tacitus ipse affirmat manibus aegrotum non fuisse humana arte insanabilem, nec caeco vim luminis penitus exesam: *Huic non esse exesam vim luminis, et reditura, si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur posse integrari*. Ita medicos dixisse Vespasiano Tacitus narrat, qui eorum miraculorum sic absolvit historiam: *Utrumque qui interfuerunt, nunc quoque memorant: postquam nullum mendacio pretium*; unde nec ipsi Gentiles miraculis illis fidem adjungunt: recteque Livius de Gentilium miraculis initio suorum librorum loquens ait: *Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat*. Apollonium Tyanaeum fuisse ob sua praestigia magicasque artes celeberrimum narrat Eusebius, omnesque consentiunt. Mirabilia complura quae ab ipso facta dicuntur, supposita fuerunt in Christi contemptum a Philostrato mendaciorum consarcinatore. Ac denique quae Apollonio adscribuntur, vel naturae vel daemonum non superant facultatem. Vide Berti tomo 1. lib. 1. cap. 7. Quoad statuam Simoni mago Romae erectam a Senatu, nonnulli id aperte negant affirmantes statuam quae in insula tiberina cernebatur, hanc, ut Gruterus refert, habuisse epigraphem, *Simoni Sango Fidio*, quo nomine Herculem appellabant Sabini. Sed ut demus rem ita

se habuisse ut adversarii contendunt et narrare videtur Justinus martyr, certum tamen est Simonem illum samaritanum cui erexisse statuam Romanos narratur, Christi discipulorum expertum fuisse virtutem, ut habetur in Act. Apost. cap. 8.

Obj. 2. Christus sanctificatus est quando a Johanne baptizatus fuit in Jordane; adeoque non erat magnus ille Propheta qui a Christianis jactatur. II. nec dici potest recepisse baptisma ut sanctus declararetur quamvis esset Sanctitas Sanctitatum. Nam si Deus erat et Sanctus Sanctorum, cur baptisma in signum accepit sanctificationis?

Resp. ad 1. Revera Christus baptismum accepit a Johanne in Jordane ut Sanctus declararetur, non ut tunc primo sanctificaretur. Nam quum Deus simul esset et homo, ab aeterno fuit Sanctitas Sanctitatum, ut a Prophetis appellatur. Voluit autem baptisma suscipere ut Sanctus et Filius Dei coram hominibus manifestaretur: quod adeo verum est ut dum e Jordane ascendebat, vox Patris de caelo audita est dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*.

Ad 2. Quoniam Dei Filius in mundum ut redimeret homines venerat, praebere seipsum illis debuit omnium virtutum exemplar: proindeque ut humilitatem exerceret dignatus est baptizari. Instituendus praeterea ab ipso erat baptismus in remissionem peccatorum: antequam igitur initium praedicationi daret, sanctificare voluit baptismi sui elementum. Neque repugnat eodem baptismo tingi servum ac Dominum; quoniam etsi Dominus esset, humanam tamen assumere dignatus est formam in similitudinem carnis peccati ut eos qui sub peccato erant redimeret; sicque omnia quae hominis sunt in seipso exequi voluit.

Obj. 3. Moyses cultum delevit idolorum, Christus abrogavit legem mosaicam, et Mahumetes tollere debuit legem Christi. Et Christus ipse hoc idem futurum praedixerat. Nam in Evangeliis haec erant olim Christi verba, *Mittam vobis prophetam Mahumetem*, quae Christiani eraserunt.

Resp. Si Christus legem abrogavit mosaicam, is ergo erat Messias in lege promissus. Ast de lege Messiae in lege promissi scriptum est per Prophetas quod usque ad consummationem saeculi sit duratura. Quomodo ergo Christo succedere poterat Mahumetes? Imo e contra: quoniam dum Christus adhuc nobiscum viveret, crebro adventum praedixit pseudo-prophetarum, quorum haud dubie praecipuus fuit Mahumetes. Et falsum penitus est Christianos ab Evangeliis illa erasisse Christi verba, *Mittam vobis prophetam Mahumetem*; quum nullo unquam in codice ante Mahumetis adventum conscripto simile quidpiam legatur.

Obj. 4. Adeo falsum est Jesum Nazarenum Deum fuisse simul et hominem, ut id impossibile omnino sit; quum Deum assumere humanam naturam, apertam involvat contradictionem. Et revera Christiani qui id credunt, ajunt Deum factum esse hominem; atque idcirco credere etiam tenentur Deum desiisse esse quod erat: quod repugnantiam involvit. II. neque dicatur Verbum divinum hominem factum per humanitatis accessionem. Nam hoc etiam implicat contradictionem: quoniam quod aliud fit

per novae rei accessionem, mutatur; Deus autem immutabilis est. III. quae mutatio accidit etiamsi natura in suo esse remaneat. Nam dum anima humana conjungitur corpori, licet id quod intrinsece est, nempe spiritualitatem non amittat, aliquam nihilominus extrinsecam recipit mutationem, quum perficiatur a corpore. Ita divinum Verbum etsi mutatum in sua natura non fuisset dum humanitatem assumpsit, aliquam tamen extrinsecam passum fuisset mutationem, quum perfectum ab ipsa humanitate fuisset. IV. hinc divinitas et humanitas ad unum idemque concurrere debuerunt compositum efficiendum, non minus ac anima et corpus concurrunt ad totum componendum hominem: quod simplicitati opponitur. V. ac postremo, si Deus humanam associasset sibi naturam, nonne novam ac realem adeptus fuisset denominationem? Nova porro realisque nominis acquisitio in subjecto, rei acceptionem supponit a qua perficiatur.

Resp. argumenta haec mera esse sophismata. Et ad 1. Christiani credunt Deum hominem esse factum assumendo humanam naturam, non seipsum in hominem convertendo: quod secundum sane si crederent, affirmare tenerentur Deum in Incarnatione desiisse esse quod erat. Non ita tamen qui Incarnationis mysterium admittunt insaniunt, sed credunt dumtaxat Deum hominem factum per humanae naturae assumptionem. Et quemadmodum anima humana non desinit esse quod est quando corpus assumit, ita Deus mansit quod erat quando humanam sibi copulavit naturam.

Ad 2. Tunc quod aliud fit per novae rei accessionem mutatur, quando novam illam rem in se recipit tamquam in subjecto; non ita tamen si rem illam novam in se recipiat per sui communicationem. Rem perspicuam reddamus exemplo. Anima humana quando corpori unitur, nullam intrinsece patitur mutationem, etiamsi rem novam nempe corpus per accessionem recipiat, quoniam non recipit corpus in se tamquam in subjecto, sed seipsam illi communicat. Similiter quando humanitas accessit Verbo divino, nullam subiit Verbum mutationem, quoniam humanitatem intra suam naturam non recepit tamquam in subjecto, sed illi tantum se communicavit. Unde mutatio siqua fuit, se tenuit ex parte humanitatis, quae quum antea non esset, creata est, et ad novam evecta dignitatem.

Ad 3. Latissimum est inter animam humanam ac Verbum divinum discrimen. Anima humana ideo a corpore perficitur, quoniam corpus et anima duae sunt ejusdem totius partes. Quare dum simul concurrunt ad unum componendum totum, sese mutuo perficiunt et complent. Ast Verbi divinitas et humanitas in Christo non sunt ejusdem totius diversae partes quarum una alterius consortium necessario postulet, sed duae sunt per se integrae naturae quae simul copulantur.

Ad 4. Et quamvis duae illae naturae ad unum concurrant componendum totum, hoc tamen est quoddam compositum, compositum in ratione personae, non in ratione naturae. Hinc humanitas quidem perficitur a divinitate, sed non divinitas ab humanitate. E contra vero anima et corpus confluunt ad componendum hominem in ratione naturae: unde tale

compositum natura dicitur humana; ac proinde sese mutuo perficiunt, quum in se duae illae partes inspectae incompletae sunt ac sese mutuo exigunt.

Ad 5. Deus naturam assumendo humanam, novam utique ac realem adeptus est denominationem, quae ex nova forma profecta est. Verum non divina natura in se et intrinsece novam illam recepit formam, sed e contra nova forma recepta est in humana natura, quae subsistentiam in se divinam recepit. Sic quando Deus denominatus est creator, nihil divinae naturae accessit, sed rebus creatis accessit existentia per quam Deus dicitur creator. Hinc humanitas ad Verbum accedendo, ipsum minime perfecit.

Obj. 5. Si Deus humanam naturam in sensu Christianorum assumpsisset, expoliare debuisset illam naturali sua subsistentia. Incarnatio quippe definitur: Unio divinae personae cum humana natura. Ast nequit humanitas propria sibi naturali expoliari subsistentia; neque enim haec ab essentia seu natura distinguitur. II. imo repugnat apertissime ut humana natura aliena subsistat subsistentia, sicuti repugnat ut existat aliena existentia. III. demum humana natura a divino Verbo assumpta, juxta Christianorum doctrinam integra erat et in suo genere perfectissima. Verum quomodo integra et perfecta, si propriam non habebat subsistentiam?

Resp. ad 1. Complures sunt philosophi qui arbitrantur subsistentiam a natura distingui realiter: quae si admittatur opinio nullam vim habet argumentum. Sed hac missa sententia, certum est apud omnes subsistentiam a natura distingui tamquam modum a re; est quippe modus quidam quo natura subsistit, per quem redditur ipsa natura sui juris et incommunicabilis alteri: atque idcirco alia est naturae, alia subsistentiae notio seu idea. Potuit ergo Deus animam et corpus assumere, eique suam divinam conferre subsistentiam, per quam humanitas non solum esset incommunicabilis alteri, sed fieret etiam juris divini.

Ad 2. Latum est inter existentiam et subsistentiam discrimen. Existentia namque primus est substantiae modus, substantiae ipsi necessario conveniens; est enim id per quod substantia extra nihilum ponitur. Sed subsistentia est substantiae modus secundarius quo res non simpliciter, sed tali modo est. Hinc si anima et corpus existentiam non haberent a parte rei, non essent. E contra vero anima et corpus absque ulla subsistentia realiter et a parte rei existunt si mors intercedat, quamvis personam non constituant. Non repugnat itaque ut humana natura sua expolietur naturali subsistentia, et in ejus locum hypostasis divina substituatur.

Ad 3. Integra et perfectissima humana natura nil aliud in suo conceptu dicit quam animam et corpus. Cumque Deus animam assumpserit et corpus, integram plane ac perfectissimam in se suscepit humanam naturam. Subsistentia modus est, ut diximus, naturae, cui si insit, reddit integram perfectamque personam. Ast Deus non personam, sed solam assumpsit humanam naturam. Et quoniam ei naturae suam largitus est subsistentiam, hinc Christus erat persona, et quidem divina, integra, et perfectissima.

Obj. ultimo. Si Deus humanam in se suscepisset naturam multa sequerentur absurda quorum nonnulla recensebo. I. sequeretur Deum esse immortalem simul ac mortalem. Esset immortalis quia Deus, mortalis autem quia homo. II. sequeretur unicam numero personam operationes habere specie diversas. Esset videlicet in ea persona natura divina, adeoque divina operatio. Esset etiam natura humana, proindeque et actio humana: quae pugnantia sunt. III. sequeretur Deum non esse Deum; concipi quippe posset in potentia ad aliquid recipiendum: quod Dei perfectioni repugnat. Antequam enim fieret homo erat in potentia ad humanitatem assumendam.

Resp. ad 1. Deus utique, in Christianorum sensu, in persona Christi mortalis est et immortalis, sed sub diverso, non sub eodem respectu. Immortalis nimirum secundum divinam naturam, mortalis vero secundum humanam in se susceptam. Propositiones autem contradictoriae de eodem subjecto non repugnant, si sub diverso respectu accipiantur.

Ad 2. Falsum est repugnantiam involvere quod una eademque persona diversas habeat specie operationes, si persona diversas habeat naturas, ut exemplo hominis patet, qui spirituales elicit et corporeas operationes: haec namque proficiscuntur a natura. Cumque in Christo duplex sit natura specie diversissima, duplex quoque esse debet specie diversissima operatio.

Ad 3. Repugnat quidem divinae perfectioni potentia passiva, non repugnat autem potentia activa. Potentia passiva repugnat: quia quum Deus sit actus purissimus, aliquid ei deesse non potest ad quod recipiendum sit in potentia. Ast vero potentia activa quum dicat in se virtutem infinitam, est Dei summa perfectio. Hinc quemadmodum non laeditur summa Dei perfectio si dicatur fuisse in potentia ad mundum creandum, ita ejus perfectio non laeditur affirmando fuisse olim in potentia ad humanam naturam assumendam. Alia Gentiles et increduli congerunt quae ex dictis facilem habent solutionem.

SCHOLION.

Gentiles atque Judaei ad Incarnationis oppugnandam existentiam, argumentum desumere solent etiam ex tempore quo peragi debuit Incarnatio. Sed diverso modo. Gentiles apud S. P. Augustinum in Ep. 102. alias 49. ad presbyterum Deogratias, Q. 2. ita arguebant: *Si Christus se salutis viam dicit, gratiam et veritatem, in seque solo ponit animis sibi credentibus reditum; quid egerunt tot saeculorum homines ante Christum?... Quare Salvator qui dictus est, sese tot saeculis subduxit?* Volebant ergo Gentiles debuisse apparere Christum initio saeculorum. Judaei e contra contendunt Incarnationem esse ad mundi finem differendam. Prophetae enim, inquiunt, spoponderunt venturum Messiam in novissimis diebus, ut Gen. 49. Isaiae 2. Sed utrique decipiuntur. *Multi dicunt, Quare non ante venit Christus? Quibus respondendum est, quia nondum venerat*

plenitudo temporis, moderante illo per quem facta sunt tempora: sciebat enim quando venire deberet. Primo per multam seriem temporum et annorum praedicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit: diu fuerat praedicandus, semper tenendus. Quanto major judex veniebat, tanto praeconum longior series praecedebat etc. ait S. P. Augustinus Tract. 31. in Johan. Sed neque diutius debuit ejus adventum differre. Impleta siquidem fuerant eo tempore quo apparuit, omnia Prophetarum vaticinia, omnesque figurae, ut in superioribus demonstravimus. Neque par erat ut ad minimum tempus lex illa protraheretur, quae mosaicam abrogare debebat legem, sanctitatisque fructus per propria conferre mysteria. Quod autem apud Augustinum regerebant Gentiles citata Ep. 102. eadem quaestione sic S. Doctor solvit ibidem: *Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus praecepta pie et juste vixerunt, quandolibet et ubilibet fuerint, per eum proculdubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus, et apud Patrem manentem, et qui in carne jam venerit: sic credebant in eum antiqui, et apud Patrem manentem, et in carne venturum*. Judaeis vero Messiam in mundi fine praestolantibus, quod Prophetae illum promiserint in novissimis diebus, respondemus per novissimos dies Prophetas aetatem intelligere in qua nunc versamur: quae comparate ad multas alias quae praecesserunt novissima est.

CAPUT XII.

De caussis finali et meritoria Incarnationis.

Quoniam ergo divini Verbi existit Incarnatio, ut contra Judaeos atque Gentiles hactenus demonstravimus, videndum modo est quaenam ejusdem Incarnationis caussae extiterint. Neque vero de Incarnationis caussa loquimur efficiente, quam totam fuisse Trinitatem cujus sunt omnia opera ad extra, nimis perspecta res est, et apertissime declarata a II. Toletana Synodo in fidei professione: sed de caussa finali et meritoria. Inquirimus videlicet quem sibi Deus proposuerit in carne assumenda finem, et an merita aliqua praecesserint Incarnationem.

Quoad primam controversiae partem, nemo diffitetur quin Adami supposito peccato Incarnationis mysterium ad genus humanum peractum sit redimendum a peccato. Nimis quippe aperta sunt Scripturarum oracula id comprobantia, quae paullo post afferemus. Sed negotium facessit singularis quaedam Johannis Scoti sententia quam postea amplexati sunt praeter omnes ejus discipulos etiam Naclantus, Suarez, Catharinus, Ysambertus, aliique plures. Is ergo, nempe Scotus, arbitratur Deum Verbi praedefiniisse Incarnationem antequam peccatum hominis praevideret: ita ut etiamsi Adam non peccasset, Deus nihilominus humanam carnem assumpsisset; non quidem ut homines redimeret, quum nullum fuisset peccatum: sed ut eos doceret, illorumque caput esset et princeps. Sed quoniam Adam

peccavit, aliud, inquit Scotus, Deus edidit decretum quo sancivit ut homo a peccato liberaretur; sicque Verbum divinum, juxta illius opinionem, in mundum venit tum ut esset dux et doctor hominum, tum ut eos redimeret vi decreti praevisionem peccati subsequentis, a servitute diaboli. Ita Scotus, quique cum eo faciunt. Sed reliqui Theologi systema illud rejicientes affirmant Verbum divinum humanam non fuisse assumpturum naturam nisi Adam omnesque posteri ejus peccassent.

De caussa autem Incarnationis meritoria nulla oriri potest contentio, si res accurate distinguantur. Nam considerari potest Incarnatio et quoad substantiam, et quoad circumstantias. Priori modo spectata nil aliud est quam ipsa hypostatica unio divinae et humanae naturae. Considerata autem posteriori modo respicit vel tempus vel locum vel stirpem etc. Rursus aliud est meritum de *condigno*, et aliud de *congruo*. Illi praemium debetur ex rigorosa justitia, huic vero ex quadam condecentia. His praenotatis facile intelligitur nec veteres Patriarchas nec B. Virginem nec ipsam Christi humanitatem promereri potuisse de condigno aut de congruo Incarnationem secundum substantiam acceptam, quamvis illam promereri potuerint quoad circumstantias de congruo. Sed clarius haec paullo post explicabimus. Interim sit

CONCLUSIO I.

Si Adam non peccasset, Verbum divinum humanam naturam non assumpsisset.

Prob. 1. Scripturis. Isaiae cap. 61. v. 1. legitur: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam*. Matth. cap. 18. v. 11. Christus de seipso inquit: *Venit filius hominis salvare quod perierat*. Johan. cap. 3. repetit se in mundum venisse, *Ut salvetur mundus per ipsum*. Et cap. 10. v. 10. *Ut vitam habeant*. Et Lucae cap. 19. v. 10. *Venit filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat*. Et Paulus ad Rom. 5. v. 8. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*. Et ad Gal. cap. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum ... ut eos qui sub lege erant redimeret*. Et in 1. ad Tim. cap. 1. v. 15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. Infinitus essem si omnia Scripturae testimonia ad rem facientia in medium afferre vellem. Interim ex hactenus recitatis apparet non alium sibi proposuisse finem Deum ut Filium suum in mundum mitteret ad humanam assumendam naturam, nisi ut hominem a peccato liberaret; neque enim nobis pro arbitrio nostro licet in rebus quae a sola Dei voluntate pendent, caussas quae revelatae non sunt comminisci.

Respondent autem huic argumento Scotistae, in recensitis Scripturae

locis aliquam quidem , sed non primam ac nobiliorem assignari caussam adventus Christi .

Sed subtiliter magis quam vere . Nam 1. tum in locis mox laudatis tum alibi saepe quoties caussa assignatur adventus Christi, altum de quovis alio fine habetur silentium . An ne verisimile est Deum in caussis adventus Filii sui assignandis silentio praeterire voluisse maximam, praecipuam, et ut inquiunt, motivam ? 2. Laudatis in testimoniis adventus Christi caussa haec assignatur , ut charitas Dei nimirum erga nos commendetur : *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum unigenitum daret* » *Commendat autem charitatem suam Deus* » *Deus autem dives est in misericordia* . Ast Dei charitas et misericordia non admodum reluceret si in mundum , etiam non supposito Adami peccato, venisset . 3. In Scripturis pro caussa adventus Filii Dei ita assignatur redemptio nostra a peccato ut quaevis alia caussa excludatur . Matth. namque cap. 9. v. 12. Christum dixisse legitur : *Non est opus valentibus medicus , sed male habentibus ... Non enim veni vocare justos , sed peccatores* . Idem totidemque verbis narrat Lucas cap. 5. v. 32. Similiter apud Matth. cap. 18. explicans Christus adventus sui caussam , comparat se pastori qui dimissis nonaginta novem ovibus unam quaerit quae perierat . Ut ergo pastor solitudinem non adiret nisi periisset ovis, ita Christus non venisset in mundum si homo non peccasset .

Prob. 2. Traditione . Irenaeus lib. 5. cap. 18. inquit : *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum fuisset* . Tertullianus de Carn. Christi cap. 14. *Eadem ergo est caussa* , inquit , *ut hominem gestaret Christus : salus hominis fuit caussa , scilicet ad restituendum quod perierat* . Origenes Hom. 24. in Num. scribit : *Si non fuisset peccatum , non necesse fuerat Dei Filium agnum fieri : sed mansisset hoc quod erat in principio Deus Verbum* . Athanasius Orat. 3. cont. Arian. *Ceterum ut fieret homo , numquam destinatum fuisset Verbum , nisi hominum necessitas ejus rei caussam praebuisset* . Basilius Hom. 29. *Filius Dei homo factus est propter Adam qui ceciderat* . Gregorius nazianzenus Orat. 36. *Quaenam humanae propter nos susceptae naturae caussa extitit ? Nempe, ut nos omnes salutem adipisceremur* . Ambrosius de Incarn. cap. 6. *Nam quae erat caussa Incarnationis , nisi ut caro quae peccaverat redimeretur* ? S. P. Augustinus Serm. 174. alias 8. de Verbis Apost. cap. 2. *Si homo non periisset , Filius hominis non venisset* . Et cap. 7. *Quare venit in mundum* ? Peccatores salvos facere . *Alia caussa non fuit , quare veniret in mundum . Non enim de caelo ad terram merita nostra bona , sed peccata duxerunt . Haec est caussa cur veniret peccatores salvos facere* . Eadem ferme repetit Serm. seq. hoc est 175. alias 9. cap. 1. inquiens : *Nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere . Tolle morbos , tolle vulnera , et nulla caussa est medicinae . Si venit de caelo magnus medicus, magnus per totum orbem terrarum jacebat aegrotus* . Paria his habent Leo M. Serm.. 3. in Pent. Fulgentius de Incarn. cap. 8. Gregorius M. in lib. 4.

Reg. aliique Patres quorum testimonia arbitror sub oculos non habuisse Scotum, quando systema illud suum praeformavit quod postea nonnulli alii amplexati sunt.

Verum eludere putant argumentum quod ex Patrum testimoniis depromitur, respondendo sanctos Patres loqui de adventu Christi in carne passibili. Et certe, inquiunt, si Adam non peccasset, Christus in carne passibili non venisset, venisset tamen in carne impassibili.

Hoc tamen miserum est effugium. Nam sancti Patres pro maxima, singulari, eaque unica caussa adventus Christi assignant mundi peccata: quare nisi fuissent in mundo peccata, neque in passibili neque in impassibili carne Christus venisset. Deinde S. P. Augustinus tum citatis in locis tum in lib. 1. de Peccat. merit. cap. 26. 27. et 28. nostro innixus principio, adversus Pelagianos peccati originalis demonstrat transfusionem etiam in parvulos hoc argumento: Christus in mundum venit etiam pro parvulis; hi enim ad Jesum pertinent: Christus in mundum non venit nisi pro peccatoribus, nec alia fuit adventus sui caussa: itaque etiam parvuli antequam ad usum perveniant rationis sunt peccatores. In adversariorum autem sententia frivolum foret Augustini argumentum. Nam potuissent Pelagiani reponere non unam habuisse caussam Christum ut in mundum veniret, venturumque fuisse etiamsi Adam non peccasset. Ne ergo tantum Ecclesiae Patrem velut insulsum argutatorem reprehendamus, contrariam potius a nostra opinionem abjiciamus.

SCHOLION.

Solent hic inquirere Theologi an Verbum divinum humanam assumpserit carnem propter originale peccatum dumtaxat, an vero etiam propter actualia. Et facilem habet quaestio haec solutionem. I. de fide est divinum Verbum humanam sibi copulasse naturam propter originale peccatum simul et actualia. Nam Isaiae cap. 53. legitur: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Et Matth. cap. 1. *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Et Johan. 1. Ep. cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Quibus in testimoniis sermonem fieri tum de originali tum de actualibus peccatis nemo non videt. II. magis praecipue tamen in humana carne Dei Filius apparuit propter peccatum originale; venit quippe ad sanandam praesertim infirmam nostram corruptamque naturam, et ut dissolveret *opera diaboli*, juxta Johannem; atque *ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*, juxta Apostolum ad Hebr. cap. 2. v. 14. Fecerat autem haec omnia mala originale peccatum, ut per se manifestum est. III. etiamsi nulla in mundo fuissent actualia peccata, extitisset tamen peccatum originale, Filius Dei humanam naturam induisset. Venit quidem in mundum, ut promereretur hominibus vitam aeternam eosque salvaret. *Non enim*, ait Johan. cap. 3. v. 17. *misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*.

Et cap. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant*. Ast homines per solum originale peccatum perierant et jus amiserant ad vitam aeternam: atque idcirco etiamsi aliud praeter originale non fuisset peccatum, Filius Dei humanam naturam assumpsisset.

CONCLUSIO II.

Nec sancti Patres, nec B. Virgo, nec ipsa humanitas Christi, aut de condigno aut de congruo divinam promereri potuerunt Incarnationem quoad substantiam; bene vero potuerunt illam promereri de congruo quoad circumstantias.

Prob. prop. per singulas partes, et I. quoad veteres Patriarchas ex divinis Scripturis a quibus Incarnatio nullis hominum meritis, sed gratuitae misericordiae adscribitur. Johan. enim cap. 3. v. 16. legitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Apostolus ad Eph. cap. 2. v. 4. *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo*. II. ex Patribus quorum in re tam manifesta unus sufficiat Augustinus qui in Psal. 85. scribit: *Neque enim merita nostra praecesserant, pro quibus Filius Dei moreretur: sed magis quia nulla erant merita, magna erat misericordia*. Et Serm. 174. alias 8. de Verb. Apost. *Non enim*, inquit, *de caelo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt*. III. ratione. Principium meriti, ut fert vulgare Theologorum proloquium, cadere non potest sub merito. Divini autem Verbi Incarnatio principium erat cujuscumque meriti sive de condigno sive de congruo, quod veteres habere poterant Patriarchae. Quomodo ergo poterant ipsi Incarnationem sive de condigno sive de congruo promereri?

Prob. altera thesis pars. Non meruit B. Virgo de condigno Incarnationis substantiam. Nam meritum de condigno inter alia exigit *condignitatem* seu proportionem inter opus patratum atque mercedem, et ex parte remunerantis promissionem. Meritis autem B. Virginis comparate ad Dei maternitatem seu Incarnationis substantiam, defuerunt duae illae conditiones. Nam 1. quantumvis praestantissimae conditionis essent opera B. Virginis, non habebant tamen cum divina maternitate proportionem, ut per se patet. 2. Nec ulla intercessit Dei promissio; quum B. Virgo non modo divinam maternitatem tamquam sibi promissam non expectabat, sed quando nuncium de illa accepit, turbata est in sermone ejus. II. sed neque Incarnationis substantiam meruit de congruo. Ad meritum namque de congruo requiritur ut opus cui ex condecentia praemium debetur, ad praemium ipsum vel natura sua vel ex operantis consilio referatur. Ast B. Virginis opera quum essent ejusdem cum nostris naturae, per se certe ad divinam maternitatem et Incarnationis substantiam non referebantur. Cumque in singulis actibus suis humillima esset, opera sua proprio consilio ad divinam non retulit maternitatem.

Prob. tertia pars auctoritate Augustini, qui ut demonstret nostram ad gloriam praedestinationem esse omnino gratuitam, in exemplum assumit praedestinationem humanitatis Christi ad hypostaticam unionem, dicens quod quemadmodum Christi humanitas nullis praecedentibus meritis praedestinata fuit ad unionem hypostaticam, ita et nos nullis sive actu sive praevisione praecedentibus meritis, praedestinamur ad gloriam. En Augustini verba Ench. cap. 36. *Hic* (in mysterio Incarnationis) *omnino granditer et evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personae unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quae bona voluntas, cujus boni propositi studium, quae bona opera praecesserunt, quibus mereretur iste homo, una fieri persona cum Deo?* Gemina his habet de Praed. Sanct. cap. 10. Quare aut inaniter argumentabatur S. Doctor adversus Pelagianos, aut falsum est contrarium systema.

Prob. postrema pars auctoritate S. Thomae qui Q. 11. art. 2. inquit: *Ex congruo tamen meruerunt sancti Patres Incarnationem petendo et desiderando; congruum enim erat ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant*. Idque angelicus Doctor asserit cohaerenter ad sacram Scripturam. Nam Psal. 131. legitur: *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Et Dan. cap. 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum*. En circumstantiae seminis ex quo secundum carnem oriri debuit Christus, et temporis quo debuit apparere, Davidis ac Danielis meritis repromissae. II. Basilius Hom. de Nat. Chr. *Cum*, inquit, *integritati Mariae parem hominum aetas illa nullam haberet ... electa est B. Virgo*. Ambrosius lib. 11. de Virg. *Maria digna extitit, ex qua Dei Filius nasceretur*. Hieronymus Ep. 2. ad Eustoch. *Tantae puritatis Maria extitit, ut mereretur effici mater Filii Dei*. Augustinus lib. 2. de Peccat. merit. et remis. cap. 24. *Ideo virginem matrem non lege carnis peccati ... concipientem, sed pia fide sanctum germen in se fieri promerentem ... elegit*. Concinunt his Patres omnes sive graeci sive latini; unde S. Thomas 3. p. q. 2. ar. 11. merito scribit: *B. Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei.*

Contraria argumenta dispelluntur.

Obj. 1. cont. priorem thes. In sacris literis multae aliae praeter hominum redemptionem assignantur caussae adventus Filii Dei in mundum; videlicet ut esset hominum magister, Matth. cap. 23. v. 10. *Magister vester unus est, Christus*: ut esset pastor, Johan. cap. 10. v. 14. *Ego sum pastor bonus*: et vitae auctor, ibidem, *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant*: et legislator, Jacobi cap. 4. v. 12. *Unus est legislator*: et animarum nostrarum sponsus, Psal. 18. v. 6. *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo*: ut esset denique sapientia, justitia, et

sanctificatio nostra, 1. ad Cor. cap. 1. *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio*. Quare etsi homo non peccasset, Filius Dei nihilominus in mundum venisset. II. neque solvitur argumentum reponendo recensitas ex Scriptura caussas adventus Christi esse secundarias. Nam fuisse videntur revera caussae primariae, secundaria vero hominum redemptio; quum Deus antequam Adami lapsum praevideret, jam Filium suum decreverit mittere in mundum. Legitur quippe Prov. cap. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*. Qua in sententia sermo fit de Verbo divino ut homine, quemadmodum ex verbo, *possedit*, vel ut Septuaginta legunt, *creavit*, apparet; et ex quo Christus dicatur ad Colos. cap. 1. v. 15. *Primogenitus omnis creaturae*.

Resp. ad 1. Multae quidem in sanctis paginis assignantur caussae cur de caelis in terram Verbum divinum descenderit ad humanam naturam assumendam. Sed caussae illae omnes secundariae sunt, et a primaria dependentes, quae est humani generis redemptio: ita ut nisi homo per peccatum redemptione indiguisset, non venisset in mundum ut magister esset, et pastor, et legislator etc. Quod ex iisdem Scripturae locis in argumento allatis facile suadetur. Ibi Christus venisse dicitur ut esset magister. Sed quibus? Illis videlicet qui habitabant *in regione, et umbra mortis*. Dicitur quoque pastor. Sed pastor bonus qui nonaginta novem relictis ovibus, per deserta loca errans, quaerit *ovem quae perierat*. Appellatur et legislator, *sed ut eos qui sub lege erant redimeret*. Et auctor vitae spiritualis nominatur, sed pro illis qui *communicantes carni et sanguini, jam mortui erant*. Et sic porro de reliquis characteribus. Unde nihil hisce Scripturae testimoniis adversarii proficiunt.

Ad 2. Multo minus eorum caussam juvat textus ex Prov. libro depromptus. Primo quoniam si in adversariorum sensu explicetur, Deus Filium suum mittere decrevisset de caelo, non modo ante peccati praevisionem, sed etiam antequam decerneret condere hominem; sicque venturus fuisset Dei Filius etiamsi homines non extitissent. Deinde quoniam laudata duo testimonia intelligenda sunt de Christo prout Deus est, non quatenus homo; ita ut prioris sententiae sensus sit, Filium extitisse in Patre *in initio viarum suarum*, hoc est, *ab aeterno*; alterius vero, Verbum genitum esse ante omnem creaturam, a tota videlicet aeternitate; praesertim cum satis mentem suam aperiat Apostolus verbis immediate sequentibus, *Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes ... omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*. Ita plerique Patrum allatos Scripturae textus exponunt. Nec obstat quod Septuaginta interpretes pro, *possedit*, legant, *creavit*; quodque de eadem divina sapientia Eccl. cap. 24. legatur, *Ab initio, et ante saecula creata sum*; et, *Prior omnium creata est sapientia*. Nam verbum, *creavit*, ut contra Arianos disputantes diximus, latiori quodam sensu quandoque sumitur, idemque valet ac *producere*, abstrahendo an id ex nihilo vel per generationem fiat: quem sensum hisce in locis habere ver-

bum, *creare*, ex aeternitate illi adjuncta apparet, expressa per illud comma, *ab initio*, *ab aeterno*, *et ante saecula*. Nec officit similiter quod Paulus ibid. subdat: *Ipse est caput corporis Ecclesiae*, quae verba de Christo prout homo est, intelliguntur; quum enim utraque natura in Christo sit, modo de illo Scripturae loquuntur prout Deus est, modo vero prout est homo. Demum, si allata Scripturae testimonia accipere malint Scotistae de Christo secundum humanitatem, non proinde quidquam illorum caussam juvant. Nam textus ex Proverbiorum libro desumpti sensus erit, Christum ut hominem praedefinitum ab aeterno fuisse principium creationis spiritualis seu operum redemptionis. Ab Apostolo autem Christus ut homo vocatur *primogenitus* in creatione nova, quia remissionem habemus in sanguine ejus, ut versu praecedenti inquit idem Apostolus. Vel quia dignitate ac praestantia omnes alios superat homines: quo sensu passim nomen illud usurpatur in Scripturis, et in libro praesertim Apoc. cap. 1. v. 15.

Obj. 2. cont. eamd. thesim. Apostolus ad Rom. cap. 1. v. 4. loquens de Christo Jesu inquit: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*, *priusquam fieret ex semine David*. Hinc Christus praedestinatus dicitur Filius Dei longe antequam ex semine David fieret: quae praedestinatio nequit de Christo enunciari ratione divinitatis, secundum quam genitus est non praedestinatus; adeoque ratione humanitatis. Atque idcirco Christus praedestinatus fuit homo antequam alii homines praedefinirentur. Quare etiamsi Adam non peccasset, Christus homo fuisset. II. nec aliam admittere potest interpretationem apostolica allata sententia. Nam ita Christus praedestinatus fuit Filius Dei, ut esset omnium praedestinatorum sive hominum sive angelorum exemplar et caput, ut ait idem Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 29. Exemplar autem praecedere debet ea quae ad ejus imaginem efformantur.

Resp. Pauli verba in primis non sic legi debent ut ab adversariis citantur, sed hoc modo: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, *qui praedestinatus est Filius Dei in virtute etc.* Propterea non exibent argumentum quod inde colligunt adversarii. Quaenam ergo illorum est intelligentia verborum? Uno modo graeci, alio latini Patres testimonium exponunt, neutrorum autem interpretatio Scotistis favet. Juxta Graecos, post Chrysostomum, τὸ *praedestinatus*, in allata sententia idem valet ac *manifestatus* seu *declaratus*; ut sensus sit Christum natum ex semine David, manifestatum fuisse ac declaratum multis argumentis Filium Dei. Quae interpretatio cohaerere cum Apostoli mente videtur; ait enim ibidem Christum praedestinatum fuisse *in virtute*: En potentia miraculorum. *Secundum spiritum sanctificationis*: En Spiritus sancti discipulis suis collatio. *Ex resurrectione mortuorum*: En propria ex mortuis excitatio. Quae omnia argumenta sunt Christi divinitatis. Ast secundum latinos Patres hunc habent Apostoli verba sensum: *Qui factus est in tempore ex semine David*, *secundum carnem*, *ille idem praedestinatus ab aeterno erat Filius Dei in virtute etc. etiam post assumptam humanitatem*. Neque enim aliquid fit in tempore quod non ab aeterno fuerit praedefinitum. Est ne aliquid in utraque hac expositione quod Scoti systemati faveat?

Ad 2. Christus praedestinatus omnium praedestinatorum cum hominum tum angelorum exemplar fuit, sed dignitate ac praeeminentia, et etiam influxu ac gratiae largitione quoad homines lapsos, sed non quoad angelos et hominem innocentem. Quum enim Christus qua homo et Deus simul, caput sit hominum et angelorum, omnibus certe dignitate ac excellentia praeeminet; eoque sensu exemplar est sive hominum sive angelorum praedestinatorum. Sed et alius est sensus quo Christus caput dici potest et exemplar praedestinatorum, quatenus nimirum gratiae largitio ab ipso profluit ad gloriam consequendam. Hoc autem sensu non est Christus electorum angelorum et hominis innocentis praedestinationis exemplar, quoniam hi non Christi, sed sola conditoris gratia ad gloriam consequendam indigebant. Est autem praedestinationis hominum lapsorum caput in statu naturae corruptae, in quo ad habendam gloriam gratia necessaria est medicinalis et ab intrinseco efficax.

Obj. 3. cont. eamd. prop. Christus in mente Dei, juxta Irenaeum lib. 3. cap. 33. praeextitit Adamo. Quo circa etiamsi hic non peccasset, Filius Dei futurus fuisset Christus. II. formatus fuit de limo terrae Adam ad exemplar corporis Christi, ut Tertullianus lib. de Resurr. Carn. demonstrat. Ac ideo venisset Christus quamvis non peccasset Adam. III. benedictio, teste S. Cyrillo lib. 15. thes. fuit ante maledictionem. Ast benedictio, secundum Cyrilli sententiam, est Christus, sicuti maledictio, Adam. IV. S. Pater Augustinus lib. 1. de Nupt. et concup. scribit Ecclesiae conjunctionem cum Christo significatam fuisse per matrimonium Adami et Evae in statu naturae innocentis; proindeque antequam Adam peccaret, jam Christi in carne adventus praedefinitus erat.

Resp. ad 1. et 2. Christus in mente Dei, juxta Irenaeum, praeextitit Adamo non quidem creando ac formando, sed creato jam ac formato. Quando videlicet Deus plasmabat Adamum, jam de Christo Adami Salvatore cogitabat, quoniam Adami peccatum jam tum ab aeterno praeviderat, propter quod mittere Filium suum decreverat in mundum. Atque ita in tempore, ut inquit Tertullianus, ad exemplum futuri corporis Christi, Adami corpus formavit.

Ad 3. Benedictio praedestinata fuit ante maledictionem actu promeritam et illatam, non ante maledictionem praevisam. Hoc est, antequam Adam in tempore actu peccando, Deus in ejus filios maledictionis ferret sententiam, jam Deus ab aeterno decreverat mittere Filium suum in quo omnes gentes terrae benedicerentur. Atque haec est Cyrilli alexandrini mens.

Ad 4. Per Augustinum in sopore Adami innocentis praefigurata fuit Christi mors, quae in adversariorum sententia illata illi non fuisset nisi Adam peccasset. Quomodo ergo repugnat ut in Adami et Evae innocentium matrimonio magnum praefiguraretur sacramentum in Christo et in Ecclesia? Nempe si dicamus haec facta fuisse in tempore, decretum autem de divino Verbo in mundum mittendo ad salvandos homines per mortem, et ad Ecclesiam constituendam emanatum fuisse post Adami lapsus praevisionem a tota aeternitate.

Obj. 4. cum Scotistis. Quum Deus sit summum bonum, est proculdubio suipsius communicativus. Quocirca etsi Adam non peccasset, Deus nihilominus seipsum communicasset hominibus per Incarnationem. II. si divinum Verbum ob Adae peccatum humanam carnem assumpsit, nonne mysterii Incarnationis excellentiae derogatur? tantum enim bonum egisset per accidens. Nonne possemus de Adami lapsu gloriari? III. Adam nullo nunc fruitur gloriae gradu quem acceptum referre non debeat Christo. Inter merita autem Adami ob quae gloria fruitur, computantur etiam opera in statu innocentiae patrata quae vivificata fuerunt a Christo: hinc etiamsi Adam in originali perseverasset justitia, Verbum tamen in impassibili carne venisset ut meritis nostris virtutem largiretur.

Resp. ad 1. Quamvis Deus ex quo sit summum bonum suipsius sit communicativus, non semper tamen eodem modo seipsum communicat. Hoc est, in operibus ad intra seipsum communicare tenetur perfectissimo modo. Ast in operibus ad extra nullum debitum habet ut se perfectissimo modo communicet. Quare si Adam non peccasset, seipsum communicasset hominibus per gratiam, non per hypostaticam unionem.

Ad 2. Incarnatio respectu humanae naturae quae libera erat ad peccandum vel perseverandum, bonum est per accidens; non est autem bonum per accidens respectu Dei qui Adami praeviso peccato hominis decrevit reparationem per Filium in mundum mittendum. Hinc non de primi parentis peccato, sed de Dei laetamur misericordia quae tanto malo per culpam illato dignata est largiri remedium: eoque sensu canit Ecclesia: *Oh felix culpa quae talem ac tantum meruit habere redemptorem!*

Ad 3. Meritis ab Adamo in statu innocentis naturae sibi comparatis debetur gloriae gradus intuitu Christi redemptoris; quatenus videlicet merita illa per peccatum mortua, revixerunt per poenitentiam quae meritoria fuit intuitu Christi redemptoris.

Obj. 5. adv. alteram prop. Si sancti Patres mereri a Deo non potuissent Incarnationem, ausi certe non fuissent illam a Deo enixe postulare; non enim petiissent quod se non posse mereri scivissent. Petebant tamen, et his phrasibus soliti erant Deum deprecari: *Mitte quem missurus es* „ *Rorate caeli desuper, et nubes pluant justum etc.* Adeoque noverant se promereri posse Incarnationem. II. etiam humanitas Christi unionem promeruit hypostaticam seu Incarnationem. Nam Psal. 44. haec de illo leguntur: *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Quibus in verbis, *unctio*, juxta sanctos Patres unio est hypostatica. Hanc autem promeruisse dicitur Christus dilectione justitiae et odio iniquitatis, ut ex illa particula, *propterea*, patet. III. hoc idem colligitur etiam ex lib. Apocal. cap. 5. v. 12. ubi de Christo legitur: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem.* Videlicet: Christus est per hypostaticam unionem Deus, quia dignus fuit ut esset.

Resp. ad 1. Veteres sancti Patres non Incarnationis substantiam, sed illius accelerationem orationibus suis petebant, ut ex precum forma aper-

tissime apparet; ajebant quippe: *Mitte quem missurus es*. Hanc autem promereri potuisse de congruo non diffitemur.

Ad 2. Complures sancti Patres, inter quos Hieronymus, per oleum laetitiae denotari hoc in loco docent non unionem hypostaticam, sed exaltationem et gloriam per resurrectionem a mortuis, per ascensum in caelum, et potestatem ei a Patre collatam: quae omnia promeruit utique Christus *dilectione justitiae et odio iniquitatis*, virtutum nempe omnium exercitio dum nobiscum versaretur, juxta illud apud Lucam cap. 24. v. 26. *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Sed etsi cum aliis Patribus per *oleum laetitiae* unio intelligatur hypostatica, non proinde tamen consequitur illam promeruisse Christum. Nam particula illa *propterea*, in allato textu idem valet ac *propter hoc*, scilicet in hunc finem; unde commatis sensus est: *Dilexisti justitiam etc. ad hoc enim unxit te Deus*.

Ad 3. Etiam Johannes virtutis ac divinitatis nomine quam accipere meruit Christus, ejusdem Christi intelligit exaltationem et gloriam; ideo enim Christus dignus dicitur quia tamquam agnus occisus est. Atque haec de scholastica controversia. Nunc ad dogmaticas controversias adversus haereticos properandum est.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXIII.

IN QUO PRAECIPUA FIDEI DOGMATA CIRCA ESSENTIAM INCARNATIONIS PROPUGNANTUR, AC UTILIORES SCHOLASTICAE QUAESTIONES AD REM FACIENTES RESOLVUNTUR.

Accurata disserendi methodus postulat ut rei de qua disseritur existentia demonstrata, de rei ejusdem essentia pertractetur. Postquam ergo de Incarnationis existentia Judaeos revicimus atque Gentiles, par est ut modo de ejusdem Incarnationis essentia disseramus. Sed in ipso tractationis nostrae limine immensa nobis haereticorum turba occurrit; Valentiniani nempe, Simoniani, Marcionitae, Manichaei, Apollinaristae, Nestoriani, Eutychiani, Monothelitae, aliaeque humani generis pestes acerrimum catholicae de Incarnatione fidei bellum indicentes: et nonnulli circa carnis veritatem, plures circa sanctissimam Christi animam, non pauci circa hypostaticam unionem, multi circa ambas naturas, aut circa volontatem et operationem, et alii circa alia stultissime delirant. Nos itaque hoc in libro supremi numinis freti auxilio tot perditissimorum hominum arrogantiam pro viribus reprimere conabimur. Nec quaestiones illas scholasticas quae a majoribus nostris pro catholico dogmate magis illustrando institutae sunt praeteribimus. Verum ne rerum copia pertractandarum a concertatione cum fidei hostibus, et a Teologorum placitis discutiendis animum nostrum retrahat, integram libri hujus disquisitionem in tres veluti partes dividemus: atque in priori brevissime de persona assumente, in altera de natura assumpta, in tertia vero de unione hypostatica multis capitibus pertractabimus.

CAPUT I.

Statuto catholico dogmate quod sola Filii persona humanitatem assumpserit, inquiritur an illam assumere omnes simul divinae Personae potuerint, vel per sese ipsa divina natura.

Catholica Fides haec est, ut secunda Trinitatis persona, videlicet Filius, quem et personam a Patre distinctam et verum Deum esse Patri consubstantialem in opusculis nostris de Trinitate demonstravimus, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, e caelis descenderit, et humanam assumpserit naturam. *Pater non est incarnatus*, inquit Augustinus Tract. 36. in Johannem. *Spiritus sanctus non assumpsit carnem*, idem sanctus Doctor de Trinitate. *Non eamdem Trinitatem natam de virgine*, ibid. lib. 1. cap. 4. Eo autem stultitiae devenere Sabelliani ut sibi suaderent non Dei Filium, sed Patrem carnem assumpsisse humanam, seque in ara crucis immolasse pro peccatis nostris; unde Patripas-

siani dicti sunt, ut Augustinus Tract. 36. in Johan. observat. *Sabelliani dicti sunt quidam haeretici qui vocantur et Patripassiani, qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse*. Ideo autem impii illi haeretici ita desipuerunt, quoniam nonnisi unicam in divinis admittebant personam, ut agentes de Trinitate adnotavimus: quam personam considerantes prout mundum condidit illumque gubernat, Patrem; prout ortum e virginis utero habuit, Filium; prout gratiam largitur hominibus, Spiritum sanctum appellabant: atque ita Filius ac Spiritus sanctus, juxta Patripassianos nil aliud sunt nisi duae operationes ad extra. Nostrum itaque erit demonstrare solam Filii personam fuisse incarnatam. Utque magis catholica veritas elucescat, demonstrabimus quoque assumptionem proprie dictam humanitatis non posse divinae naturae competere; nec repugnare, quidquid Scotus ejusque discipuli regerant, ut tres sanctissimae Trinitatis personae humanam potuerint assumere naturam.

CONCLUSIO I.

Sola persona Filii humanam naturam assumpsit.

Prob. Scripturis. Johan. 3. v. 16. ita legitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Apostolus ad Gal. cap. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum ... ut eos qui sub lege erant redimeret*. Idem Johan in 1. Ep. cap. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli*. In Evang. cap. 3. narrat Christum haec dixisse: *Pater major me est*.

Prob. 2. Trad. S. P. Augustinus Tract. 37. in Johan. *Gratias Domino*, inquit, *quia et ipse Arianus recessit ab errore sabelliano, et non est patripassianus; non dicit ipsum Patrem indutum carne venisse ad homines, ipsum esse passum, ipsum resurrexisse: et quodam modo ad se ascendisse*. S. Fulgentius lib. cont. Serm. Fastidiosi cap. 11. *Non tota Trinitas*, inquit, *carnem assumpsit, nec tota Trinitas passionum injurias sensit ... et si qua sunt alia quae convincantur in sacramento illo Incarnationis, ad solius Filii pertinere personam. Haec enim quae catholicae veritati Fastidiosus plena falsitatis et perversitatis objecit, nonnisi Sabellianis, idest Patripassianis possunt veraciter objici*. Et infra: *Eos* (Patripassianos) *sua perversitas ... ad hanc absurditatem praecipitat, ut ... passionem ac mortem, resurrectionem quoque ab inferis, et ascensionem in caelum, et omnia illa quae in sacramento Incarnationis ad personam unius Filii pertinent, Patri consequenter assignent*. Rufinus aquilejensis Enarr. in Symb. Apost. affirmat ad illum articulum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, addi, *invisibilem et impassibilem*. Et ejus additionis afferens caussam inquit: *Sciendum quod duo isti sermones in Ecclesiae Romanae symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos haereseos caussa Sabellii, illius profecto quae a no-*

stris patripassiana appellatur; *idest quae et Patrem ipsum vel ex virgine natum dixit, et visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas a Patre, videntur haec addidisse majores, et invisibilem Patrem atque impassibilem dixisse. Constat enim Filium, non Patrem incarnatum* etc. Paria his scribit Leo M. in Ep. ad Turibium. Ex quibus colligitur veterem traditionem ita credidisse solam Filii personam humanam assumpsisse naturam, ut Patripassianos contrarium tenentes tamquam impios haereticos sint ubique insectati.

Prob. 3. ratione. Non alia de caussa Patripassiani effutiebant non Filium, sed Patrem humanam induisse naturam, nisi quia Trinitatis personas confundebant blasphemantes, *Patris et Filii et Spiritus sancti unam atque eamdem esse personam, tamquam idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur*; ut Leo M. inquit in Ep. nuperrime laudata. Dogma autem illud impium esse jam demonstravimus agentes de Trinitate.

SCHOLION.

Quamvis sola Filii persona humanitatem sibi copulaverit, dici nihilominus catholice potest Patrem quoque ac Spiritum sanctum fuisse in humanitate, sed per meram *concomitantiam*. Neque vero alio sensu illa Christi verba apud Johan. cap. 8. *Solus non sum: sed ego, et qui misit me, Pater*; et illa alia cap. 14. *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* et illa Pauli ad Colos. cap. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, explicari possunt quam si dicamus, Patrem in Christi humanitate fuisse per concomitantiam; quatenus scilicet Filii persona quae humanae naturae impertitus est subsistentiam, eamdem numero cum Patre ac Filio habet essentiam. Hinc Cyrillus alexandrinus in Ephesino Concilio ajebat: *Erat Deus Pater cum Filio, hoc est, cum incarnato humanatoque Verbo, prout is a Filio separari nequaquam potest, per unionem nimirum identitatemque divinae naturae.*

CONCLUSIO II.

Divina natura sine relationibus considerata assumere proprie non potest naturam humanam.

Prob. Ut haec assumptio vere proprieque fiat, necesse est ut vel divinitas tribuat subsistentiam humanitati, vel e contra humanitas divinitati. Nam talis esse debet ea assumptio, ut in unione naturarum unitas sit personae. Ast neutrum dici potest. Non primum quoniam divina natura spectatur sine relationibus; proindeque absque ulla subsistentia. Sed neque alterum quoniam quum humana subsistentia sit aliquod creatum atque finitum, quomodo per illam increata divina natura subsistere potest? Proprie itaque loquendo, divina natura si expoliata consideretur relationibus, nequit humanam naturam assumere.

SCHOLION.

Si de assumptione improprie ac lato modo dicta loquamur, etiam natura divina assumere potest humanitatem. Nam principium ex quo actio proficiscitur qua Verbi persona proprie assumit humanitatem, non est ipsa divina hypostasis, sed natura. Atque hoc sensu Ferrandus in Ep. ad Anatolium inquit, *Passam esse divinitatem*, et, *divinitatem Filii sempiternam a Maria generatam*; nam e vestigio subdit: *Divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est, quia non separatim* (ab hypostasi Verbi) *nata est*. Ejusmodi locutiones in veterum Patrum scriptis passim occurrunt quae nonnisi de assumptione improprie accepta possunt intelligi.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cont. 1. thes. verbis cujusdam Clerici patripassiani seu potius insulsi sophistae apud Anselmum lib. de Incarn. Verbi cap. 8. *Si in Deo tres personae sunt una tantum res, et non sunt tres res, unaquaeque per se separatim sicut tres angeli aut tres animae, ita tamen ut potentia et voluntate sint idem: Ergo Pater et Spiritus sanctus cum Filio est incarnatus*. II. si Filius dumtaxat humanam carnem assumpsit, divina natura quae est in Filio, dici debet incarnata. E contra eadem divina natura, prout est in Patre ac Spiritu sancto, incarnata dici non poterit. Repugnat autem ut una eademque natura dicatur incarnata et non incarnata; atque idcirco non solus Filius humanam carnem assumpsit. III. una persona sine alia incarnari non potuit; Incarnatio quippe est opus ad extra. Opera vero ad extra singulis communia sunt personis.

Resp. ad 1. Patrem Filium ac Spiritum sanctum unam tantum esse rem, videlicet unam naturam, non unam tantum hypostasim. Nam in divinis una est natura in tribus distinctis personis, quarum secunda eamdem cum Patre et Spiritu sancto naturam habens, humanitatem sibi copulavit, eam terminando seu communicando illi propriam hypostasim.

Ad 2. Argumentum nimis probat. Nam in hoc tandem ratiocinatio illa recidit: Quidquid est Pater, id est quoque Filius: Pater habet paternitatem vimque gignendi Filium: ergo hoc ipsum habere debet quoque Filius. Insulsa ratiocinatio. Unde respondeo cum Anselmo lib. de Incarn. Verbi cap. 4. *Cum Filius non assumpserit hominem in unitatem naturae, sed in unitatem personae ... si Filius incarnatus est, et Filius non est una et eadem persona quae Pater est, sed alia: non idcirco esse Patrem incarnatum necesse est*. Persona itaque divinam habens naturam, non ipsa divina natura incarnata est.

Ad 3. Incarnatio est opus ad extra quoad actionem productivam, non vero quoad terminum. Duo quippe in Incarnatione speotanda sunt, *actio*, et *terminus*. Actio est virtus illa Dei omnipotentissima qua factum est ut humana natura propria expoliaretur subsistentia, et assumeretur a

divina persona. Atque actio haec est opus ad extra toti Trinitati communis. Terminus autem Incarnationis est persona illa quae propriam largitur humanae naturae subsistentiam, eamque sibi substantialiter unit: qui terminus est ad intra, quoniam a sola Filii persona tamquam a caussa subsistente ac relativa proficiscitur. Rem totam explicat Fulgentius in Resp. 2. ad Ferrandum: *Quia inseparabilis est operatio Trinitatis, servilem formam quam unigenitus Deus accepit, tota Trinitas fecit, quam tamen certum est a tota Trinitate factam, sed ad solam Filii Dei pertinere personam. Neque enim sicut est in ea totius Trinitatis una operatio, sic in ea Trinitatis invenitur communis acceptio. Etenim proprietas personalis, quia non ipse Pater est qui Filius, nec Spiritus sanctus est ipse qui Pater aut Filius, ostendit aliquid a Patre et Filio et Spiritu sancto factum, quod tamen a solo Filio inveniatur acceptum.*

Obj. nunc adv. alter. prop. Cyrillus alexandrinus in Ep. ad Successum ita scribit: *Unum dicimus Filium, et quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam*. Eadem tradiderat ante Cyrillum Athanasius. Quae demonstrant potuisse divinam naturam incarnari.

Resp. 1. Nonnulli veteres Patres laudatam Cyrilli sententiam explicantes affirmant alexandrinum Antistitem φύσιν pro ὑπόστασιν, *persona*, accepisse. Quae expositio si vera est, jam nullam ea verba praeseferunt difficultatem; sensusque erit, *Unam hypostasim Dei Verbi incarnatam*. 2. Johannes Damascenus hanc eamdem exponens sententiam docet Cyrillum naturae nomine naturam intelligere in hypostasi Verbi spectatam, non in abstracto, sive prout communis est tribus personis. Ait autem ad rei intelligentiam tribus modis divinam essentiam posse considerari; vel in abstracto, sicque non a parte rei, sed in mente tantum cogitantis existit: vel in communi, prout scilicet ex aequo est in tribus personis: vel in individuo, seu prout ab una potius quam ab alia hypostasi modificata est. Subdit deinde Cyrillum in illis verbis naturam divinam accepisse tertio exposito modo. Hac admissa interpretatione quam plerique Patrum ac Theologorum amplectuntur, nihil ex allatis verbis contra nostram sententiam eruitur. Idipsum sentiendum de Athanasio, nisi malis cum Leontio Bizantino affirmare textum fuisse ab haereticis depravatum.

CAPUT II.

An Verbum divinum verum, non phantasticum corpus humanum assumpserit; illudque procreatum in utero Virginis fuerit, non de caelo delapsum.

Superfluum puto hoc in loco inquirere cujus speciei naturam Verbum divinum assumpserit. Nam si paucissimos eosque obscuri nominis haereticos excipias qui Angelum Christum gestasse somniarunt, quique a Tertulliano lib. de Carne Christi refutati sunt, omnes consentiunt humanae speciei fuisse ab eo assumptam naturam; venit quippe Filius hominis quae-

rere et salvum facere humanum genus quod perierat: ideoque *non angelum*, ut ait Apostolus, *non speciem aliam, sed semen Abrahae apprehendit*.

Non eadem tamen animorum consensio est ubi de humanae naturae a Verbo assumptae veritate sermo instituitur. Immensa namque impiorum turba circa corpus, non pauci circa animam a vero exorbitarunt. Sed de anima Christi in subsequentibus. Nunc tantum de corpore. Vel ab ipsis ergo Apostolorum temporibus Simon magus a Philippo diacono baptizatus, et ob tentatam chrismatum emptionem a Petro apostolo repulsus, contra Christi carnis veritatem blasphemare coepit, inquiens se esse Filium Dei phantastico corpore indutum et passum sub Tiberio. Hanc de simulata Christi carne impietatem quamvis portentosam adscivere tamen deinceps Saturninus, Basilides, Julius, Cassianus, Marcus quidam praestigiarum peritus, Cerdo, Manes, et cum innumeris aliis Priscillianistae, putido ore asserentes corpus Christi non verum, sed phantasticum, umbratile et apparens fuisse.

Insaniam hanc quum corrigere vellet Valentinus aegyptius, ut Irenaeus lib. 1. de Haer. cap. 4. refert, in aliud incidit extremum. Et quoniam ex Hesiodi theogonia plurium hauserat deorum fabellas, postquam triginta sibi finxit deos quos *heonas* appellabat, statuit heonas illos Jesum procreasse, eique tribuisse corpus ex siderea substantia in superioribus caeli partibus formatum: quod tamen per Mariam virginem veluti aqua per canalem transierit, nihil ex ejus purissimis sanguinibus sumens. Addebant praeterea teste Tertulliano lib. de Praescr. cap. 51. Christum in ascensu suo ad caelum singula quaeque elementa quae in suo descensu mutuatus fuisset reddidisse; *et sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in caelum spiritum tantum conscendisse*. Duplicem hanc haereticorum stultitiam juvat in praesentiarum refellere. Quare sit

CONCLUSIO I.

Verbum divinum corpus assumpsit verum et reale.

Prob. 1. Scripturis. Matth. cap. 1. haec occurrunt: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Johan. cap. 1. v. 14. *Et Verbum caro factum est*. Ibid. cap. 8. *Quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum*. Apostolus ad Hebr. cap. 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*. Christus idem Matth. cap. 26. ajebat: *Hoc est corpus meum*. Et cap. 20. jam dixerat: *Ecce ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte ... et tertia die resurget*. In singulis Evangeliis passim narratur Christum ante gloriosam suam resurrectionem jejunasse, esuriisse, sitisse, ambulasse, lassatum fuisse ex itinere, manducasse ac bibisse cum discipulis suis, tristem fuisse, dolores passiones et mortem fuisse revera expertum, acceptis in corpore suo vulneribus, et san-

guine effuso. Post resurrectionem vero ostendens Apostolis accepta vulnera, *Palpate*, inquit Lucae cap. ult. *et videte: quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et, *Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum*. Porro qui haec omnia in corpore suo fecit atque sustinuit, dicendum est non reale, sed umbratile et apparens habuisse corpus? Summa dementia est.

Prob. 2. argumentis a Tertulliano adversus Phantasiastas usurpatis. I. corpus quod Verbum assumpsit, passiones et contumelias sustinuit. Nequit autem phantasticum corpus passionibus subjici et contumeliis. II. corpus quod admittit contactum illumque violentum, nequit esse corpus apparens: *Tangere enim et tangi, nisi corpus nulla potest res*, inquit Lucretius. Ejusmodi vero contactum admisit in corpore suo Christus. Nam Hemorroissa solo vestium ejus attactu sanata est; proindeque si phantastica non erant Christi indumenta, nec phantasticum erat corpus illis contectum. Sed admisit etiam attactum violentum quando milites manus injecerunt in eum. Ita lib. 4. contra Marcion. cap. 8. III. si Christus carne circumdatus fuisset umbratili, illos qui eum credidere phantasma, citra simulationem atque mendacium redarguere non potuisset. Redarguit autem dicens: *Palpate, et videte etc. Si phantasma erat*, inquit Tertullianus ibid. cap. 45. *cur illos phantasma credentes increpabat? At quia adhuc eis non credentibus, propterea cibum desideravit, ut se ostenderet etiam dentes habere*. IV. sic ratiocinari prosequitur Tertullianus eod. lib. cap. 42. Si Christi corpus quod cruci affixum fuit erat phantasma, quando Christus mortuus est *nihil ergo remansit in ligno: nihil pependit post expirationem: nihil de Pilato postulatum: nihil de patibulo detractum: nihil sindone involutum: nihil sepulcro novo conditum*. Nam si dum Christus expiravit discessit e cruce spiritus, discedere debuit et phantasma, quod nihil est aliud quam quiddam apparens a spiritu confictum. *Atqui non nihil. Quid igitur illud erat? Si phantasma, adhuc ergo inerat et Christus. Si discesserat Christus, ergo abstulerat phantasma. Superest impudentiae haereticae dicere phantasma illic phantasmatis remansisse*. V. Christus praedixit se moriturum, sanguine proprio se redempturum genus humanum, tertia die ad fidem suam confirmandam ex mortuis resurrecturum. Ast si verum ac reale corpus non habuisset, nec mortuus fuisset, nec sanguine redemisset genus humanum, nec ex mortuis resurrexisset; proindeque fallax fuisset ac mendacissimus, quod ne suspicari quidem licet. Ita Tertullianus lib. de Carn. Christi cap. 16. et S. P. Augustinus cont. Faust. lib. 26. cap. 8. Argumentis allatis accedit veterum Patrum auctoritas. Nam Irenaeus lib. 5. adv. Haer. cap. 2. Phantasiastas appellat vanos homines, haereticos impios. Tertullianus contra Basilidem, Apellem, et Marcionem veritatem corporis Christi denegantes ex professo disputavit. Idem praestitere Epiphanius adversus Basilidem, S. P. Augustinus contra Faustum manichaeum, omnesque alii Patres deinceps.

CONCLUSIO II.

Corpus quod Verbum assumpsit non fuit caelo delapsum, sed in Virginis utero procreatum.

Prob. Isaias cap. 7. v. 14. Christi praenuntians nativitatem inquit: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium*. Rem ita accidisse eventu fuit comprobatum. Nam Matthaeus Christi genealogiam per avos et atavos describens incipit ab Abraham, et descendit usque ad Joseph quem vocat virum Mariae, *de qua natus est Jesus qui vocatur Christus*. Si autem Christi corpus ex sidereis particulis compactum de caelo descendisset, nec virgo illud concepisset, nec avos, proavos, atavos habuisset ex semine Abraham. Et ne Valentiniani reponant Christi genealogiam scriptam a Matthaeo non fuisse, observandum est 1. non Matthaeum modo, sed et Lucam eamdem enarrare genealogiam ducendo illam ab Adam, ut legenti caput 3. apparet. 2. Paulus ad Hebr. cap. 2. v. 16. *Nusquam enim*, inquit, *angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit* Christus. Et ad Gal. cap. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Et ad Hebr. cap. 7. v. 14. *Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster*. Et ad Rom. cap. 1. v. 2. *Factus est ei ex semine David secundum carnem*. Quae omnia Christi confirmant genealogiam a Matthaeo exaratam. 3. Non fuisse Matthaei Evangelio Christi genealogiam alienа manu assutam S. P. Augustinus lib. 28. contra Faustum manichaeum similia delirantem aperte demonstrat ex eo quod Ecclesia ab ipsius Matthaei temporibus usque ad hoc tempus certa successionum serie Evangelium illud, Christi referens genealogiam prout modo legitur, perduxerit.

Adversariorum cavillationes dissolvuntur.

Obj. I. cont. 1. prop. Apostolus ad Philip. cap. 2. v. 7. de Filio Dei loquens scribit: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Si in similitudinem hominum, non itaque verum ac reale corpus assumpsit. II. et quidem fuit Christus per Apostolum in similitudinem hominum non quoad vitae statum et consuetudinem, sed quoad carnis substantiam. Nam ait Apostolus Christum inventum fuisse *habitu* ut hominem, hoc est, *quasi* hominem, videlicet secundum externam apparentiam. III. quod confirmatur ex iis quae Apostolus idem habet in Ep. ad Rom. cap. 8. v. 3. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati* etc. Cumque hoc in loco similitudinis nomine nonnisi externam intelligat apparentiam, neque enim Christus carnem habuit peccati, fit ut in Epistola quoque ad Philip. nomine similitudinis hominis intelligat externam hominis apparentiam.

Resp. ad I. 1. cum Tertulliano dicente Christum per Apostolum factum fuisse in similitudinem hominum, non quoad externam apparentiam, sed quoad conceptionem. Nam apparuit quidem ad instar ceterorum ho-

minum genitus : sed conceptus revera in utero Virginis fuerat virtute Spiritus sancti, ut catholica fides docet. 2. Respondent alii dici Filium Dei ab Apostolo in similitudinem hominum factum, quoad vitae statum et conversationem, non quoad carnis substantiam. Et apposite plane ad Apostoli scopum, qui hortatur Philippenses ut mitem humilemque ducant vitam ad Christi institutoris nostri imitationem, *Qui cum in forma Dei esset ... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Poterat quippe gloriosam ducere vitam, nec subjici morti; et nihilominus ceteris hominibus similis apparere voluit in vitae statu et consuetudine, doloribus se subjiciens, passionibus, ac ignominiosae morti.

Ad II. respondeo verbis Ambrosii in Ep. ad Sabinum: *Nec sibi blandiatur virus Apollinaris, quia ita legitur, Et specie inventus ut homo. Non enim negatus est homo Jesus; cum alibi ipse Paulus de eo dicat, Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: sed confirmatus est. Id enim est usus et moris Scripturarum sic significare; sicut et in Evangelio legimus, Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. Sicut ergo quasi unigenitus Dei Filius; ita quasi homo dicitur, et perfectio fuisse in eo hominis non negatur*.

Ad III. Falsa omnino est allata comparatio. Ideo quippe in Ep. ad Rom. per similitudinem intelligit Paulus meram externam speciem, quoniam repugnat Christo peccatum. Caro siquidem ejus Spiritus sancti genita erat virtute, hypostatice conjuncta divinitati; ac per illam damnari debuit peccatum. Ast non repugnat ut vera esset ac realis in Christo caro quam Deus manibus suis plasmaverat: atque idcirco in Ep. ad Rom. similitudo externam significat apparentiam, non item in Ep. ad Philip. Haec pro tuenda desumpta ex Ambrosio responsione. Ceterum responderi potest similitudinem utrobique significare externam speciem, cum hoc tamen discrimine, quod in Ep. ad Philip. externa species refertur ad vitae statum externamque consuetudinem, in Ep. vero ad Rom. ad peccatum, neutro in loco ad carnis substantiam.

Obj. 2 cont. eamd. thes. Idem Paulus in 1. ad Cor. cap. 15 v. 50. damnare videtur carnem et sanguinem, *Caro*, inquiens; *et sanguis regnum Dei possidere non possunt*. Repugnat autem ut Filius Dei quod damnabile est assumeret. II. hinc Apostolus idem in 2. ad eosd. Cor. cap. 5 v. 16. ingenue fatetur se errasse aliquando, Christum veram habuisse carnem existimando; ait enim: *Et si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus*.

Resp. ad I. 1. Paulus a regno caelorum excludit non veram et realem carnem absolute, sed opera carnis et sanguinis, nempe peccata juxta Scripturae phrasim, quae per carnem et sanguinem opera mala crebro intelligit, ut Gen. cap. 6. v. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*. Et revera non introibit in caelestem Jerusalem aliquid coinquinatum et abominationem faciens, ut ait Johannes in Apoc. Ita Apostoli textum exponit S. P. Augustinus in lib. de Vera Relig. cap. 12. scri-

bens: *Hoc autem pacto* (per peccatum) *vita carnalis et terrena efficitur, et ob hoc etiam caro et terra nominatur, et quandiu ita est, regnum Dei non possidebit*. 2. Dici quoque potest excludere Apostolum a caelorum regno humanum corpus fragile et corruptibile quale nunc habemus; loquitur ibi quippe de corpore in novissimo die resurgentium, quod incorruptibile erit et gloriosum in similitudinem corporis Christi postquam resurrexit a mortuis. Hanc etiam responsionem suppeditat Augustinus in lib. contra Adimantum cap. 12.

Ad II. Falsa penitus est allata in argumento verborum Apostoli intelligentia. Hunc enim habent laudata verba sensum: Etsi olim pluris fecerimus quod Christus natus esset ex genere nostro secundum carnem, modo tamen veterem exuentes hominem non amplius censemus ea in re esse gloriandum. Scribit namque Apostolus adversus falsos quosdam magistros qui se veros esse apostolos jactabant, quod consanguinei essent Christi.

Obj. 3. Indignum Deo omnino videtur verum ac reale assumere corpus: quae enim inter infinitum et finitum proportio? II. si Christus veram habuisset carnem, inferioris fuisset ab Angelis conditionis: quod aperte repugnat, quum fuerit super Angelorum choros exaltatus. III. quae in suo corpore Christus gessit satis ostendunt non aliam quam phantasticam et umbratilem habuisse carnem. Nam virginali claustro minime fracto natus est ex Maria; e sepulcro clauso monumento revixit; januis clausis ingressus est ad Apostolos.

Resp. ad 1. Si Deo indignum videtur verum assumere corpus, cur Deo indignum non erit assumere corpus phantasticum? Deinde non verum ac reale corpus, sed mendacium Deum qui veritas est per essentiam, quam maxime dedecet. Mentitus autem fuisset si carnis assumpsisset tantum umbram, quum tam frequenter dixerit se verum habuisse corpus. Ac denique, *Si visibilia munda a visibilibus immundis contingi possunt, et non inquinari; quanto magis invisibilis et incommutabilis Veritas per spiritum animam et per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberavit*? Ita S. P. Augustinus lib. de Agon. Chr. cap. 18.

Ad 2. Christus veram assumendo carnem, ejusdem carnis ratione fuit utique inferioris ab Angelis ordinis: Sed jam praedixerat id Psalmista scribens: *Minorasti eum paullo minus ab Angelis*. Sedet autem eadem Christi humanitas super choros Angelorum non ob naturalem sui conditionem, sed ob infiniti valoris merita per unionem hypostaticam sibi comparata.

Ad 3. Prodigia a Christo in corpore suo patrata demonstrant quidem infinitam ipsius virtutem, sed non destruunt proprii corporis veritatem. Si enim Peripateticos circa corporis naturam scisciteris philosophos, respondebunt tibi consistere illam in exigentia extensionis; extensionemque actualem, et gravitatem, et impenetrabilitatem etc. meras esse corporis proprietates quae auferri divina virtute possunt a corpore ipsa remanente corporis essentia. Si audias Carthesianos, corporis essentia consistit in actuali extensione. Potest autem Deus, inquiunt, actualem extensionem vel dilatare

vel coarctare, quin corporis essentia pereat. Recentiores autem philosophi licet a Peripateticis in eo dissideant quod velint corporis essentiam esse ignotam, cum ipsis tamen conveniunt in eo quod extensio, impenetrabilitas, gravitas etc. sint proprietates essentiales corporis. Quod ergo Christus e Matris utero egressus sit absque virginitatis laesione, ingressus sit ad Apostolos januis clausis etc. id factum est quoniam Deus, juxta Peripateticos, per infinitam virtutem a Christi corpore abstulit extensionem, impenetrabilitatem etc. vera corporis relicta essentia: vel juxta Carthesianos quod Deus actualem corporis Christi extensionem ita coarctaverit, ut ea prodigia praestare potuerit quae de ipso narrantur.

Obj. 4. cont. eamd. prop. In V. T. juxta complures graecos Patres Filius Dei apparebat hominibus, coram eis ambulabat, manducabat, loquebatur etiamsi verum non haberet corpus. Quidni ergo dicamus eodem modo in novo quoque se gessisse Testamento? II. vel dici potest corpus Christi fuisse corpus quoddam assumptum, non natum; quomodo fuit corpus columbae in quo visus est Spiritus sanctus.

Resp. ad 1. Etsi latinorum sententia Patrum affirmantium veteribus Patriarchis non Dei Filium, sed Angelos apparuisse, de qua re legatur Augustinus in libris de Trinitate; nihilominus admissa etiam graecorum Patrum opinione retorqueri in adversarios potest argumentum. Nam Patres illi qui tradunt apparuisse Patriarchis Verbum divinum, tradunt etiam assumpsisse corpus, non fictitium et umbratile, sed verum ac reale. Et quamvis admitteretur corpus illud apparens fuisse et aëreum, nihil tamen eruere inde possent phantasiastae, quum ex ipsa Scriptura discrimen eruatur inter corpora illa visa a Patriarchis, et corpus Christi visum ab hominibus in N. T. Nam qui antiquis apparuerunt, sive Angeli fuerint sive divinum Verbum, saepe fassi sunt se aërea gestare corpora, uti cibo invisibili etc. quae numquam legitur dixisse Christum. Ac denique si Dei Filius assumere in N. T. corpus voluisset aëreum, haud dubie potuisset, sed noluisse testatur Evangelium. Ita Augustinus noster lib. 29. cont. Faust. manich. cap. 4. *Hoc autem eum voluisse ideo certum est, quia hoc fecit ... Hoc vero eum fecisse, ideo non dubitamus, quia non cuiquam haeretico, sed ejus Evangelio credimus.*

Ad 2. responderi potest cum eodem Augustino potuisse utique divinum Verbum corpus assumere non natum, ut erat corpus columbae assumptum a Spiritu sancto, sed noluisse. Cur autem noluerit, hanc profert S. Pater in lib. de Agon. Chr. cap. 22. congruentiam, *Quia non columbos liberare venerat Spiritus sanctus, sed hominibus significare innocentiam et amorem spiritalem, quod in columbae specie visibiliter figuratum est.* E contra vero Filius Dei venerat liberare homines, et ut inter Deum et homines esset mediator.

Obj. 5. cont. alt. thes. Angelus apud Evangelistam Matth. cap. 1. v. 20. Josephum virum Mariae alloquens non inquit, *Quod ex ea*, sed, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*; ac proinde nihil Christus de sanguinibus Virginis assumpsit. II. hinc Christus ipse aperte negat se ma-

trem habere terrenam; unde Johan. cap. 2. v. 4. B. Mariam alloquens inquit: *Quid mihi, et tibi est mulier?* Matth. cap. 12. v. 48. cuidam annuncianti foris adesse matrem ac fratres respondit: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?* Et Lucae cap. 11. v. 27. mulieri exclamanti, *Beatus venter qui te portavit*, dixit: *Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*. III. atque haec ratio est cur in Evangelio saepe diceret se non esse de hoc mundo, sed e caelis descendisse; quoniam corpus suum in superioribus caeli partibus conflatum fuerat.

Resp. ad 1. retorquendo argumentum. Nam eodem in capite legitur Christum natum ex Virgine: *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Perinde ergo est dicere, *in ea*, ac, *ex ea* natus est Christus: unde Tertullianus lib. de Carn. Chr. cap. 22. ut elumbe illud solveret argumentum, *In ea*, inquit, *natum erat, quod ex ea erat*.

Ad 2. Non erubuit Christus nec umquam negavit se matrem habere secundum carnem mulierem terrenam, qui in adolescentia illi subditus erat, et morti proximus commendavit Johanni. Nec quidquam officit quod aliquando dixerit illi, *Quid mihi, et tibi est mulier?* Sic enim loquutus est non quoad naturam, sed quoad miraculorum virtutem. Magna quippe fide poscebat Maria miraculum, sed tempus antevertebat; propterea voluit Filius illam suaviter redarguere. Ita S. P. Augustinus Tract. 8. in Johan. *Christus, et Deus erat et homo: secundum quod Deus erat, matrem non habebat; secundum quod homo erat, habebat ... Miraculum autem quod facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem*. Verba autem Christi, *Quae est mater mea etc.* dicta sunt non ut ostenderet se natum minime esse ex muliere, sed ut significaret spiritalem cognationem praeferendam esse carnali. Unde idem Augustinus lib. de Fide et Symb. cap. 4. inquit: *Nec illud nos moveat, quod cum ei nuntiaretur mater ejus, et fratres, respondit*, Quae mihi mater etc. *Sed potius doceat ... parentes cum impediunt, non eos debere cognosci*. Et lib. 7. cont. Faustum. *Exemplum in se ipso praebuit, ut terreni generis necessitudinem propter regnum caelorum contemnerent*. Eadem repetit lib. 22. adversus eumdem, quem videsis. Eodem modo aliud exponitur testimonium a S. Doctore Tract. 10. in Johan. scribens: *Mater mea quam appellatis felicem, inde felix, quia Verbum Dei custodit: non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; sed quia custodit ipsum Verbum Dei per quod facta est, et quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu junguntur Deo*. Postremo jure dicebat Christus se non esse de hoc mundo, sed e caelis descendisse, quoniam Deus simul erat et homo. Ut Deus desursum erat de caelis descendens, ut homo crebro se filium hominis appellabat.

Obj. ultimo. Paulus in 1. ad Cor. cap. 15. v. 47. apertissime favet Valentinianis; ait enim: *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de caelo caelestis*. Quae antithesis inter Adam et Christum in hoc consistit, quod Christi corpus fuerit caeleste, quomodo corpus Adae erat terrenum. II. et quidem loquitur Apostolus de proprio corpore Christi, non

membrorum ejus. Nam ubi nos legimus, *Secundus homo de caelo caelestis*, in graeco textu habetur, *Secundus homo Dominus de caelo*.

Resp. ad 1. Apostolus laudato in loco antithesim instituit non inter corpus quod habuere Adam et Christus, sed inter corpus quod habent in hoc saeculo homines considerati prout sunt a primo homine geniti, nempe ab Adamo; et corpus quod in altero saeculo habebunt quando mortui resurgent incorrupti, et imaginem Christi a quo sunt regenerati, portabunt: aitque homines in hoc saeculo corpus habere mortale et corruptibile, post resurrectionem vero habituros corpus caeleste, hoc est, immortale et incorruptibile. Idque patet ex quo ibi loquatur Apostolus de gloria resurgentium, versu enim 44. dixerat: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Vide Augustinum lib. 11. cont. Faust. cap. 3.

Ad 2. Missa Erasmi, Bellarmini, aliorumque responsione, vocem nempe κύριος *Dominus*, additam fuisse a Marcionitis vel ab aliis, quod probabile admodum est, dico vocem illam traditae a nobis solutioni non officere. Nam agit ibi Apostolus de corpore Christi cujus imaginem portabunt in proprio corpore justi quando resurgent; praesertim cum ea scribat Paulus postquam Christi descripserat resurrectionem his verbis, *Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas*. Corpus itaque Christi cujus imaginem portabit justus est corpus de caelo, hoc est, incorruptibile et gloriosum, quoniam jam de mortuis resurrexit: et hoc sensu dicitur, *Secundus homo de caelo Dominus*.

CAPUT III.

An corpus a Filio Dei assumptum a Beata prodierit Maria ipsius illibata virginitate.

Non Gentiles modo et Judaei, sed Christiani quoque complures (si tamen christianos illos appellare velimus qui impia multa ac blasphema contra Christum evomuerunt,) pessime de B. Mariae senserunt integritate, ac proinde et de sanctitate corporis Christi. Cerinthus quippe, Ebion, Carpocrates, aliique autumarunt ceterorum hominum more ortum fuisse Jesum ex Maria per virile semen. Jovinianus saeculo 4. aliique nonnulli saeculo 9. quos Paschasius in Tract. de Partu Virg. refellit, affirmare non erubuerunt B. Mariam ad aliarum instar foeminarum Jesum peperisse, atque adeo in ipso partu jacturam fecisse virginitatis. Apollinaris, Eunomius, Helvidius B. Mariae integritatem vel ante vel in ipso partu non negant, sed illam amisisse contendunt post partum, habita cum Josepho maritali copula per quam filios qui fratres Domini in Evangelio dicuntur generavit. Omnes a fide temere et insolenter erraverunt, ut ex sequentibus propositionibus apparebit.

CONCLUSIO I.

B. Maria ante partum ita virgo fuit ut Christum absque virili semine in utero suo conceperit.

Prob. 1. ex V. T. Isaias conceptionem nativitatemque praedicens Messiae quem esse Jesum Nazarenum in superioribus ostendimus, cap. 7. v. 10. inquit: *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Haec adeo clare B. Mariae demonstrant integritatem ante partum, ut nulla indigeant expositione.

Respondent nihilominus Judaei quibus Judaeorum fraterculi Ebion, Cerinthus, Carpocrates subscribunt, hoc Prophetae vaticinium accipiendum non esse de virgine incorrupta; quoniam ubi nos legimus, *Virgo*, in hebraico textu occurrit nomen, *Halma*. Vox autem haec non virginem proprie significat, sed *Absconditam*; ac proinde puellam sive intactam, sive compressam. II. neque quis dicat virgines apud antiquos custodiri adeo diligenter consuevisse, ut duo haec nomina, Virgo et Halma, promiscue usurparentur. Nam Gen. cap. 24. Rebecca dicitur Halma, nec proinde occulta erat; quum aquationis caussa, non modo extra domum, sed etiam extra urbem egrederetur. III. et revera Hebraei ad puellam quae intacta virgo sit denotandam, utuntur voce, non *Halma*, sed *Betula*; quae in Isaiae vaticinio non occurrit. IV. e contra in cantico Salomonis cap. 1. et 6. inducuntur adolescentes ac sponsam ad nuptias comitantes quae proprie virgines non sunt, quum omnino dedeceat puellas viris incognitas amatoriis colloquiis interesse, et nihilominus appellantur *Halamoth*. V. in lib. quoque Prov. cap. 30. legitur: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro. Viam aquilae in caelo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia* (hebraice, *ad Halma.*) *Talis est et via mulieris adulterae*. Hoc in loco nomen *Halma* innuere proculdubio nequit virginem intemeratam; tum quoniam viam sternit viro, tum etiam quia comparatur mulieri adulterae. VI. hinc Aquila, Symmachus, Theodotion interpretes accuratissimi vocem *Halma* in eo vaticinio verterunt non παρθένον, *virginem*, sed νεᾶνιδα, *juvenculam*. VII. demum Filius quem Isaias oriturum dicit ex *Halma*, est Ezechias ex Achaz ejusque uxore nasciturus. Vel est ipsius Isaiae filius quem ex propria accepit uxore: quique oriturus dicitur ex *Halma*, quatenus Prophetae uxor existimabatur sterilis. Interpretationem hanc confirmant quae habet Propheta capite sequenti: *Et accessi ad Prophetissam, et concepit, et peperit filium*.

Resp. ad singula, atque ad 1. vox *Halma* etsi ad literam sonet,

Absconditam, non denotat proinde juvenculam quae virum passa sit. Imo nomen ipsum satis indicat puellam marito prorsus expertem. Mos enim apud veteres fuit magna custodia servare pueros, multoque majori puellas. In lib. Esther cap. 2. v. 11. narratur consuevisse Persas habere domus in quibus electae virgines servabantur, quomodo nunc apud nos plures in asceteriis custodiuntur. In 2. Reg. cap. 13. de Ammone legitur propter amorem Thamar aegrotasse, *quia cum esset virgo* (hebraice *Halma*,) *difficile ei videbatur ut quidpiam inhoneste ageret cum ea*. Eadem consuetudo viguit apud Judaeos postremis etiam temporibus, ut ex lib. 2. Mach. cap. 3. v. 19. et ex 3. apocrypho patet. Philo quoque judaeus haec scribit: *Foeminis autem convenit custodia domus et assidua intus mansio: et virginibus quidem intra penetralia quae media casa continentur, mulieribus vero jam maturis intra reliquam domum*. Ab aliis abstineo exemplis quae apud Danielem Huetium Prop. 9. cap. 9. videri possunt. Quod ergo Messiae mater ab Isaia vocetur *Halma*, hoc est, *Abscondita*, magis illius demonstrat integritatem. Hinc optime Hieronymus in Tradit. Hebr. *Halma*, inquit, *quod interpretatur Abscondita, idest virgo nimia diligentia custodita, majoris mihi videtur esse laudis quam virgo. Virgo quippe, juxta Apostolum, potest esse corpore, non spiritu. Abscondita vero quae virgo est*, ἐπίτασιν *virginitatis habet, ut et virgo sit et abscondita: et quae abscondita est juxta idioma linguae hebraicae, consequenter et virgo est: quae autem virgo, non statim sequitur ut abscondita sit*. Indeque sic concludit: *Ostendant igitur Judaei in Scripturis alicubi positum Halma, ubi adolescentulam tantum, et non virginem sonet, et concedimus eis illud quod in Isaia apud nos dicitur, Ecce virgo concipiet, et pariet, non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam*. Neque audacter id dixit Hieronymus. Nam Rebecca et Maria Moysis soror, antequam jungerentur maritis in hebraico textu appellantur *Halamoth*, ubi in latina Vulgata dicuntur *virgines*.

Ad 2. Quando dicimus morem penes Veteres invaluisse occultandi virgunculas, non adeo stricte id intelligimus ut numquam extra domus limen pedem efferrent; egredi siquidem solebant vel religionis vel necessitatis alicujus caussa; unde in 2. Mach. cap. 3. v. 19. legitur: *Accinctaeque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant: sed et virgines, quae conclusae erant procurrebant ad Oniam, aliae autem ad muros, quaedam vero per fenestras aspiciebant*. Mirari ergo non subit si Rebecca adaquationis caussa domo egrediebatur.

Ad 3. Falsum est Hebraeos ad denotandam virginem usurpare vocem, *Betula*. Nam apud Joelem cap. 1. v. 8. vox illa adhibetur ad significandam juvenem viduam. Tria quippe nomina sunt apud Hebraeos ad mulierem denotandam adolescentulam, *Halma*, *Betula*, *Nahara*. Hoc postremum nomen tribuitur mulieri juveni, sive virgo sit sive conjugata. *Betula* dicitur mulier absque marito, sive puella sive anus virgo

sit, sive adolescentula vidua. Remanet ergo ut solum nomen *Halma* puellam significet virginem incontaminatam.

Ad 4. Adolescentulas de quibus in Cantico Salomonis, esse revera puellas innuptas et virgines ex ipso Veterum more apparet. Nam haec erat penes Antiquos consuetudo ut pueri innupti sponsum, innuptae vero puellae sponsam ad nuptias comitarentur. Patet id, ut unico utar testimonio, ex Catullo qui in Epithalamio Juliae et Manlii ita cecinit: *Vos item simul integrae - virgines quibus advenit - par dies agite in modum - dicite* etc. Et clarius etiam ex ipso cap. 6. Cantici, ubi *Halamoth* a reginis concubinisque secernuntur: *Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus.*

Ad 5. Sensus autem sententiae ex Proverbiorum libro laudatae hic est, quod non minus difficile sit cognoscere viam aquilae in caelo, viam colubri super terram, viam navis in medio maris, quam praescire quales pueri qui sub parentum delitescunt cura futuri sint. Vel dici etiam potest affirmare ibi Salomonem perdifficile esse artem ac machinamenta dignoscere quibus viri utuntur scortatores ut ad puellas incorruptas et absconditas ingrediantur, quomodo difficile est omnes discernere artes quibus mulieres adulterae utuntur ut vitium celent maritis.

Ad 6. Quum Aquila ac Theodotion proselyti essent Judaeorum, Symmachus autem ebionita, qui B. Mariae negabant integritatem, in prophetici versione oraculi aequivocam adhibuere vocem. His autem interpretibus Septuaginta nos opponimus versionem nostram latinam Vulgatam, et Syriacam, Arabicamque translationes in quibus legitur: *Ecce Virgo concipiet, et pariet* etc.

Ad 7. Stultum est autem dicere filium oriturum ex *Halma* esse Ezechiam. Nam Hieronymus in cap. 7. Isaiae observat Ezechiam quando regnare coepit Achaz, decem aut saltem novem fuisse annorum. Achaz enim sexdecim regnavit annis, et post ejus mortem regnavit Ezechias cum vigintiquinque esset annorum; proindeque adolescens jam erat Ezechias quando prolatum est vaticinium. Ast loquitur vaticinium de filio qui in futurum nasciturus erat. Multo minus praedicitur ibi filius ipsius Isaiae. Nam signum praenuntiatur singulare divinae promissionis, et partus Emmanuelis. Verum quod ex Isaiae cum Prophetissa concubitu filius nasceretur, signum sane singulare non erat. Deinde Isaiae filius nullibi dicitur Emmanuel, bene vero nomen istud Messiae pluribus in locis tribuitur. Praeterea antequam puer sciret vocare patrem et matrem, auferenda erant spolia Samariae quae eversa non est ante sextum Ezechiae annum in quo Isaiae filius adultus esse debuit; quum nasci debuisset initio regni Achaz cujus regnum ad annum protractum est sextum decimum, ut paullo supra adnotavimus. Denique laudatus Isaiae versiculus intelligi de ipso Isaia non potest, quum Zacharias quem Propheta testem advocavit accessus sui ad uxorem, si fuit filius Jojadae quem Barachiam esse putat S. Hieronymus, trucidatus fuerit regnante Joas; si vero fuit Zacharias propheta, et ipse filius Barachiae tercentis annis vixit post Isa-

iam. Vindicato itaque Isaiae oraculo a falsis Judaeorum interpretamentis alia nunc pro catholica sententia afferamus argumenta.

Prob. 2. ex N. Testamento. Matth. cap. 1. legitur: *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto ... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem. Ecce virgo concipiet* etc. Eadem occurrunt Luc. cap. 1. *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum ... Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Et cap. 3. v. 23. de Christo inquit non fuisse Josephi filium, sed *ut putabatur filius Joseph*. Haec N. Testamenti monumenta ad haereticos, sicut illa Veteris ad Judaeos refellendos aptissima sunt.

Prob. 3. ex constantissima Ecclesiae traditione; non solum enim in omnibus fidei symbolis B. Maria semper appellata est et appellatur adhuc ab Ecclesia, *Virgo*, sed contrarium sentientes habiti sunt semper tamquam impii et abominandi haeretici.

CONCLUSIO II.

B. Maria dum Christi corpus peperit, virginitatem non amisit.

Prob. 1. eodem Isaiae vaticinio, *Ecce virgo concipiet, et pariet filium*: appellat enim Propheta Messiae matrem virginem non modo in conceptione, sed etiam in partu filii sui: *Concipiet, et pariet filium*.

Prob. 2. Ecclesiae judicio et fide: quae in Conciliis congregata et per universum orbem dispersa, B. Mariam proprio nomine et per antonomasiam, Virginem semper appellavit; contrariumque sentientes habuit tamquam haereticos ab Ecclesia praecisos.

Prob. 3. ex PP. qui ex professo docent ac demonstrant non fecisse Mariam in partu Emmanuelis integritatis suae jacturam. Vide Patrum nomina et argumenta apud Petavium lib. 19.

CONCLUSIO III.

B. Maria etiam post partum semper Virgo permansit.

Prob. 1. Ecclesiae auctoritate quae B. Mariae integritatem etiam post partum in communibus precibus praedicat, et contrarium sentientes a fide aberrare decernit. Imo in concilio Chalcedonensi congregata in Alloc. ad Marcian. Imp. expresse affirmat, *B. Mariae virginitatem sacratam esse a Christo etiam post partum, uterumque ejus fuisse integritate obsignatum*.

Prob. 2. ex communi Patrum omnium consensione. Non enim B. Maria, inquit Epiphanius Haer. 78. Virgo per excellentiam diceretur, nisi perpetuo servasset integritatem. Ita virginitatis votum emiserat, subdit Gregorius nyssenus Orat. in Natal. Dom. ut ne Angeli quidem verbis stare vellet, nisi scivisset nullum accessurum virginitati ejus detrimentum. Incredibile prorsus videtur, ait Ambrosius, B. Mariam quae se edidisse sciebat per carnem Dei Filium, aliis procreandis filiis operam dare voluisse. Alii alia proferunt ad id demonstrandum argumenta, quae videri possunt apud Petavium libro nuperrime citato.

Sophismata diabolica dissolvuntur.

Obj. 1. cont. 1. thes. Isaiae vaticinium intelligi nullo modo potest de Filio Mariae. Nam prolatum illud fuit ut Achaz signum daretur liberationis Jerusalem a duobus regibus Syriae et Israel. Signum porro praecedere rem significatam debuit: adeoque debuit oraculum impleri tempore Achaz, non octingentis circiter post ejus mortem annis. Atque ita nulla ex V. Testamento habetur demonstratio B. Mariae virginitatis ante partum, II. sed neque ex N. Testamento. Nam Paulus in Ep. ad Gal. cap. 4. v. 4. de Christo loquens ait: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Mulier vero est foemina a viro compressa, ut patet ex Cicerone apud Quintilianum, qui de Publiola nuper nupta inquit: *Cras mulier erit*.

Resp. ad 1. Non ad Achaz, sed ad domum David vaticinium suum direxit Isaias. Recusaverat namque incredulus rex signum a Deo petere liberationis ab invasione duorum principum: *Non petam, et non tentabo Dominum*; et tunc Propheta ad domum David conversus praedixit futurum tempus in quo Deus daturus erat majoris liberationis signum. *Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum* etc. Praeterea falsum est quoque signum praecedere semper rem significatam debere; quum in Scripturis signa aliquando promittantur in promissionis jam completae commemorationem, ut ex cap. 3. Exo. v. 12. patet: *Et hoc habebis signum, quod miserim te: Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum*.

Ad 2. Etsi quandoque *mulier* opponatur *virgini*, ut plurimum tamen nomen est significans sexum, non foeminae conditionem, ut constat ex eodem Apostolo qui in 1. ad Cor. cap. 11. v. 5. scribens, *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum ... Si turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum*, non de solis nuptis aut viduis, sed de incorruptis quoque virginibus loquebatur. Unde Tertullianus de Virg. velan. cap. 4. *Naturale vocabulum*, inquit, *est foemina, naturalis vocabuli generale, mulier: generalis etiam speciale, virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiam aetatis nomina accedunt*. Et ipse Tullius pro Murena ait: *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt*.

Obj. 2. cont. alt. thes. Isaiae vaticinium, *Ecce virgo concipiet* etc. demonstrat ad summum B. Mariam fuisse virginem ante partum, non ipso partu; neque enim possibile fuit ut sine virginalis claustri infractionne filium ex utero funderet. II. hinc Tertullianus de Carne Chr. cap. 23. *Peperit*, inquit, *quae ex sua carne, et non peperit, quae non ex viri semine, et virgo quantum a viro, non virgo quantum a partu*. Consimilia habent Origenes Hom. 14. in Lucam, et Hieronymus adv. Helvidium.

Resp. ad 1. Propheta non solum de conceptione loquitur, sed etiam de partu; ait siquidem: *Ecce virgo concipiet, et pariet* etc. Deinde conceptum ac partum virginis proponit tamquam inusitatum et singulare signum: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra*. Et, *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet* etc. De quo eodem signo loquens Jeremias cap. 31. illud appellat novum: *Creavit Dominus novum super terram: Foemina circumdabit virum*. Ast ubinam esset novum, singulare, inauditum signum, si de partu loqueretur mulieris in sensu Judaeorum et Haereticorum? Nec impossibile fuit ut B. Maria absque virginitatis suae jactura filium ederet, quia *non est impossibile apud Deum omne verbum*.

Ad 2. Quamvis laudati in argumento Patres duriuscule aliquantulum locuti fuerint, explicari nihilominus facile possunt si animadvertamus illorum scopum fuisse haereticos refellere: qui ex intemerata B. Mariae virginitate inferebant Christi corpus non ex Matris sanguinibus fuisse progenitum, sed descendisse de caelis, ac per Virginis uterum veluti aquam per tubum pertransisse. Tertullianus ergo per illa verba, *Non virgo quantum a partu*, ut et alii Patres, consimilibus locutionibus exprimere volunt B. Mariam veram fuisse matrem. Adeoque loquutio illa, *non virgo*, veram ac realem significat matrem.

Obj. 3. cont. 3. prop. Matth. cap. 1. v. 18. legitur: *Antequam* (Maria et Joseph) *convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Quare sequitur quod postea convenerint. Et quemadmodum de eo qui numquam pransurus est non dicitur, *antequam pranderet*; ita de iis qui nunquam convenire debent dici nequit, *antequam convenirent*. II. prosequitur ibid. Evangelista v. 25. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. *Cognoscere*, hoc in loco idem plane est ac maritale thorum experiri. Particula, *donec*, determinatum tempus significat: itaque postquam B. Maria peperit Filium, maritale thorum experta est. III. idque confirmatum remanet ex quo filius a B. Maria editus, appellatur ab Evangelista *Primogenitus*. Porro primogenitus alios post se genitos supponit. IV. hi vero qui a B. Maria post Christi partum geniti sunt, ab omnibus Evangelistis fratres dicuntur ejusdem Christi.

Resp. ad 1. cum Hieronymo Comm. in hunc Matth. locum. *Quod autem dicitur, antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint: sed Scriptura quod factum non sit ostendit*. Cujus rei ratio est, quoniam agebat eo loci Evangelista de modo quo Christus secundum carnem natus erat, quod cum expressisset, non ultra progressus est. Exemplum au-

tem ab Helvidio in sui erroris confirmationem assumptum falsum esse demonstrat S. Hieronymus ex eo quod si quis dicat, *antequam Helvidius poenitentiam ageret, ex hac vita migravit*, non sequitur quod postea poenitentiam egerit. Item si quis dicat, *antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi*, non sequitur me postea in portu prandisse. Multa alia affert Hieronymus exempla, et post ipsum Erasmus et Laurentius Valla ex Virgilio, Cicerone, ac Thucydide.

Ad 2. dico 1. Hieronymum, Epiphanium aliosque Patres accipere hoc in loco verbum, *cognoscere*, pro scientiam seu notitiam habere, juxta illud Luc. cap. 2. v. 43. *Et non cognoverunt parentes ejus* etc. voluitque significare Josephum uxoris suae praestantiam plene non cognovisse, nisi in partu Christi Domini. 2. Sed admisso etiam quod verbum, *cognoscere*, significet maritale thorum experiri, nihil inde conficitur. Nam particula *donec* ibi apposita, negat quidem maritalem cognitionem ante partum: sed nihil definit quid factum sit post partum, apposite ad mentem Evangelistae cujus scopus erat enarrare dumtaxat Christi corpus genitum editumque fuisse ex intactae Virginis utero. Neque particulae *donec* vis est definire quid factum sit aut fieri debuerit tempore posteriori, ut pluribus exemplis demonstrat S. Hieronymus. Sic ex quo Christus dixerit Matth. cap. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, non sequitur Christum post saeculi consummationem super Ecclesiam et Apostolos quibus praesentiam suam spopondit, relicturum. Item in lib. 2. Reg. cap. 6. v. 23. legitur: *Michol filiae Saul non est natus filius usque in diem mortis suae*. An peperit post mortem? Vide alia exempla apud eumdem S. Doctorem in lib. adv. Helvidium.

Ad 3. Is in Scripturis dicitur *primogenitus*, ante quem nullus alius est genitus. Quod S. Hieronymus hac ingeniosa observatione demonstrat. Quum Num. cap. 18. v. 15. praecipiatur ut pro quolibet *primogenito* post unum mensem a nativitate siclus argenteus offeratur; si primogenitus is esset post quem alius genitus est, quilibet genitor siclum petenti respondere potuisset: *Quid me unius mensis constringis articulo? Expecta donec nascatur secundus. Nihil debeo Sacerdoti nisi et ille fuerit procreatus, per quem is qui ante natus est incipiat esse primogenitus*. Christus ergo dictus est Primogenitus Mariae, quia nullus alius ante ipsum genitus a Virgine erat. Sunt et aliae caussae cur Christus saepe Primogenitus in Scripturis dicitur, de quibus alibi.

Ad 4. Omnes Evangelistae commemorant Christi fratres, sed qui erant fratres consanguinitate et propinquitate, non natura. Et revera in Scripturis alii sunt fratres *natura*, ex iisdem scilicet progeniti parentibus, ut Jacob et Esau: alii *cognatione*, ratione videlicet propinquitatis, ut Abraham et Loth, Laban et Jacob, qui et consobrini appellantur: alii *gente*, hoc est ejusdem nationis, ut omnes Israëlitae: et alii *affectu*, ratione praesertim religionis, ut sunt omnes fideles. Jacobus ergo, Joses, Simon, et Judas dicuntur *fratres Domini*, non natura, sed ratione propinquitatis, et erant proprie Christi consobrini. Quod facile demonstratur. Paulus enim in Ep.

ad Gal. cap. 1. v. 19. scribit: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. En frater Christi Jacobus. Ast non fuit Jacobus frater Christi natura, hoc est, filius vel Mariae vel Josephi. Nam duo commemorantur in Evangelio Apostoli nomine Jacobi, quorum unus filius erat Alphaei, alter vero Zebedaei. Ex qua animadversione etiam colligitur deceptos fuisse nonnullos Patres qui autumarunt fratres Domini filios fuisse Josephi ex alia uxore genitos. Hi enim duo filii fuerunt Alphaei ac Zebedaei.

CAPUT IV.

Expenduntur reliquae circa Christi corpus quaestiones.

Demonstrata corporis Christi sanctitate quod ex Virginis utero absque virili semine editum sit, inquirere deinceps solent Theologi 1. an Christus una cum vero humano corpore assumpserit etiam sanguinem, illumque adhuc in caelo retineat. 2. an corpus a Christo assumptum fuerit corruptibile. 3. et reliquorum defectibus corporum subjectum. 4. An corpus assumpserit speciosum vel deforme. Majorum vestigiis insistentes et nos de his breviter pertractabimus.

Et quoad priorem controversiam duas habet illa partes ut per se patet. Et circa priorem, an scilicet Christus assumpserit sanguinem, nulla potest oriri difficultas. Fuit namque Christus perfectus homo. Et Apostolus ad Hebr. cap. 2. v. 14. inquit: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*: nullaque fere est N. Testamenti pagina in qua Christum sanguinem fudisse pro nobis non legatur. Circa alteram autem, an Christus etiam nunc sanguinem retineat in caelo, contradicunt nobis recentiores haeretici, Osiander, Albertinus, Johannes Dallaeus, Alix, aliique nonnulli affirmantes exangue esse nunc Christi corpus.

Quoad alteram quaestionem, ut vera a falsis certaque ab ambiguis secernantur, animadvertere juvat. 1. *corruptionem* duplicem habere significationem; vel enim significat animae a corpore separationem, quo sensu corpus quod corruptibile dicitur, fami, siti, angori etc. subditum est; vel denotat resolutionem in elementa, et hoc modo corruptibile corpus tabe macieque consumitur. 2. Christi corpus considerari potest vel ante vel post resurrectionem a morte. His positis, Catholicorum sententia est, Christi corpus ante gloriosam suam resurrectionem corruptibile priori quidem, non autem posteriori modo fuisse. Post resurrectionem vero neutro sensu fuisse subjectum corruptioni. Aphthartadocitae nihilominus, seu Incorrupticolae existimarunt Christi carnem incorruptibilem fuisse etiam ante passionem. Magnos hic error habuit sectatores, Episcopos videlicet et Monachos vita illustres, ipsumque Justinianum Imperatorem. Erroris institutores fuere Julianus halicarnasseus episcopus, et Painus quidam eutychiana labe infecti. Est quippe carnis Christi incorruptibilitas eutychiani

systematis consectarium ; ex quo nimirum in Christo fuerit humanitas divinitati commixta, sua sponte sequitur evasisse incorruptibilem.

Pro tertia dirimenda controversia observandum est duplicis generis esse humani corporis defectus. Alii sunt toti speciei communes, ut corruptibilitas sensu supra exposito, fames, sitis lassitudo ex itinere etc. Alii vero nonnullis dumtaxat humanae speciei conveniunt individuis, ut caecitas, surditas, febris, lepra etc. Christus qui fieri voluit in similitudinem carnis peccati, assumpsit quidem una cum humano corpore defectus illos qui sunt toti speciei communes, non autem illos aliquibus humanae speciei individuis convenientes.

Tres sunt demum de quarta quaestione diversae sententiae. Nonnulli venustae formae praeditum Christi corpus fuisse arbitrantur. Pauci tenent fuisse illius formam vilem et abjectam. Communiter putant nec insignem pulcritudinem nec turpem habuisse formam. Puto fuisse Christo elegantissimam corporis venustatem, si pulcritudinis nomine non ruborem genarum, labiorum, visuum, aliasque intelligamus proprietates quae carnalium oculos alliciunt, sed aptam partium dispositionem, temperatum colorem, staturam convenientem. His hoc modo adnotatis nostram circa singula sententiam argumentis confirmemus.

CONCLUSIO I.

Christi corpus in caelo nunc non est exangue.

Prob. 1. ex Scriptura. Paulus in Epist. ad Hebr. cap. 9. docet summum Judaeorum Pontificem semel in anno ingredi consuevisse in Tabernaculum, *Non sine sanguine quem offert pro sua et populi ignorantia*. Subdit deinde: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum ... neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa*. Quemadmodum ergo summus Pontifex in V. T. hircorum ac vitulorum inferebat sanguinem in tabernaculum hujus creationis, ita Christus intulit semel in caelum proprium sanguinem,

Prob. 2. ex Eucharistia. Eo namque modo se habet nunc Christi corpus in caelo, quomodo est in sacramento Eucharistiae. In Eucharistia autem Christi corpus sanguinem habere nemo qui realem ibi Christi praesentiam confiteatur, audet dubitare. His modo adde vulgare Theologorum proloquium: *Quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisit*: et animadvertens assumpsisse sanguinem rem totam conficies.

CONCLUSIO II.

Corruptibile fuit Christi corpus ante resurrectionem.

Prob. 1. Scripturis. In Evangeliis legitur dixisse Christum: *Spiritus*

quidem promptus est, caro autem infirma. Apostolus in 2. ad Cor. cap. 13. v. 4. *Etsi crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei*. Ac talem futurum praedixerant Messiam Prophetae. Nam Isaias cap. 43. illum appellat *Virum dolorum, et scientem infirmitatem*. Jam vero corpus subditum infirmitati, corpus proculdubio est corruptibile. Christi corpus subditum fuit infirmitati, ut ex citatis testimoniis apparet: fuit igitur corruptibile.

Prob. 2. theologicis rationibus. I. corpus quod esurit, sitit, fatigatur, taedet, ac pavet, est corpus corruptioni subjectum: ut enim haec patiatur debet alterari. In Evangeliis autem narratur Christum esuriisse, sitisse, fuisse lassatum ex itinere etc. unde alterationi, adeoque corruptioni subditum corpus habuit. II. ideo Christus infirmitatibus compatitur nostris, ut ait Apostolus, quoniam et ipse quondam infirmus fuit. Falsa vero esset Apostoli ratio si Christi corpus fuisset incorruptibile. III. Christus corpus assumpsit ut nostrum, excepto peccato, ut centies Apostolus inquit: atque idcirco sicuti nostrum, ita et illius corpus fuit corruptioni obnoxium.

Putant tamen Aphthartadocitae argumenta haec facile eludere respondendo 1. Christum etiam post resurrectionem manducasse, bibisse, ambulasse; ac proinde corpus illius non erat corruptibile: adeoque ex iis quae Christus gessit in carne nequit ejus colligi corruptibilitas. 2. Ante resurrectionem passus utique est Christus et doluit. Ast factum id est ex dispensatione divina, non naturaliter.

Sed quoad 2. latissimum est inter ea quae gessit Christus post resurrectionem, et ante illam discrimen. Nam in Evangeliis legitur Christum ante resurrectionem manducasse sed esurientem, bibisse sed sitientem, ambulasse sed lassatum fuisse ex itinere. Ubinam haec de Christo post resurrectionem leguntur? Manducavit itaque post resurrectionem et bibit ut corporis sui veritatem commonstraret, non quod id natura exigeret.

Ex his patet etiam responsio ad 2. Nam si Christus manducavit quia esuriit, si bibit quia sitivit, si fatigatus est ex itinere, si crucifixus ex infirmitate; omnia ergo haec et alia quae arguunt corruptionem, passus est non ex dispensatione divina, sed naturaliter. Accedit his quod dispensationis hujus ne minimum vestigium occurrit vel in Scripturis vel in operibus Patrum. Praeterea Christi Domini vita continuum nec umquam interruptum fuisset miraculum; nullum quippe fuit temporis instans in quo non fuerit passionibus obnoxius, si pauca exceperis interstitia. Denique Deus nulla cogente necessitate miracula patrasset; tribuisset namque per miraculum carni Christi incorruptionem; et rursus per novum miraculum concessam incorruptionem semovisset ut pati posset: quem operandi modum Deo non convenire agnovit vel ipse Aristoteles cujus proloquium est: *Deus et natura nihil moliuntur frustra*.

CONCLUSIO III.

Habuit Christi corpus defectus toti humanae speciei communes, non autem defectus convenientes dumtaxat individuis.

Sequitur thesis ex dictis. Nam corporis defectus toti humanae speciei communes, sunt corruptibilitas, fames, sitis, dolor, aliaque hujus generis. His autem subjectum fuisse Christi corpus jam ex Scripturis demonstratum est.

Prob. altera prop. pars. Defectus humanae speciei individuis convenientes, ut febris, lepra, caecitas etc. proxime et immediate profluunt a peccato vel originali vel actuali. Verum nullum fuit in Christo peccatum: *Tentatus autem per omnia pro similitudine absque peccato*, ut ait Apostolus ad Hebr. cap. 4. v. 15. Hinc defectus corporis Christi erant quidem poenae originalis peccati, sed quae ab eo proficiscuntur remote, non proxime et immediate: proindeque sicuti defectus non contraxit corporis, de quibus loquimur, ita nec contraxit concupiscentiam et ignorantiam.

CONCLUSIO IV.

Corpus Christi fuit elegantissimae formae juxta veram pulcritudinis notionem.

Prob. 1. Scripturis. Ps. 44. v. 3. legitur: *Speciosus forma prae filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis*. Haec dicta esse de Christo Patres omnes ac interpretes affirmant. Haec autem eadem singularem Christi demonstrant pulcritudinem.

Sed adversae sententiae patroni respondent laudata Psalmistae verba de interna intelligi animi pulcritudine ejusque virtutibus, ut Chrysostomus et Theodoretus exponunt.

Quod nos non diffitemur. Sed non idcirco non significant etiam pulcritudinem corporis, praesertim cum externa oris venustas indicium sit aliquando internae pulcritudinis. Unde Chrysostomus idem Hom. 28. in Matth. laudata verba interpretatur de pulcritudine corporis.

Prob. 2. auctoritate PP. Origenes Tract. 35. in Matth. docet ex Christi vultu splendorem quemdam insolitum non raro erupisse. Chrysostomus Hom. 32. in cap. 8. Matth. tradit Christum non modo cum miracula ederet, sed etiam aspectu ipso fuisse gratum. Hieronymus in cap. 9. Matth. ita scribit: *Arguit in hoc loco Porphyrius et Julianus Augustus vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim secuti sunt Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti ... Certe fulgor ipse et majestas divinitatis occultae quae etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu*. De Johanne Damasceno, Theophane, Nicephoro, ac S. Thoma nemini dubium.

Sed neque huic argumento adversarii acquiescunt. Horum enim Patrum dicta, Origenis praesertim, Hieronymi, et Chrysostomi de majestate intelligenda sunt ac pulcritudine Christi aliquibus in circumstantiis, quando videlicet ut Deus in terris operabatur.

Verum etsi laudatorum dicta Patrum interpretari velis ut adversarii contendunt, non excludunt tamen, imo potius confirmant, si diligenter attendantur, naturalem Christi venustatem. Nam 1. Johannes Damascenus, Theophanes, S. Bernardus, Nicephorus, et B. Thomas absolute tradunt Christum fuisse speciosum ac decorum aspectu. 2. Chrysostomus expresse adscribit Christo pulcritudinem, non solum dum miracula edebat, sed in omni vita sua; ait quippe: *Non enim miracula dumtaxat faciens admirabilis erat, sed etiam cum simpliciter aspiceretur ingenti abundabat gratia. Atque hoc significans Propheta canebat: Speciosus forma prae filiis hominum*. Objicit deinde sibi Isaiae textum, *Non est species ei* etc. illumque de tempore explicat passionis. 3. Quod Hieronymum spectat, is certe majestatem splendoremque Christo tribuit, maxime cum discipulos ad se vocavit, ac mercatores ejecit e templo, sed non proinde negat aliis etiam in circumstantiis aliquid in ejus vultu sidereum emicuisse, licet minus manifeste quam ubi ut Deus operabatur.

Prob. 3. ratione. Vera humanae pulcritudinis notio consistit, juxta Aristotelem, in accurata membrorum partiumque corporis proportione tum absoluta tum relativa; ita ut quaevis corporis pars proportionata sit in se, cum optimam cum reliquis membris habeat symmetriam, cumque iis concinnam harmoniam servet: parumque refert an color vividus sit atque floridus, an labia ad risum proclivia, an rubicundae genae: haec enim est venustas muliebris et affectata. Ast vero Christi Domini corpori aptari utique potest allata mox definitio. Nam Nicephorus Callixtus lib. 1. cap. 4. scribit se a Majoribus accepisse Christum Jesum *egregio vividoque vultu fuisse; corporis statura ad palmos prorsus septem; caesariem habuisse subflavam, nec admodum densam; capillos prolixiores* etc. Nec dici potest Nicephorum deceptum fuisse. Nam antiquis temporibus imagines extabant atque statuae Christum exprimentes. Ut enim Abgari ac Veronicae imagines quae a multis revocantur in dubium silentio praeteream, Caesareae Philippi visa proculdubio fuit Christi statua ab evangelica Hemorroissa erecta, ut Eusebius et Sozomenus narrant: et Alexander Imperator una cum tabulis illustrium virorum imaginem Christi domi in sacello asservabat, teste Lampridio. Ex vetustis ergo statuis et imaginibus potuit Nicephorus scire quaenam fuerit Christi Domini species. Deinde Augustae Taurinorum in finibus Italiae sacra adhuc colitur syndon in qua Christus statim e cruce depositus, fuit involutus, quaeque illius corpus eo prorsus modo exhibet quo a Nicephoro describitur, uno excepto colore. His accedit non spernenda angelici Doctoris ratio, quod nempe *pulcritudo maxime competebat ad statum et reverentiam suae conditionis*. Ac denique Christus Dominus assumpsit quidem defectus omnes humanae speciei communes, non autem defectus qui conveniunt individuis, ut paullo su-

pra demonstravimus. Porro turpitudo ac deformitas corporis defectus est minime humanae speciei communis; ac proinde non debuit a Christo assumi.

Quae adversus statutas positiones afferri solent, proponuntur et explicantur.

Obj. 1. cont. 1. thes. Ut Christus modo sanguinem in caelo retineat, debuit post passionem illum reassumere. Non reassumpsit autem. Non enim reassumpsit sanguinem in circumcisione amissum. Et sanguine in passione effuso respersa manserunt, clavi, lancea, et sudarium. Et asservantur adhuc nonnullis in locis guttae sanguinis Christi.

Resp. Christum post passionem non singulas quasque minutissimas sanguinis reassumpsisse particulas, sed reassumpsit tamen sanguinis sui substantiam ad perfectum constituendum hominem necessariam. Hoc sensu S. Thomas Q. 54. art. 2. ad 3. affirmat totum fuisse a Christo sanguinem reassumptum. Hic animadvertere juvat quaestionem hanc ad fidem non pertinere. Nam quum anno 1462. gravis excitata inter Dominicanos ac Franciscanos controversia, affirmantibus his totum in passione fusum sanguinem fuisse a Christo reassumptum, illis autem negantibus, Pius II. tunc summus Pontifex nihil definiens, praecepit tantum utrique parti ne erroris sibi invicem tribuerent notam.

Obj. 2. adv. alt. prop. Christus Dominus alloquens Patrem inquit: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. II. in N. Testamento appellatur saepe Christus *secundus Adam*; et quidem ad instar Adae innocentis nullum habens nec originale nec actuale peccatum. Corpus autem innocentis Adae quum posset non mori, erat incorruptibile. Quare incorruptibile fuit corpus quoque Christi. III. hinc non ex necessitate, sed ex potestate mortuus est Christus, juxta illud apud Johannem: *Potestatem habeo ponendi animam meam: et potestatem habeo iterum sumendi eam*. IV. rem totam confirmat Dionysius alexandrinus in Ep. adv. Paulum samosatenum dicens: *Surrexit itaque primum Samosatensis loquens iniqua, qui diceret esse corruptibilem sanguinem Jesu Christi, qui est Deus Israel, et Jesus, et qui omnem corruptionem, et passionem, et mortem solvit, qui redemit nos a servitute corruptionis. Sanguinem mortalis et passibilis hominis dicit, quia dixit Dominus gloriae discipulis: Accipite, et dividite: Novum Testamentum est in meo sanguine; et quia dicit idem: Qui pro vobis effunditur*. Quod si tamquam haereticum damnat Dionysius Samosatenum quod Christi sanguinem corruptibilem esse dixerit, ipsumque Christum patibilem ac corruptibilem hominem, jam contraria huic sententia catholica erit.

Resp. ad 1. Corruptio a qua liberari desiderat Christus per os Prophetae, est corruptio quae resolutionem dicit in ultima elementa, non quae animae a corpore solutionem cum suis consectariis importat. Quum enim nullum proprium haberet peccatum, non decebat ut caro ejus vel

putredine tabeque marcesceret, vel in elementa resolveretur. Optime S. P. Augustinus in Ep. 205. ad Consentium: *Constat*, inquit, *neque ullo modo dubitandum est, corpus Christi, quod licet corruptionem putredinis in sepulcro non viderit, unde scriptum est, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, clavis tamen et lancea perrumpi potuit, nunc omnino in incorruptione consistere*. Hac eadem responsione solvitur quod ex Cyrillo alexandrino lib. 9. de Ador. in spir. et verit. afferri solet in haec verba: *Incorruptibile namque est Christi corpus, et divinam in seipso naturam habet ... Primitiae porro nostrae, atque radix nostri generis Christus: quod genus hoc ipso quod Deo junctum est, ad incorruptionem recreatur*. Et ipse quippe de immunitate a putredine et macie loquitur; quum verba faciat de Christi corpore ad cujus similitudinem justorum corpora recreantur, de corpore videlicet Christi post resurrectionem.

Ad 2. Christus dicitur secundus Adam quatenus caput est omnium renatorum sicut Adam caput est omnium natorum, non quatenus corpus assumpsit Adami innocentis. Quum enim in mundum venerit Christus quaerere ac salvum facere quod perierat, atque salvare peccatores, non justos; assumere debuit corpus Adami peccatoris, non innocentis: atque idcirco de caelis venit in similitudinem carnis peccati, inquit Apostolus, ut peccatum damnaret in carne.

Ad 3. Christus mortuus est potestate, quatenus antequam carnem sibi sociaret humanam, poterat si voluisset, illam assumere incorruptibilem, non quatenus carnem habens incorruptibilem, potestatem exercuerit ut illam corruptibilem redderet ac morti obnoxiam. Hoc sensu Christi sententia apud Johannem est intelligenda. Et quidem potuisset Christus si voluisset, carnem assumere incorruptibilem, sed noluit. Noluisse autem scimus, quoniam Christus ipse dixit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: et quia Prophetae et Apostoli appellavere Christum virum dolorum et hominem infirmum, ut jam animadvertimus. 2. Dici etiam potest Christum mortuum esse potestate, propterea quod etiam post assumptam humanitatem corruptibilem potuisset non mori si ita ei placuisset. Responsio haec nititur sententiae Augustini qui Tract. 47. in Johan. scribit: *Quando Christus animam posuit? quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat: ibi potestas erat quando poneret caro animam, et quando sumeret*. Et quemadmodum uno potius quam alio tempore mori Christus voluit, licet carnem haberet mortalem, ut ex illis verbis, *Nondum venit hora* etc. patet, sic potuisset si ipsi libuisset numquam mori.

Ad 4. Nec adversariorum caussam juvat magni Dionysii alexandrini auctoritas. Nam Samosatensem ipse damnat quod Christi corpus et sanguinem corruptibilia diceret, non ante, sed post resurrectionem. Ille namque haeresiarcha contendebat sanguinem Christi in Eucharistia, adeoque post resurrectionem, corruptioni esse subjectum: quod duplici conabatur demonstrare argumento. Primo quoniam Christus est, ut ipse blasphema-

bat, purus putusque homo: *Sanguinem mortalis et patibilis hominis dicit*. Secundo quoniam ea Christi verba, *Accipite*, *et dividite*, et illa alia, *Qui pro vobis effunditur*, accipiebat materialiter, ut constat ex ratione quam hic affert, *Quia dixit Dominus gloriae: Accipite*, *et dividite... et quia dicit idem*: *Qui pro vobis effunditur*. Proinde inquiens Dionysius Samosatensem errare, declarat illius errorem in hoc consistere quod Christi corpus et sanguinem in sacramento Eucharistiae et post resurrectionem corruptibilia esse docuerit, quem errorem nos etiam execramur; sequeretur enim inde Christum esse purum hominem.

Obj. 3. cont. 4. thes. De externa Christi specie ita loquitur Isaias cap. 43. *Non est species ei*, *neque decor*: *et vidimus eum*, *et non erat aspectus*, *et desideravimus eum*. Deformis ergo facie erat Christus. II. quae faciei deformitas non solum in passione ejus, sed toto vitae suae tempore in eo apparuit, ut bene multi Patres testantur. Nam Clemens alexandrinus laudata Prophetae verba exponens inquit: *Non sine causa Dominus habere voluit vilem corporis formam*. Et Origenes lib. 6. cont. Cels. argumentum ab eo philosopho ex Christi deformitate adversus nostram religionem deductum, absque solutione relinquit, ac si adversario ipse assentiatur. Non diversae sententiae videtur Tertullianus lib. de Carne Chr. cap. 9. et Cyprianus lib. 2. adv. Jud.

Resp. ad 1. Non de omni vitae Christi tempore, sed de tempore tantum passionis loqui Prophetam testes sunt locupletissimi sancti Patres, inter quos Hieronymus Comm. in hoc caput: *Despectus erat et ignobilis*, *quando pendebat de cruce*, *et factus est pro nobis maledictum*, *peccata nostra portabat*, *et loquebatur Patri*: *Deus Deus meus*, *quare me dereliquisti*. Paria habet S. P. Augustinus in illa verba Serm. 27. de Scripturis, alias 20. de verbis Apost. *Pendebat ergo in cruce deformis*: *sed deformitas illius pulcritudo nostra erat*. *In hac ergo vita deformem Christum teneamus*. *Quid est*, *deformem Christum*? *Absit mihi gloriari*, *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, *per quem mihi mundus crucifixus est*, *et ego mundo*.

Ad 2. Clemens alexandrinus excludit a Christo pulcritudinem muliebrem et affectatam. In lib. enim 3. Pedag. cap. 1. scribit: *Verum non ille carnis pulcritudinem quae specie quadam illudit*, *sed veram animae corporisque pulcritudinem ostendit*. Quoad Origenem, argumentum Celsi ex Christi deformitate deductum silentio compressit. Sed quid inde? Non solent Patres praesertim gravissimi, ut erat Origenes, ineptiis cavillisque respondere adversariorum. Scopus illius erat ostendere Christum esse Deum. Hoc invictis demonstravit argumentis, cetera tamquam minus ad rem facientia reliquit. Tertullianus non secus ac Clemens alexandrinus de tempore loquitur passionis Christi; ita enim laudato in argumento loco scribit: *Adeo nec humanae honestatis corpus fuit*, *nedum caelestis claritatis*, *tacentibus apud nos quoque Prophetis*, *de ignobili aspectu ejus ipsae passiones*, *ipsaeque contumeliae loquuntur*; *passiones quidem humanam carnem*, *contumeliae vero inhonestam*

probavere . An ausus esset aliquis ... ullam sputaminibus contaminare faciem , nisi moerentem ? Eodem sensu deformem appellat Christum Cyprianus ; inquit enim : *Non est figura ejus neque claritas , et vidimus illum , et non habuit figuram neque speciem , sed figura ejus sine honore , et deficiens praeter ceteros homines .*

Obj. ultimo . Congruum non videtur ut Christus venustate formae splendesceret . 1. Quoniam oculos hominum temporali potius quam divina pulcritudine pellexisset . 2. Quoniam Incarnatio Verbi fuit exinanitio . 3. Quoniam ipse praecepit ut talem pulcritudinem despectui habeamus .

Resp. cum S. Thoma : *Pulcritudo maxime competebat ad statum et reverentiam suae conditionis .* Nec officit quod primo loco objicitur . Non enim dicimus Christi pulcritudinem muliebrem fuisse et affectatam , sed virilem , gravem , et cum majestate conjunctam quae apta esset ad terrendos iniquos .

Ad 2. Quamvis pulcherrimus in terra fuisset Christus , semper verificaretur Incarnationem esse Verbi exinanitionem . Quae namque proportio inter Deum Verbum , et humanitatem etiam splendidissimam ?

Ad 3. Jussit Christus ut despectui habeamus foemineam pulcritudinem quae ad peccandum inducit , quamque Christum non habuisse concedimus .

CAPUT V.

An Verbum divinum una cum corpore veram assumpserit humanam animam .

De Christi corpore in se spectato atque seorsim accepto jam multa pro instituti nostri ratione disputavimus . Praestat nunc ut ad aliam gressum faciamus humanae naturae partem quae est anima . Nam haeretici qui nullum fidei dogma reliquerunt intactum , etiam circa animam Christi errarunt turpissime .

Primi fuere Ariani affirmantes Filium Dei corpus assumpsisse absque anima , adeo ut animae vices suppleverit ipsa divina substantia . Hoc autem excogitavere commentum , ut Verbi facilius impeterent divinitatem hoc argumento : Corpus capax neutiquam est passionis atque doloris ; anima quippe dolet et patitur accepta a corpore occasione : In Christo autem non erat anima , sed illius loco Verbum : Itaque Verbum patiebatur atque dolebat . Subsumebant : Divinitas quae dolet ac patitur non est vera divinitas : Igitur divinitas Verbi non est vera divinitas . Ita Gregorius nazianzenus lib. 1. cont. Eunom : *Hunc scopum haeresis istius fuisse , ut ostenderent humiliores voces quas ex humana natura loquitur Christus , ab ipsa divinitate profectas videri ; ut hac ratione validiorem efficerent blasphemiam .* Quamvis autem haec effutirent Ariani, haeresis nihilominus isthaec sub Arianorum nomine penes veteres Patres raro refutata invenitur . Toti namque erant in adstruenda contra illos Verbi cum Patre consubstantialitate . Atque hoc sensu S. P. Augustinus in lib. de Haer. ad

Quodvultdeum, inquit: *In eo autem quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt: nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse, et Epiphanius non tacuit, et ego ex eorum quibusdam scriptis et collocutionibus certissime comperi.*

Meritam tamen non evasit error hic confutationem, et a priscis ecclesiasticis Scriptoribus satis superque contritus fuit in Apollinare novo erroris architecto. De quo nonnulla breviter hic adnotare juvat. Fuit Apollinaris laodicenus ex patre ortus alexandrino cui etiam nomen erat Apollinaris. Uterque initio professione erat grammaticus, et ambo familiaritate juncti cum Epiphanio laodiceno sophista gentili. Ea de caussa a Theodoto tunc laodiceno antistite pariter reprehensi sunt, maxime cum ambo clerici essent. Pater enim presbyter, filius vero lector erat. Sed quum a proposito non desisterent, Georgius qui Theodoto successit, excommunicationis sententiam in utrumque tulit. Quod quum aegre ferret Apollinaris filius, novam excogitare coepit adversus Incarnationem haeresim. Diu tamen praeconceptam blasphemiam sub ementito pietatis habitu occuluit, donec renuntiatus est episcopus laodicenus. Et initio quidem episcopatus haereticum virus minime evomuit; quinimmo Arianorum reliquias acerrime insectabatur. Quod in caussa fuit ut Athanasius et Basilius commercium cum eo habuerint literarum. Sed erupit tandem ex impio pectore infanda haeresis. Et principio quidem suppresso nomine in alexandrina Synodo anno 362. ab Athanasio celebrata, damnata est; tum in altera item alexandrina anno sequenti ab eodem coacta Athanasio; praeterea Romae a Damaso summo Pontifice; ac deinceps an. 381. a magno concilio C-P. I. et ab omnibus Episcopis et universali Ecclesia.

Haeresis autem Apollinaristarum haec erat. Initio cum Arianis ajebant animam a Deo Verbo in Incarnationis dispensatione non fuisse assumptam. Deinde Scripturarum victi testimoniis propriam amentiam agnoscentes, fateri coeperunt fuisse quidem a Verbo susceptam animam, sed quae mentem non haberet, illiusque gessisse vices Verbum divinum. Adscito videlicet Platonis systemate, mentem ab anima dividentes, animae nomine illam quam Philosophi sensitivam appellant, intelligebant. *Apollinaristas*, inquit S. P. Augustinus in citato lib. de Haer. cap. 55. *Apollinaris instituit, qui de anima Christi a Catholica dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In qua quaestione testimoniis evangelicis victi, mentem qua rationalis est anima hominis, defuisse animae Christi, sed pro hac ipsum Verbum in eo fuisse dixerunt.* Primo itaque adversus Arianos demonstrandum nobis erit Verbum divinum animam assumpsisse humanam, deinde animam illam mente praeditam fuisse atque intellectu; unde sit

CONCLUSIO I.

Verbum divinum animam assumpsit humanam .

Prob. 1. Scripturis . Ps. 15. v. 10. quem ad Christum referri patet ex Act. Ap. cap. 2. et 13. ita Jesus Patrem alloquitur : *Non derelinques animam meam in inferno* . Isaiae cap. 53. v. 10. Deus Pater haec de Filio dicit : *Si posuerit pro peccato animam suam , videbit semen longaevum* . Johan. cap. 10. v. 17. Christus mortem suam praedicens ait : *Propterea me diligit Pater : quia ego pono animam meam , ut iterum sumam eam . Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a me ipso , et potestatem habeo ponendi eam , et potestatem habeo iterum sumendi eam* . Testimonia haec V. ac N. Testamenti satis luculenter ostendunt in Christo animam fuisse a Verbo distinctam .

Nec argumentum eludunt Ariani dicentes in laudatis Scripturae testimoniis animae nomine temporalem intelligi vitam . Nam primo etsi id concederetur , non proinde sequeretur non fuisse a Verbo assumptam una cum corpore etiam animam . Nam juxta omnes Philosophos non est in homine vita nisi per animam rationalem : adeoque si laudata Scripturae testimonia significant vitam , humanitas Christi non caruit anima per quam vitam habuit . Deinde Arianorum responsio textui ex Psalmo deprompto aptari nullo modo potest , ut per se manifestum est . Ac denique illa eadem anima quam ponere ac reassumere poterat Verbum , turbabatur et tristis erat , ut ex Johan. cap. 12. et Matth. cap. 26. legitur . Porro quid illud erat quod in Christo tristabatur ? Non corpus ; quoniam istud quum insensibilis sit materia, incapax est tristitiae . Neque Verbum; quoniam quum Deus Patri consubstantialis esset , ut modo supponimus , cadere non poterat in ipsum sive dolor sive tristitia : adeoque erat anima et a corpore et a Verbo realiter distincta .

Prob. 2. PP. auctoritate et rationibus . Athanasius lib. 1. cont. Apollinar. ita scribit: *Quomodo tristis et animo turbatus humanam non habuit animam ? Tribuere enim talem sensum materiae insensibili , absurdum ; Deo immutabili adscribere , blasphemum* . Continet sententia haec argumentum paullo supra à nobis allatum . S. P. Augustinus Ep. 187. alias 57. ad Dardanum, ait : *Profecto cum dicis hominem perfectum , totam illic naturam humanam vis intelligi . Non est autem homo perfectus , si vel anima carni , vel animae ipsi mens humana defuerit* . Non est itaque homo perfectus qui anima caret , sicut perfectus homo non est qui caret corpore . Christum autem perfectum fuisse hominem clamant undique sacrae literae et symbola fidei . Theodoretus de Haeret. Fabul. *Si enim* , inquit , *Verbum Deus animam non assumpsit , nec liberare eam, nec gloriam ei parare poterat* . Consimili modo loquitur Damasus R. P. in Ep. Synod. et Augustinus qui Enarrat. in Psal. 56. in illa verba , *Dedisti ei potestatem omnis carnis* , quae leguntur apud Johan. cap. 17. ait : *Numquid in solam carnem acceperat potestatem , et non maxime*

in animas, quas primitus liberabat? Ergo ibi erat anima, ibi erat caro, ibi totus homo. Vide et Serm. 237. de Temp. et alia loca quibus Apollinaristas perstringit. Et jure quidem. Nam illud divinum Verbum assumpsit quod liberatum atque salvatum ab eo est; ad hoc enim venit in mundum ut illum redimeret. Liberavit autem atque salvavit animas hominum; hae enim praecipue, non corpora tantum per peccatum perierant. Quare animam una cum corpore assumere debuit divina sapientia. Et quemadmodum ex quo humanum corpus per Adae peccatum perierat, ex immortali nempe mortale factum est, divinum Verbum corpus humanum sibi sociavit ut per redemptionem redderet illi amissam immortalitatem, quando omnes resurgent in similitudinem corporis Christi; ita ex quo per Adae peccatum perierit anima hominum, debuit Verbum animam in se suscipere humanam. Fulgentius ex Ep. ad Hebr. cap. 2. ita in lib. 1. ad Trasimundum regem cap. 12. scribit: *In eo enim quo passus est ipse et tentatus: potens est his qui tentantur auxiliari*: et cap. 13. *Si ergo in eo quod tentatus est, tentatis auxilium donat: profecto in quo tentatus non est, tentatis auxilium non ministrat*. Ast tentantur homines non in corpore, sed in anima: adeoque et Christus animam habuit in qua tentatus est. Omnes denique Patres post Apostolum tradunt Christum fuisse mediatorem Dei et hominum. Verum praecipuus mediatoris character est, ut Patrem pro hominibus oret. Non potest autem Christus, qua Verbum, orare Patrem cui aequalis est. Corpus incapax est orationis. Quomodo ergo mediatoris munus pro nobis exercet nisi per animam?

CONCLUSIO II.

Anima a divino Verbo assumpta praedita erat mente et intellectu.

Prob. 1. iisdem Scripturae testimoniis allatis, eisdemque ex PP. depromptis rationibus quibus haec alia addi possunt. Lucae cap. 2. v. 52. de Christo legitur: *Proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines*. Johan. cap. 1. v. 14. dicitur plenus *gratiae, et veritatis*. Quae cum iis congruunt quae de illo vaticinati sunt Prophetae, ut Isaiae cap. 11. v. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae, et intellectus: spiritus consilii*. Et in Evangeliis denique legitur turbatam tristemque fuisse animam Christi. Ast anima quae proficit sapientia, quae a Deo scientiam, intellectum, et consilium recipit, quae plena est veritatis, quae demum turbatur et contristatur, nonne mente praedita est et intellectu?

Vanum autem effugium est illud Apollinaristarum dicentium haec Scripturarum loca explicari facile posse de Verbo quod in Christo vices gesserit animae. Nam divinum Verbum capax non est sapientiae ac scientiae creatae de quibus in sacris literis sermo fit, multoque minus turbari potest et contristari.

Prob. 2. judicio Ecclesiae quae anno 362. ut diximus, hunc Apol-

linaris errorem damnavit, quamvis auctoris sperans resipiscentiam, illius nomini pepercerit. Anno 363. damnationem iteravit. Anno 373. per Damasum R. P. excommunicationis in Apollinarem ejusque asseclam Timotheum tulit. Anno 378. in Antiocheno concilio iterum haeresim proscripsit, ejus auctores fautoresque e proprio sinu ejecit. Ac denique idipsum Ecclesia praestitit in Constantinopolitano I. concilio anno 381. in Spiritu sancto congregata.

Prob. 3. ex PP. qui Apollinarem ejusque errorem confutarunt, inter quos Athanasius in Synodica ad Antioch. Basilius Ep. 74. Gregorius nazianzenus in Ep. ad Nectarium, Theophilus alexandrinus, Epiphanius, Theodoretus, aliique permulti, qui editis voluminibus pessimum compresserunt errorem, et a quorum recitandis verbis abstineo, contentus tantummodo illa dare S. P. Augustini quae occurrunt Serm. 237. cap. 4. *Fuerunt*, ipse ait citato sermone, *qui hinc haeresim facerent, et dicerent, quia anima Christi non habuit mentem, non habuit intellectum, non habuit rationem; sed Verbum Dei fuit illi pro mente, pro intellectu, pro ratione. Nolo sic credas. Totum redemit, qui totum creavit: totum suscepit, totum liberavit Verbum. Ibi mens hominis et intellectus, ibi anima vivificans carnem; ibi caro vera et integra: peccatum solum non ibi.*

Prob. 4. rationibus. 1. Christus perfectus homo est. Perfectus autem non est homo qui animam habet mente carentem. 2. *Quomodo affirmabitis caelestem in Christo mentem fuisse animae rationalis partes obeuntem? An in duas divisum partes corpus ejus dicetis? An alia ejus pars in sepulcro, alia apud inferos extitit? Quomodo fieri potuit ut qui animam non haberet, ad inferos descenderit?* Ita Athanasius in lib. 1. contra Apollinar. Nam si Christi anima sensitiva dumtaxat ac sine mente erat, ut Apollinaristae dogmatizabant, jam mortuo Christo anima evanuit, nec potuit ad inferos descendere. 3. Christus perfectissima scientia infusa et creata, item et scientia acquisita ac experimentali praeditus fuit, ut adversus Agnoitas paullo post demonstrabimus. Habuit quoque humanam voluntatem, ut in refutatione monothelismi dicemus. Habuit ergo perfectissimam animam potentiis omnibus exornatam.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cont. primam prop. Sacrae literae docent divinum Verbum carnem dumtaxat, non animam assumpsisse. Ait namque Johannes cap. 1. v. 14. *Et Verbum caro factum est*. II. et carnem profecto commemoravit Johannes ad exclusionem animae. Nam caussa cur in mundum venerit Verbum, fuit solummodo ut cum hominibus conversaretur: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Ad conversandum porro cum hominibus satis erat solius susceptio carnis. III. et etiamsi dicatur Verbum ad nos descendisse ut pro peccatis nostris moreretur, non proinde necessaria ei fuit anima, quoniam non haec, sed corpus moritur.

Resp. ad 1. Johannes carnis nomine, non solum non intelligit absque anima corpus, sed per synecdochen totum intelligit hominem. Est quippe sacrarum consuetudo literarum figura quam saepissime uti synecdoches, partem sumendo pro toto. Et ubi agitur de homine, nunc animam tantum, nunc tantum carnem ad totum indigitandum hominem exprimunt. Sic in lib. Exo. cap. 1. v. 5. legitur: *Septuaginta animae ingressae sunt in Ægyptum*, hoc est, septuaginta homines. E contra in lib. Gen. cap. 6. habetur: *Omnis caro corruperat viam suam super terram*, nimirum omnis homo. Quare dicens Johannes, *Verbum caro factum est*, idem est ac si dixisset, Verbum homo factus est. Ita S. P. Augustinus Ep. 140. alias 120. ad Honoratum: *More suo Scriptura ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. Neque enim quia scriptum est*, Videbit omnis caro salutare Dei, *animae ibi non sunt intelligendae*. Habes in Augustini verbis et aliam caussam cur carnem dumtaxat commemoraverit Johannes, nempe, *ut Christi humilitatem magis ostenderet*. Cui et alia ex Tertulliano adv. Praxeam addi potest, quia scilicet Evangelium exaravit Johannes quando haereses adversus Christi carnem grassabantur.

Ad 2. Caussa cur divinum Verbum in mundum venerit non fuit solummodo ut cum hominibus conversaretur, sed praecipue ut eos redimeret, et morte sua a perditione liberaret: ad quae exequenda sola sufficiens non fuisset caro.

Ad 3. Corpus utique moritur, sed quando? Quando anima ab eo divellitur et dissociatur; unde definitur mors, animae a corpore divisio. Quum ergo mortuus sit Christus, anima a corpore ejus recessit, atque adeo animam habuit. Deinde non solum animam tribuimus Christo ut verificetur mortuum esse, sed etiam ut verificetur mortuum esse ut salvaret quod perierat. Quod si animae hominum per peccatum perierunt, ut revera perierunt, debuit Christi mors consistere in divulsione animae a corpore, non in separatione divinitatis ab eodem corpore.

Obj. 2. cont. alt. thes. Si Christi anima praedita mente ac intellectu fuisset, cogitationes proculdubio habuisset humanas. Ast anima cogitationes habens humanas subdita est peccato; hoc enim ab illis tamquam a radice profluit. Unde ne peccatum in Christo admittamus, neganda est illius animae mens.

Resp. Habuit utique Christus humanas cogitationes, sed quales habuit Adam in statu naturae innocentis, non quales habemus nos in statu naturae corruptae. Assumpsit quippe Christus humanitatem qualem habent homines in statu naturae corruptae comparate ad poenas. Sed comparate ad animam atque peccatum similis fuit Adamo innocenti.

CAPUT VI.

De perfectione intellectus Christi.

Quum Christus Deus simul et homo sit, duplex in eo est intelle-

ctus, divinus videlicet et humanus. Et de divini perfectione intellectus modo non loquimur, quoniam de partibus pertractamus humanitatem ejus componentibus. Praecipua itaque humanae mentis perfectio consistit in immunitate ab ignorantia, atque in plenitudine scientiae. In Christo nullam penitus fuisse ignorantiam, imo fuisse plenissima creata scientia exornatum Catholici omnes uno ore fatentur, si Johannem de Ripa in 3. Sent. Disput. 14. et Hugonem Victorinum in lib. de Sapient. Christi excipias, qui ut omnem a Christo ablegarent ignorantiam, nullam aliam praeter divinam in eo agnoverunt scientiam.

Non ita tamen haeretici bene multi. Nam Christo ignorantiam tribuerunt Gnostici ac Valentiniani, tum Arii et Nestorii sectatores, deinde Eutychiani non pauci, *Agnoitae* proinde nuncupati quod ignota aliqua Christo esse docerent; ac postremo Erasmus in cap. 2. Luc. Calvinus Com. in Narmon. Grotius in cap. 3. Marci.

Nostrum ergo erit ostendere 1. nullam in Christo fuisse ignorantiam. 2. Imo perfectissimam fuisse in eo scientiam. 3. Non solum infusam, sed acquisitam et experimentalem. 4. Et rursus habuisse scientiam quoque Beatorum, sed non scientiam comprehensivam. Sit igitur

CONCLUSIO I.

In anima Christi nulla fuit ignorantia.

Prob. 1. iis omnibus argumentis quibus paullo post demonstrabimus animam Christi perfectissima praeditam fuisse scientia; haec enim illam excludit. Iis tamen haec pauca praemittimus. I. Christus perfectissimus cum esset homo, omnes illas habere debuit perfectiones quibus homo capax est. Ignorantia autem est maxima imperfectio. II. fuit Christus mediator, doctor, judex hominum. Porro qui ignorantiam habet nequit mediatoris, doctoris, et judicis partes obire. III. auctor QQ. ad Orthod. Q. 58. *Christo*, inquit, *ignorantiam adscribere, impietatis est*. Origenes Com. in Matth. ad illa verba, *Intellexistis haec omnia*, scribit: *Christus non ignarus interrogat*. Chrysostomus Serm. 21. in Lazar. ait: *Ignoravit, o Judaee, qui dixit ubi posuerunt eum? Itaque ignoravit etiam in paradiso Pater, ubi absconditus esset Adam*. S. P. Augustinus lib. 2. de Pecc. merit. cap. 29. *Quam plane ignorantiam, nullo modo crediderim fuisse in infante illo in quo Verbum caro factum est*. Merito proinde a cunctis PP. et ab universali Ecclesia damnati sunt tamquam haeretici, Agnoitae.

CONCLUSIO II.

Christus ut homo perfectissima praeditus erat scientia creata.

Prob. 1. Scripturis. Isaias cap. 11. v. 2. haec de Christo ut homine praedicit: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae,*

et intellectus ... spiritus scientiae , et pietatis. Johan. cap. 1. v. 14. *Vidimus* , inquit, *gloriam ejus ... plenum gratiae, et veritatis* . Paulus ad Colos. cap. 2. v. 3. *In quo* , inquit, *sunt omnes thesauri sapientiae , et scientiae absconditi .* Haec sane de Christo homine dicta sunt , ut per se patet ; atque adeo perfectissima in eo fuit scientia .

Prob. 2. ex PP. Praeter illos enim quos in superiori attulimus propositione , laudari quoque possunt Patres africani , quos inter erat Augustinus , qui emendationis libellum a Leporio quondam nestoriano exhibitum plenis calculis approbarunt . In eo autem libello fatetur Leporius se olim inscitiam tribuisse Christo , sed addit *: Nunc dicere non praesumo , verum etiam errorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam , quia dici non licet etiam secundum hominem ignorasse Dominum Prophetarum* . Cyrillus alexandrinus lib. 3. cont. Nestorium scribit : *Credimus ex ipso ventre uteroque Virginis Emmanuelem ipsum , qui Deus erat , hominem prodiisse plenum omnino sapientia et gratia , quae illi naturaliter inerat* . Eulogius item alexandrinus apud Photium Cod. 230. ita loquitur *: Neque secundum divinitatem , neque secundum humanitatem affirmare in Christo ignorantiam extitisse periculosae temeritatis est expers* . Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 18. inquit *: Nihil fuit quod ignoraverit Dei Filius .* Et Hieronymus in Ep. ad Damasum *: Plenam*, inquit, *habuit scientiam, et certissimam veritatem .* Vide Gregorium M. Ep. 42. et Damascenum lib. 3. cap. 22.

Prob. 3. ratione . Christus ut homo in hac mortali vita promeruit . Non potuit autem promereri intellectione divina et increata , quum Deus meriti incapax sit : ideoque promeruit per intellectum creatum .

CONCLUSIO III.

Anima Christi non scientia solum infusa , sed acquisita etiam et experimentali ornata erat .

Prob. 1. thes. pars. Christus a primo suae conceptionis instanti fuit homo perfectus , ut Ambrosius de Sacram. cap. 7. Hieronymus in cap. 7. Isaiae , et Augustinus lib. 2. de Pecc. merit. cap. 29. docent . Ast non fuisset perfectus homo si creata caruisset scientia . In primo autem conceptionis instanti scientiam habere non potuit creatam et acquisitam , adeoque fuit illi infusa . II. Ecclesia catholica Gnosticos ac Valentinianos semper execrata est quod Christum sub praeceptore literas didicisse fabularentur , et Agnoitas aliquam tribuentes Christo ignorantiam . III. Cyrillus alexandrinus lib. 3. cont. Nestor. *Credimus* , inquit , *ex ipso ventre uteroque Virginis Emmanuelem plenum omnino sapientia et gratia , quae illi naturaliter inerat . Quodnam igitur incrementum caperet ille in quo sunt omnes thesauri sapientiae ?* S. P. Augustinus lib. 2. de Pecc. merit cap. 29. ablegat a Christo puero ignorantiam quae in reliquis invenitur infantibus .

Prob. alt. pars. Apostolus ad Hebr. cap. 5. v. 8. de Christo ait: *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, obedientiam*. II. SS. PP. unanimiter affirmant Christum per externos effectus suam manifestasse divinitatem et sapientiam. III. hoc est inter infusam ac acquisitam scientiam discrimen, quod illa spectat rerum substantias, et contemplatur veritates in rerum objectis determinatas; ast vero Christus sensuum officio et experientia veritates contemplabatur in rerum objectis determinatas. Quare praeter scientiam infusam habuit scientiam quoque acquisitam et experimentalem.

SCHOLION.

Si quis secundae huic contradicat conclusionis parti, nulla potest theologica censura notari. Nam complures Theologi post S. Thomam, Bonaventuram, et Scotum in sententias, quamvis affirment multa per naturales intellectus creati vires Christum agnovisse, negant tamen ex repetitis actibus genitum in ejus mente fuisse habitum scientiae acquisitae, quoniam ejusmodi habitus, inquiunt, habitum impedivisset scientiae infusae per quam cognoscebat omnia.

CONCLUSIO IV.

Anima Christi semper habuit scientiam Beatorum, non vero scientiam comprehensivam.

Prob. 1. pars sacris literis. Johan. cap. 1. v. 14. legitur: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*. Et v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Et cap. 8. v. 55. inquit Christus: *Si dixero quia non scio eum* (Patrem,) *ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo*. Jam vero quis non videt laudatis in sententiis sermonem fieri de Christo quatenus homine? Fit enim sermo de Verbo quod caro factum est et habitavit in nobis, de cujus plenitudine nos omnes accepimus, quodque Patris servat sermonem ac voluntatem: ast laudata testimonia Christo Domino intuitivam adscribunt Dei visionem. Quid namque aliud est gloriam habere a Patre, et quidem ut gloriam unigeniti, plenum esse gratiae ac veritatis, divinitatis possidere plenitudinem, illumque ad ceterorum differentiam hominum cognoscere, nisi Deum intuitive contemplari? Allatum mox argumentum non modo demonstrat Christum habuisse scientiam Beatorum, sed ostendit praeterea nullum fuisse temporis instans in quo scientia illa seu beatifica visione caruerit. Nam oritur illa ex hypostatica humanitatis unione cum Verbo. Cumque nullum fuerit temporis instans in quo humanitas Christi hypostatice unita non fuerit Verbo divino, nullum proinde fuit momentum in quo Christus ut homo intuitiva Dei gavisus non sit visione. II. PP. auctoritate. Eusebius caesariensis lib. 10. Dem. Evan.

cap. 21. illa Ps. verba: *In te projectus sum ex utero*, exponens de Christo, scribit: *Cum enim adhuc in penetrali gestantis me genitricis essem, te Deum meum intuebar*. S. P. Augustinus in Ps. 15. ad illa verba, *Tu es qui restitues haereditatem meam mihi*, docet Christi humanitatem numquam amisisse haereditatem et claritatis notitiam qua divinum Verbum erat apud Patrem priusquam mundus fieret, hisce aliis verbis: *Tu es qui restitues mihi haereditatem: ut nota sit et his quos libero, claritas qua eram apud te, prius quam mundus fieret. Non enim restitues mihi quod non amisi, sed restitues his qui amiserunt ejus claritatis notitiam: in quibus quia ego sum*, mihi restitues. Et in lib. 1. de Pecc. merit. cap. 31. scribit: *Per distantiam divinitatis et infirmitatis filius Dei manebat in caelo, filius hominis ambulabat in terra: per unitatem vero personae, qua utraque substantia unus Christus est, et filius Dei ambulabat in terra, et idem ipse filius hominis manebat in caelo*. S. Leo in Ep. 11. ad Julianum: *Cum simplex*, inquit, *et incommutabilis natura deitatis tota sit semper in sua essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum, et sic naturam assumptam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat*. S. Fulgentius ad Ferrandum scribit: *Non existimo illi animae in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo*. Merito itaque nunc omnes omnino Catholici, sive docti sint sive idiotae, credunt animam Christi potitam semper fuisse intuitiva Dei visione.

Prob. altera pars. Comprehensiva cognitio aequare Dei intelligibilitatem debet, eamque exhaurire; hinc qui scientiam habet comprehensivam, non modo intueri Dei essentiam debet ejusque attributa, sed insuper omnia singulorum attributorum objecta et singulas creaturas etiam possibiles habere praesentes. Verum caruit anima Christi ejusmodi cognitione. Nam exigit haec intellectum infinitum, adeoque increatum, quum Christi intellectus utpote creatus finitus esset ac limitatus. Praeterea ut anima illam habeat scientiam, requiritur ut anima eadem sit scientia ac sapientia per se, non illam recipiat ab alio: quod de Christi anima non verificatur. Hinc Basileense concilium sess. 2. propositionem hanc, *Anima Christi Deum videt tam clare et intense, quam clare et intense Deus videt seipsum*, jure meritoque damnavit, quamvis a B. Augustino de Roma olim Ordinis nostri Generali, deinde episcopo nazareno, viro doctissimo, animo non malo fuerit prolata.

Difficultates enodantur.

Obj 1. cont. 1. prop. Apostolus in 2. ad Cor. cap. 5. v. 21. de Christo ait: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Aliquid ergo ignoravit Christus, nempe peccatum. 2. Admiratio, ut per se patet, supponit ignorantiam. Christum vero commotum admiratione legitur passim in sanctis paginis, ut Matth. cap. 8. v. 10. *Audiens Jesus* (fidem Centurionis,) *miratus est*.

Resp. ad 1. Christus ignoravit peccatum, nempe juxta Scripturarum phrasim, odio habuit peccatum. Vel caruit peccati scientia practica, experimentali, non autem speculativa. Et primo quidem verbum *cognoscere* vel *non cognoscere*, juxta Scripturas crebro significat, *amare*, et *odio habere*. Ita cum inquit Apostolus, *Quos praescivit*, *hos praedestinavit*, idem est ac si dicat, *Quos praedilexit*, *hos praedestinavit*. E contra vero cum sponsus virginibus fatuis inquit, *Nescio vos*, idem est ac si dicat, *Odio habeo*, vel *reprobo vos*. Apostolicae ergo sententiae sensus est, Christum poenas dedisse pro peccato quod odio habebat ac reprobabat. Quod si verbum *cognoscere* sumere pro notitiam habere velis, dici potest secundo Christum numquam experientia novisse peccatum, quum innocens esset, et nihilominus pro peccato mortuum esse. Ceterum adeo verum est novisse Christum quid sit peccatum, ut in Scripturis dicatur agnus qui tollit peccata mundi. Quomodo autem concipi potest ignorasse quod morte et sanguine suo ab hominibus abstulit?

Ad 2. In Christo saepe fuit admiratio metaphorice, non proprie sumpta. Haec namque motus est animi ex intuitu novi alicujus objecti ortus, quae nullo plane modo locum in Christo habuit. Sumpta vero improprie et metaphorice, nihil aliud est quam externa oris compositio ad intuitum alicujus insoliti objecti licet praevisi et cogniti demonstrans admirationem. Atque hoc modo admiratus est Jesus fidem Centurionis: hoc est, audiens ethnici viri verba, *Domine non sum dignus*, *ut intres sub tectum meum*: *sed tantum dic verbo*, *et sanabitur puer meus*, ad Judaeorum eruditionem simul et reprehensionem dixit, *Non inveni tantam fidem in Israel*.

Obj. 2. cont. 2. thes. Ut detur fuisse in Christo scientiam creatam, illa tamen non fuit perfectissima, nec semper in anima ejus. Nam Isaias cap. 8. v. 4. de Christo in spiritu loquens ait: *Antequam sciat puer vocare patrem suum*, *et matrem suam etc.* II. et loquitur sane Propheta de notitia patris et matris, non de impedimento membrorum. Cohaerent quippe allata verba cum iis quae de Christo habet Lucas cap. 2. *Et Jesus proficiebat sapientia*, *et aetate*, *et gratia apud Deum*, *et homines*. Profecto qui sapientia dum puer est proficit, vocare patrem et matrem nescit, non solum quia membris non valet, sed etiam quia caret cognitione. III. praesertim cum Evangelista dicat profecisse Jesum sapientia coram Deo. IV. hinc SS. PP. Lucae verba exponunt de scientia quae rerum notitia sit, quae incrementum sumeret in anima Christi. S. namque Epiphanius Haer. 76. inquit: *Si ... sine mente erat* (Christus,) *quomodo sapientia in anima et corpore proficiebat*? Proclus in Ep. ad Armenos scribit: *In novissimis temporibus processit* (Filius Dei) *sapientia*, *et aetate secundum carnem*. Ambrosius de Incarn. cap. 7. *Quomodo proficiebat sapientia Dei*, *doceat te ordo verborum*, *profectus est aetatis*, *et profectus sapientiae*, *sed humanae est*: *ideo aetatem ante praemisit*, *ut secundum hominem crederes dictum*; *aetas enim non divinitatis*, *sed corporis est*. *Ergo si proficiebat aetate hominis*, *proficie-*

bat sapientia hominis . V. nec aliam certe tenuit Lucas de Christi scientia sententiam. Nam de eo proxime morituro loquens cap. 22. ait: *Apparuit autem illi Angelus de caelo confortans eum* . Porro si Christus omnia novisset, Angelo non indiguisset confortante.

Resp. ad 1. Verborum Isaiae sensus est: antequam Emmanuel membra habeat acta ad vocandum patrem et matrem. De puerulo quippe nondum membris ad ambulandum valente, nonne recte dicimus quod non valeat ad ambulandum? Sic et Christus per Prophetam: qui etsi Deus simul et homo esset, voluit tamen in ceterorum hominum similitudinem omnes transigere aetates. Hinc in hebraico textu legitur: *Antequam sciat puer vocare, pater mi, et mater mea*.

Ad 2. Lucae testimonium de scientia acquisita et experimentali, non de scientia absolute est accipiendum. Voluit enim significare Christum semper et a primo conceptionis instanti animam habuisse plenissima rerum omnium infusa scientia exornatam. Dum autem vitam ageret nobiscum sensu animae et exercitamento virtutum, adeoque experimento cognovisse illa eadem quorum anticipatam habebat notitiam. Hoc sensu loquitur etiam Apostolus cum in Ep. ad Hebr. cap. 5. v. 8. inquit: *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, obedientiam*. Quod si alicui responsio haec non arrideat, dicat loqui Evangelistam de externa sapientiae demonstratione qua Christus in dies novis argumentis seipsum manifestabat, et solutionis fidejussorem habet Athanasium qui Orat. 4. cont. Arian. scribit: *Sic enim augescente secundum aetatem corpore, augebatur etiam in eo divinitatis ostensio*. Consonat Athanasio Gregorius nazianzenus Orat. 20. quae est in laudem Basilii, ubi sic loquitur: *Proficiebat, quod divina paulatim aperirentur, ac se proderent*. Et Cyrillus alexandrinus lib. 3. adv. Nestorium, dicens profecisse, *Quod Deus Verbum cum incremento et aetate corporis sui, divinorum bonorum significationem commensus fuerit*. Eodem modo textum exponunt Titus Bostrensis, Bernardus, et alii.

Ad 3. Eodem modo sequens solvitur argumentum: proficiebat nempe Christus ut homo coram Deo sapientia experimentali, non novarum notitia rerum. In dies quippe exercebat Christus obedientiam aliarumque exempla virtutum, quae animam ejus vere et coram Deo exornabant. Et quemadmodum Deus dixit Abraham Gen. cap. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quod times Deum*, hoc est, nunc experimento comprobavi; ita etiam dicere Filio suo in carne virtutes exercenti poterat, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Sicque verba illa, *apud Deum*, denotant realitatem vel experimenti vel manifestationis ex parte Dei, non ex solius parte Christi; unde sensus est. Deus experimento comprobavit *Filium suum continuo exercere virtutes*: vel, *Christus visus est hominibus proficere coram Deo sapientia*. Atque eodem modo respondetur si quis urgeat profecisse Christum sapientia et aetate. Si sapientiae nomine scientia intelligatur experimentalis, utique haec per exercitium virtutum crescebat in Christo, quomodo Christus crescebat aetate. Si autem

τὸ *proficiebat*, idem sit ac manifestabatur, sensus erit. Christus videbatur hominibus crescere coram Deo sapientia, quomodo cernebant proficere illum aetate. Denique ut difficultatis nodus praecidatur dicendum est Evangelistae verba sic esse intelligenda ut Christus proficeret apud Deum et homines gratia. Neque enim recte dicitur proficere quempiam sapientia et aetate apud Deum. Ita Jansenius et Estius.

Ad 4. Nihil est in allatis PP. testimoniis quod traditam mox responsionem de scientia acquisita et experimentali mirifice non confirmet. Sapientia enim qua proficiebat Jesus, procedebat, juxta Epiphanium, in anima et corpore. Erat sapientia, juxta Proclum, secundum carnem. Et juxta Ambrosium, erat sapientia hominis. Ejusmodi autem scientia acquisita est et experimentalis; unde Ambrosius ibidem ait: *Deus perfectionem naturae suscepit humanae*. En humanitas Christi scientiae exornata plenitudine quae ad humanam spectat perfectionem. Prosequitur adhuc S. Doctor: *Suscepit sensum hominis, sed non sensu carnis fuit inflatus*. Quid est sensum hominis habere qui carnis sensu non inlletur, nisi de bono in melius mutari? Incrementum ergo sumpsit indita illa scientia quam cum humanitatis perfectione suscepit, et mutata est in melius per operum experientiam. Unde concludit: *Sensu hominis animam dixit conturbatam, sensu hominis esurivit et rogavit, sensu hominis profecit*; ac si opera enumeret quorum fecit experimentum. Vel possunt laudati PP. exponi de scientia Christi quoad externam manifestationem. Per carnem quippe ac per sensum humanitatis propriam manifestavit hominibus divinitatem.

Ad 5. respondeo verbis S. Epiphanii qui Haer. 69. ita Lucae textum exponit: *Confortent ipsum omnes Angeli Dei: non ut dent ipsi robur Angeli: non enim indigebat Angelorum confortatione. Sed confortent ipsum, hoc est, confitendo proprium ipsius robur ipsi attribuant. Nam et nos saepe ubi debiles fuimus, Deum benediximus, saepe Deum confortavimus, non quod Deus indigeat nostra benedictione, sed confitentes ipsius benedictionis robur claro sermone dicimus. Tua est potentia, tuum robur, tuus est honor, tua est gloria, tua est benedictio, tua est fortitudo*.

Obj. 3. cont. eamd. prop. Matth. cap. 24. legitur Christum dixisse discipulis, *De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater*. Idemque repetitur Marci 13. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater*. Ignorabat itaque Christus judicii diem quomodo illum ignorabant Angeli; ac proinde anima illius non fuit plenitudine scientiae exornata. II. nec dici potest ignorasse Christum judicii diem ut caput Ecclesiae erat, non ut singularis persona. Nam si res ita se haberet, turpiter mentitus fuisset; negasset siquidem se judicii scire diem quem optime novisset. III. cumque illius diei notitiam soli Patri tribuat, fatetur se omnimode et sub quovis respectu diem illum ignorare. IV. quod si diem ignorare dixit, quatenus ut Ecclesiae caput non expediebat ei revelare, etiam de Patre dici poterit quod judicii diem ignoret. V. hinc Athanasius, Basilius,

Gregorius nazianzenus, Cyrillus, Theodoretus, et alii, ubi haeretici ut divinitati perfectionique Christi derogarent, allatum Evangelii locum urgebant, reponere solebant ignorantiam illam non in Christi divinitate, sed in ejus carne ac humanitate fuisse sitam.

Resp. ad 1. Ignorabat Christus extremum judicii diem ut caput Ecclesiae, non absolute et ut singularis erat persona. Christus enim sub variis considerari potest respectibus; videlicet et quatenus singularis persona erat, quatenus caput Ecclesiae quam acquisivit sanguine suo, et quatenus minister paternorum consiliorum, et quatenus potestatem a Deo accepit ut judex esset vivorum ac mortuorum, et sic porro de ceteris sub quibus considerari potest aspectibus. Porro quando nos dicimus habuisse Christum rerum omnium et etiam ultimae diei plenissimam scientiam, loquimur de illo quatenus erat singularis persona in duabus subsistens naturis, divina nempe et humana. *Quomodo enim nescit judicii diem, qui et horam judicii, et locum, et signa expressit, et caussas?* inquit Ambrosius lib. 4. de Fide cap. 10. Id tamen non officit quin de Christo sub aliis respectibus considerato dici aliquo sensu possit ultimum judicii diem ignorasse. Rem explico. Christus ut caput Ecclesiae erat, paternorum minister consiliorum, et omnis creaturae judex, extremum se judicii diem ignorare affirmat, quatenus non expediebat ut diem illum Apostolis ut ipsi desiderabant, revelaret. Ita Augustinus noster lib. 1. de Trinit. cap. 12. *Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat ut tunc discipulis indicaret.*

Ad 2. Neque sic respondendo discipulis mentitus aliquo modo est. Nam non sub eodem respectu quo diem illum sciebat se nescire affirmavit. Sciebat ut singularis divina persona erat, se scire negavit ut erat caput Ecclesiae. Et quemadmodum non mentitur judex qui se scire negat alicujus rei delicta quoniam illa revelare non expedit, ita non est mentitus Christus negando se scire judicii diem quem manifestare non expediebat Apostolis.

Ad 3. Nimis argumentum ostenderet: demonstraret scilicet nec Verbum divinum nec Spiritum sanctum diei illius habere notitiam; quandoquidem Christus dicit, *Nisi solus Pater*. Ea ergo phrasi utitur Christus ut insinuet Apostolis rem esse arcanam atque reconditam quae non expediat hominibus revelari.

Ad 4. Quum ad Patrem humanae redemptionis non pertineat dispensatio, nec ipse caput sit Ecclesiae, aut vivorum mortuorumque judex, *Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio*, hinc nequit divinus Pater dicere se judicii diem ignorare.

Ad 5. respondeo 1. laudatos in argumento Patres forte adscripsisse ignorantiam humanitati Christi in se spectatae, abstrahendo ab unione hypostatica. 2. Vel quod verosimilius est, quum laudati Patres adversus divini Verbi hostes disputarent, ne alio distraherent disputationem, quando haeretici ut probarent Christum non esse Deum, postremae diei urgebant ignorantiam, haec de humanitate dicta esse, non de divinitate respondebant.

Obj. 4. adv. 4. prop. Johan. cap. 7. v. 39. legitur: *Jesus nondum erat glorificatus*: quae paria sunt iis quae habet Lucas cap. 24. v. 26. *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*. Christus itaque dum hanc agebat vitam, quum non esset glorificatus, intuitiva Dei visione non fruebatur. II. beatitudo est bonorum omnium aggregatio summam in anima pariens voluptatem, proindeque consistere in eadem anima nequit, quae maximo summoque torquetur dolore. Anima porro Christi acerbissimos passa est cruciatus, ita ut in horto Angelo indiguerit confortatore, et in cruce pendens exclamavit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quare non potuit in illius anima consistere beatitudo quae ex intuitiva descendit visione. III. neque reponat quis considerari posse animam Christi secundum diversas rationes. Nam si gaudium summum sit, ut revera est illud ex intuitiva Dei visione ortum, ita totam absorbet animam ut nullo prorsus sub quavis ratione affici possit dolore.

Resp. ad 1. Jesus dicitur in Evangeliis nondum glorificatus per admirabilem suam ascensionem, non quod intuitiva careret visione. Eodem quippe modo ait Johannes Christum nondum fuisse glorificatum, quomodo inquit Spiritum sanctum nondum fuisse datum; sic enim habet integer versiculus: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Ast Spiritus sanctus tunc revera datus erat multis, puta Mariae, Annae, Zachariae, et aliis, quamvis datus non esset omnibus: itaque etiam Christus erat tunc per intuitivam Dei visionem glorificatus, quamvis nondum glorificatus esset per admirabilem suam ascensionem. Sensus ergo Evangelistae est, Spiritum sanctum nondum fuisse datum quia Jesus adhuc non ascenderat in caelum. Spoponderat namque se post ascensum suum in caelum missurum Spiritum sanctum Apostolis, sicuti et factum est: *Cum autem abiero, mittam eum ad vos*. Lucas autem non de animae, sed de corporis gloria quam post resurrectionem consequi debebat Christus, loquitur. Vel de gloria quae in nominis exaltatione consistit, quamque per passionem ac mortem consequi Christus debebat quum sanguine suo Ecclesiam sibi acquisierit.

Ad 2. Stare utique summa voluptas nequit cum summo dolore in eadem animae parte, ast vero non repugnat ut duo illa in diversa animae parte consistant. Summus ergo dolor in inferiori animae Christi parte grassabatur, dum ejusdem Christi animae pars superior intuitiva Dei fruebatur visione. Secundum enim superiorem rationem anima illa sanctissima adhaerebat divinitati in se inspectae, sicque summo gaudio summaque fruebatur voluptate; secundum rationem vero inferiorem illigata anima illa erat proprio corpori, ex cujus vulneribus illatisque tormentis summum percipiebat dolorem. Atque ita in eadem Christi anima summum gaudium cum summo dolore consistebat; quemadmodum in martyribus pax atque voluptas ex Dei charitate procedens, cum summo dolore qui ex cruciatibus oritur consistit.

Ad 3. Summum gaudium utique ita animum absorbet ut distrahi dolore non possit, si persona in qua gaudium est super animum su-

um absolutam non habeat potestatem, quam in animum suum habebat Christus Dominus. Hinc mera rationalis creatura, quales sunt Angeli et beati in patria, sic summo gaudio quod ex intuitiva Dei visione oritur absorbentur, ut alio distrahi nullo modo possint. Ast Christus quum Deus simul et homo esset, exercebat in proprium animum ejusque facultates infinitam illam qua praeditus erat potestatem, per quam cohibebat summam voluptatem quae superiorem animi partem occupabat ne difflueret in inferiorem. *Unde uno Jesus tempore Dei fruebatur visione, et intolerabili passione gemebat*, inquit Laurentius Justiniani de Christi triumph. agon. cap. 29.

Obj. ultimo cont. 4. thes. S. Fulgentius in Resp. ad Q. 3. Ferrandi adscribere videtur animae Christi scientiam comprehensivam. Nam primo ait *animam Christi plenam suae deitatis habere notitiam*. Secundo longe majorem divinitatis cognitionem adstruit in illa sanctissima anima quam in Angelis ceterisque beatis; etenim ad illa verba quae Ps. 17. leguntur, *Ascendit super Cherubim*, ait: *Quid ergo est super Cherubim ascendere, nisi omnem scientiae plenitudinem incomprehensibili altitudine superare? Sed haec confidenter atque indubitanter dicimus de sanctis Angelis atque hominibus sanctis*. Demum Christum per id quod homo est, affirmat noscere seipsum, quomodo Pater Filius ac Spiritus sanctus ad invicem noscuntur, ait enim: *Caveamus ne ipsi uni Christo ex aliqua parte, non solum Patris, sed etiam sui, et Spiritus sancti cognitio denegetur*. Consimilia habet Albinus Flaccus lib. 11. de Trin. cap. 12.

Respondent nonnulli recensitis phrasibus Fulgentium non adscripsisse animae Christi veram comprehensivam scientiam, sed intuitivam visionem prae ceteris Angelis atque beatis clariorem. Idque ex eo demonstrant quod ibidem scribat: *Possumus plane dicere animam Christi habere plenam notitiam deitatis suae, nescio tamen utrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam deitatem noverit, quemadmodum seipsa divinitas novit*. Alii tamen tenent Fulgentium existimasse animam Christi comprehendisse revera Deum sicuti Deus comprehendit seipsum. Quod patet, inquiunt, non solum ex rationibus quas egregius ille doctor attulit, sed ex ipsa Ferrandi quaestione quam affirmative resolvit. Quaestio autem his comprehenditur terminis: *Utrum anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam, et quemadmodum se invicem norunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, ita idem Filius seipsum per id quod homo est, in eo quod Deus est noverit ex utraque atque in utraque substantia totum capiens Patrem*. Albinus autem Flaccus laudato in argumento capite ipsissima exscripsit Fulgentii verba, quare eadem solvendum est responsione argumentum.

CAPUT VII.

An anima Christi peculiarem sibi voluntatem et operationem habuerit, contra quam sentiant Monothelitae.

Ebionitae, Samosatenses, Ariani, Apollinaristae, haereticique reliqui, unicam in Christo sive divinam sive humanam tantum admittentes naturam, appellari jure queunt Monothelitae, hoc est, unius voluntatis adeoque et operationis in Christo assertores. Quum enim actio a natura tamquam a radice proficiscatur, si unica sit in Christo natura sive humana sive divina, unica quoque erit actio voluntatis et operationis. Quod licet ita se habeat, Monothelitae tamen peculiari nomine haeretici illi appellantur qui duas admittentes vel saltem aperte non negantes in Christo Domino naturas, contendunt nihilominus unicam fuisse in eo voluntatem et operationem. Portentosum hujusmodi monstrum quomodo secundum impia haereticorum principia cohaereat postea dicemus. Nunc monothelismi historiam paucis attingere juvat.

Post absolutum generale Chalcedonense concilium Jacobus quidam syrus eutychiana labe infectus, obscuri tamen nominis summaeque audaciae vir, tam insolenter in ipsius Concilii definitionem imperialesque leges eam confirmantes coepit debacchari, ut populares suos et Armenos ad ea procaciter repudianda excitaverit; eaque de caussa Jacobitae dicti sunt; quum interim imperialium legum defensores seu Catholici, a Jacobitis contumeliae caussa nuncuparentur *Melchitae*. Quum Heraclius Imperator ditionis suae provincias lustrans zeloque catholicae fidei accensus singulos ad duas in Christo admittendas naturas invitaret, Hieropoli incidit in Athanasium quemdam eutychiana fuligine tinctum et patriarcham Jacobitarum, eique Antiochenam pollicitus est ecclesiam si eutychianam haeresim ejurasset. Annuit Athanasius, sed interim Imperatorem interrogavit an duplex vel unica tantum admittenda sit in Christo voluntas et operatio. Dubius haesit Heraclius, interrogavitque Sergium C-P. Patriarcham, tum Cyrum antistitem alexandrinum, et Theodorum pharanitanum qui una mente unoque ore ad Imperatorem fallendum conspirantes, unicam in Christo voluntatem unamque operationem admittendam esse responderunt. His peractis Cyrus edito decreto primus inter Episcopos palam monothelismum spargere et propugnare coepit. Restitit quidem ei Sophronius monachus sanctitate ac doctrina percelebris, sed quum nihil proficeret, caussam ad Sergium C-P. detulit a quo nil aliud obtinere potuit, quum et ipse eodem imbutus esset errore, nisi ut utrique parti silentium imponeretur. Factus subinde Sophronius Hierosolymorum episcopus, vidensque malum in dies latius spargi, eorum quae in oriente eveniebant certiorem fecit Honorium R. P. Sed hunc circumvenerat Sergius qui captiosa subdolaque epistola Romano Pontifici suasit ut conciliandae caussa pacis literis gravissimis imponeret silentium. Mortuo paullo post Honorio, Sergius qui plurimum apud incautum Heraclium

gratia valebat, *Ecthesim* composuit quam a C-P. conciliabulo ea de caussa convocato approbatam, sub Imperatoris nomine vulgavit, ac valvis affixit C-P. ecclesiae. Heraclius tamen in Ep. ad Johannem IV. R. P. fassus est se inscio penitus Ecthesim illam compositam et vulgatam fuisse. Mortuo impio Sergio, pax qua sub Constantino Heraclii filio qui defuncto patri successerat frui coepit Ecclesia, turbari denuo coepit a Pyrrho Sergii successore qui una cum cathedra errorem haereditaverat. Coacta namque alia pseudo - synodo Ecthesim a Sergio editam et ab Ecclesia damnatam iterum confirmavit. Pyrrho in C-P. sede successit eadem infectus lepra Paullus qui Constanti Imperatori Constantini filio et Heraclii nepoti suasit ut *Typum* ederet, quo sub pacis obtentu silentium circa duplicem voluntatem imponebatur. Damnavit *Typum* Martinus I. in Lateranensi concilio una cum Heraclii *Ecthesi*, erroris que architectis Theodoro pharanitano, Cyro alexandrino, Sergio, Pyrrho, Paullo constantinopolitanis. Indignatus propterea Constans Imperator Romanum Pontificem in exilium misit Chersonam ubi brevi Christi martyr occubuit. Constanti in Imperio successit Constantinus Pogonatus, et Martino I. in Romana cathedra Agatho qui communi consilio sextum generale convocavere Concilium in quo omnis denique finita est controversia. Nam definitum statutumque est duas esse in Christo voluntates duasque operationes, et damnati monothelismi auctores inter quos nomen quoque invenitur Honorii R. P. Atque ad hunc modum se habent pessimi erroris vicissitudines.

In hoc autem Monothelitarum consistit haeresis, ut velint unam esse in Christo voluntatem unamque operationem quemadmodum unica est in Christo persona. Sed non omnes eodem modo in via iniquitatis incedunt. Alii quippe ajunt voluntatem et operationem esse humanam, alii e contra divinam, alii demum ex humana divinaque mixtam, quae *Theandrica*, seu *Deo virilis* dici debeat. Contra hos ergo in universum demonstrabimus duas esse in Christo voluntates et operationes quemadmodum duae sunt in illo naturae, divinam videlicet et humanam.

CONCLUSIO.

Duplex est in Christo voluntas et operatio.

Prob. 1. thes. pars. Esse in Christo voluntatem divinam Monothelitae inficiari non audent, et satis superque saudetur illis Christi verbis, ne multus sim, quae Lucae cap. 13. v. 34. occurrunt: *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti?* Sane non ut homo haec dixit Christus, quum homo recenter factus esset, sed ut Deus, quatenus illos jamdiu in vero Dei cultu congregare confirmareque voluit. Quod autem in illo fuerit voluntas quoque humana a divina distincta, haec Scripturae testimonia demonstrant

apertissime. Matth. cap. 26. v. 39. ita loquitur Christus: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Lucae cap. 22. v. 42. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Johan. cap. 6. v. 38. *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Paulus ad Philip. cap. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*. Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui*. Marci cap. 14. v. 33. *Coepit* (Christus) *pavere et taedere*. Hujus generis innumera in sacris literis occurrunt. Jam vero qui voluntatem habuit a voluntate Patris distinctam, Deo in omnibus subjectam, et aliquando tristem, adversaque reformidantem, voluntatem plane habuit humanam sibique propriam a voluntate Dei distinctam; neque enim voluntati divinae recensiti a sacris literis characteres convenire possunt. Ejusmodi autem fuit voluntas Christi: atque idcirco humana voluntas a divina distincta in eo fuit. II. concinunt Scripturis SS. PP. Athanasius de Adv. Verbi cont. Apollinar. haec habet: *Cum dicit Christus, Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat: et, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, duas hic voluntates ostendit, unam videlicet humanam, quae carnis est propria, alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem mortem recusat; divina vero ipsius est prompta*. Gregorius nyssenus eadem illa evangelica exponens verba inquit: *Quoniam igitur alia est voluntas humana, alia divina, tamquam ex natura hominis sic loquitur*. Ambrosius lib. 2. de Fide in illa eadem verba sic scribit: *Alia voluntas hominis, alia Dei ... suscepit voluntatem meam, suscepit tristitiam meam*. Chrysostomus in eumdem locum ait: *Ac propriam quidem habere se voluntatem significat manifeste, sed ubique paternam voluntatem anteponit suae*. S. P. Augustinus lib. 2. adv. Maximin. cap. 20. inquit: *Ubi autem dixit Filius Patri, Verum non quod ego volo, sed quod tu vis: quid te adjuvat quod tua verba subjungis et dicis, Ostendit vere voluntatem suam subjectam suo genitori. Quasi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subjectam?* Omitto Maximum martyrem, Johannem IV. Agathonem, et alios qui Monothelitarum haeresim ex professo impugnarunt. Hinc facile patet quam merito Ecclesia principio in Conciliis particularibus, tum in VI. oecumenica Synodo haeresim cum suis auctoribus fautoribusque solemniter damnaverit. III. rationibus. 1. Christus humanam habuit naturam in suo genere perfectissimam. Esset autem imperfecta si propria careret voluntate. 2. Habuit ipse animam intellectu exornatam, ut contra Apollinaristas demonstravimus, quoniam, ut ait Augustinus, humana natura a Verbo assumpta erat perfecta. Propter hoc ergo esse debuit in illius anima etiam voluntas; praesertim cum ipsi philosophi doceant intellectum ac voluntatem non esse proprietates ab anima realiter distinctas. 3. *Turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit; dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit; contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit; mortuus est Jesus, ve-*

rum est, *sed quia voluit*, ait Augustinus Tract. 49. in Johan. Ast haec omnia velle nequivit Jesus voluntate divina, quum fames tristitia mors orta sint in Christo ex corporis occasione; neque corpus occasionem dare potest divinitati ut actiones illas humanas patiatur et velit. 4. Ratio cur unam admitterent in Christo Monothelitae voluntatem, est quoniam in eo est unio hypostatica. Nullius autem ea ratio ponderis est, quia sicut unio hypostatica non obstat quin duae sint in Christo naturae, quod Monothelitae inficiari non audent, ita non obstat quin duae sint in Christo voluntates humana atque divina; praesertim cum fons et origo voluntatis et actionis in natura resideat, ut in objectionum solutione dicemus. 5. Illud a Verbo divino assumptum est, quod est ab eo sanatum, ut sapienter inquit Gregorius nazianzenus. Verum sanata est per redemptionem humana voluntas originali sauciata peccato; adeoque hanc assumere Verbum debuit.

Prob. altera prop. pars. Duplex est in Christo natura, divina nempe et humana, distincta et inconfusa, ut contra Eutychianos docet catholica fides, nec Monothelitae denegare audent. Porro operandi facultas multiplicatur sicuti multiplicantur naturae, ut probe ait Damascenus lib. 3. de Fide cap. 15. *Quorum enim diversa natura est*, *horum est diversa actio*. Et e contra, *Quorum operatio una est*, *horum essentia una est*, ait Basilius adv. Eunomium: quapropter duplex est in Christo operatio, divina et humana. II. Christus Dominus, ut Evangelia legentibus apparet, nonnulla revera operatus est ut Deus, nonnulla autem ut homo. *Siquidem ut Deus tantum operabatur*, *quando absens Centurionis filium sanabat*: *in quantum vero homo tantum ... quando comedebat et tristabatur*, scribit Maximus martyr Schol. in Ep. 4. Dionysii. Quare duae erant in eo operationes ad invicem distinctae. Neque enim filii Centurionis sanatio aliaque miracula opera erant humanitatis, uti opera non erant divinitatis comedere tristari sitire pati etc. III. si divina dumtaxat, non propria humana operatio in Christo fuisset, ut Monothelitae delirant, nullo modo haeretici carnis Christi denegantes veritatem possent refutari; ideo namque Catholici demonstrant Christum verum gestasse corpus, quoniam veras humanas exercuit operationes, atque inde argumenta Patres desumunt ad Phantasiastas refellendos. Ne ergo tam absurda admittamus, fateamur oportet praeter divinam fuisse in Christo humanam quoque operationem.

SCHOLION.

Ut omne praecludamus Monothelitis effugium, operae pretium est animadvertere duas quidem esse universim in Christo operationes, quemadmodum duae sunt in illo naturae: sed ex duplici illa operatione alia tertia quaedam resultat quae mixta potest appellari. Rem explico exemplis a Maximo martyre allatis. *Ut Deus tantum operabatur*, *quando absens Centurionis filium sanabat*: En Christi operatio divina. *In quantum vero homo*, *quando comedebat et tristabatur*: En operatio mere humana. *Mixtim autem operabatur miracula*, *caecis oculos illiniendo restituens*, *He-*

morroissae fluxum solo tactu restituens. Haec est operatio ex divinitate mixta quoad miraculi patrationem, et quoad corporis contactum ex humanitate. Hae mixtae Christi operationes vocantur a Graecis *theandricae*, a Latinis *Deo-viriles*. *Celerum*, ait Dionysius Ep. 4. ad Cajum, *neque divina ut Deus gerebat; neque humana ut homo, sed in humanato Deo: novam quamdam* θεανδρικὴν, latine *Deo-virilem, operationem nobiscum conversando exhibebat*. Verum non eodem sensu operatio illa theandrica accipitur a Monothelitis et a Catholicis. Hi enim docent esse duplicem, non unam; hoc est proficisci quidem ab uno operante, videlicet Christo cujus substantia divina est: sed compositam esse ex operatione divina et humana quae remaneant distinctae realiter. Ast Monothelitae qui humanitatem in Christo merum fuisse censent inanime ac mere passivum instrumentum, ajunt operationem illam θεανδρικὴν, unam esse, non duplicem, et totam divinam; quoniam a divina natura tamquam ab efficiente caussa elicitur. In quo turpissime decipiuntur, ut ex argumentorum patebit solutione.

Refelluntur argumenta Monothelitarum.

Obj. I. Voluntas et operatio sunt proculdubio actiones. Actiones autem sequuntur personam; quoniam *actiones*, ut habet vulgare proloquium, *sunt suppositorum*. Porro unum erat in Christo suppositum illudque divinum, quemadmodum catholica fides adversus Nestorium docet. Quare unica erat eaque divina in Christo voluntas et operatio. II. neque argumentum solvitur respondendo actiones procedere a natura. Nam etiamsi verum id esset, in Christo nihilominus unica fuit actio voluntatis et operationis; quoniam humana quae in ipso erat natura, merum erat instrumentum divinitatis. Nequit autem merum instrumentum per se elicere actiones, quum hujus actio in caussam refundi debeat principalem. Quo sensu Athanasius Orat. 4. ajebat: *Deus existens proprium corpus habuit, ut hoc usus instrumento homo propter nos factus est*. III. neque recursum habere juvat ad instrumentum activum atque passivum. Nam quaelibet instrumentalis caussa statim ac instrumentalis est, motum recipere a caussa principali debet. Ast recipere motum et operationem idem est ac pati: atque idcirco quum mere passive se haberet humanitas in Christo, unica in eo erat eaque divina voluntas et operatio.

Resp. ad I. Voluntas et operatio sunt revera actiones seu potius facultates agendi. Ast vero falsum est actiones sequi personam. Nam haec sive suppositum, nihil aliud in suo conceptu dicit quam naturae modificationem seu modum existendi; unde subsistentia vulgo appellari solet. Modus autem seu modificatio nequit esse principium motus et quietis, adeoque actionis. Principium itaque elicitivum, ut inquiunt, seu facultas agendi insidet, velut propria radice in natura. Haec enim est principium motus et quietis, ejus in quo est, ut inquit Aristoteles. Hinc ubi unica est natura, una quoque est actio; sicuti ubi multiplex est natura,

multiplex quoque actio est. Sic quoniam in divinis unica est natura, unica actio est seu facultas agendi ad extra, quamvis tres sint personae. Et e contra quilibet homo, puta Plato, quoniam in unica hypostasi duas habet naturas, spiritualem unam, alteram corpoream, ab una eademque persona duplicis generis fiunt actiones, aliae nempe mere spirituales, aliae vero mere corporeae. Vulgare autem proloquium, *actiones sunt suppositorum*, eo sensu verum est, quod sint suppositorum attributione ac denominatione, non absolute. Nam uni supposito actiones omnes eaeque diversae ab una vel multiplici natura in eodem supposito existente elicitae attribuuntur, illiusque suppositi denominantur. Atque hinc colligitur quod ubi unicum est suppositum, ibi unus est operans, etiamsi in eo supposito diversae existant naturae. Itaque quum duae sint in Christo diversae naturae, duae etiam diversae esse debent actiones, proindeque voluntas divina et voluntas humana, operatio item divina et operatio humana. Hae autem actiones denominantur Christi, hoc est, illi attribuuntur; quoniam quum una sit in Christo persona, unus dumtaxat est agens per voluntatem et operationem.

Ad 2. Humana natura in Christo erat profecto instrumentum, sed vivens, agendique praeditum facultate, non iners inanime et mere passivum. Quid activum quid passivum instrumentum sit norunt omnes. Sic v. g. calamus quoniam est instrumentum iners ac mere passivum, incapax est actionis, et scriptio quae ab eo efficitur, manus est scribentis et dirigentis, non ipsius calami. Non ita tamen si instrumentum activum sit, suaque praeditum efficientia; ut patet exemplo servi qui ab Aristotele heri instrumentum appellatur: qui cum vivus sit, activus et animatus, propriam habet actionem, ab hero tamen suo directam. Humanitas ergo Christi dici recto sensu potest divinitatis instrumentum, quod vivum quum sit et animatum, propriam a divina diversam facultatem habet agendi, adeoque volendi et operandi. Atque hoc sensu Athanasius aliique nonnulli PP. ante exortam praesertim Monothelitarum haeresim, humanitatem Christi fidenter appellant vel divinitatis vel Verbi instrumentum.

Ad 3. Quodlibet instrumentum recipit sane motum a caussa principali, sed modo sibi proportionato, non eodem modo. Nempe instrumentum iners et passivum uno, instrumentum autem activum et animatum alio modo a principali caussa recipit motum. Nemo enim dixerit servum a principali caussa moveri sicuti movetur a manu scribentis calamus. Hinc quando instrumentum agendi praeditum facultate motum et operationem a caussa principali recipit, patitur quidem, sed eo sensu quod non ex intrinsecis et natura sua sibi ipsi ab initio motum tribuerit et facultatem agendi, sed a primaria caussa receperit. Ex quo certe non sequitur instrumentum activum sibi propriam non habere agendi facultatem: alioquin nullus homo ea praeditus esset potestate, quoniam illam ab initio, non a seipso, sed a primo motore recepit. Humanitas ergo Christi quum subsistat per hypostasim Verbi, a Verbo ipso facultatem potestatemque recepit volendi et operandi; eoque sensu operatio et motus il-

lius a nonnullis Patribus dicitur passio, sed ipsa humanitas cum divino motu motum sibi proprium exercebat. Vel distingui potest cum S. Thoma aliisque Theologis in Christi humanitate ratio instrumenti, et ratio naturae: ita ut humanitas comparate ad divinitatem sit instrumentum, comparate vero ad actiones humanas sit natura. Natura autem facultatem habet activam et efficientem sibi propriam, ut per se manifestum est. En angelici Doctoris verba 3. p. q. 19. art. 1. *Actio instrumenti in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis: potest tamen habere aliam operationem, prout est res quaedam. Sic igitur operatio quae est humanae naturae in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis; non enim est alia salvatio qua salvat humanitas Christi, et divinitas ejus. Habet tamen humana natura in Christo, in quantum est natura quaedam, quamdam propriam operationem praeter divinam.*

Obj. 2. I. S. Athanasius in lib. de Adv. Chr. ita scribit: *Genitus est ex Virgine* (Christus,) *prima ex creatione humanam sibi formam excitans, exhibita carne sua sine carnalibus voluntatibus et cogitationibus humanis in imagine novitatis: siquidem divinitatis solius voluntas fuit*. Inquit hic Athanasius humanitatem Christi novum quiddam a ceteris habuisse hominibus, ut scilicet voluntatem non haberet, sed voluntas esset solius divinitatis. II. eadem tradit Clemens quoque alexandrinus in 6. Stromat. *Voluntas enim erat solius divinitatis*. III. Gregorius nazianzenus Orat. 36. affirmat, *Velle illius* (Christi) *in nulla re fuisse Deo contrarium, totum deificatum*. IV. si duae in Christo admittantur voluntates, cogimur fateri illas fuisse inter se contrarias. Voluntas quippe divina expetebat, refugiebat autem voluntas humana mortem.

Resp. ad 1. Per Athanasium solius divinitatis est voluntas quoad Incarnationis mysterium, non quoad Christi personam. Quod ex ipsius verborum patet lectione. Loquitur enim de modo quo Incarnatio peracta est, aitque non ex carnalibus cogitationibus ac voluntatibus, hoc est, ex virili semine, sed voluntate ac divina virtute Verbum formasse sibi corpus absque peccati macula ut fuit corpus Adam ex prima creatione. Idque novum esse sapienter affirmat, quoniam nemo umquam eo modo natus est ex muliere. Hoc idem affirmat Clemens alexandrinus: unde eadem esto ad illius sententiam responsio.

Ad 3. Docet laudatis in verbis Gregorius nazianzenus humanam Christi voluntatem divinae non fuisse contrariam, quoniam ab hac illa regebatur; idque vocibus illis, *totum deificatum*, voluit exprimere. Ceterum si Christi voluntas fuit deificata, quomodo ergo illa divina? Si sola in Christo erat divina voluntas, quomodo S. Doctor demonstrare aggreditur non fuisse Deo contrariam?

Ad 4. In primis si unica tantum erat in Christo divina voluntas, ut Monothelitae contendunt, non potuit Christus mortem velle simul et reformidare. Numquid divina voluntas mutabilis est? Christus ergo mortem expetebat secundum voluntatem divinam, illam vero reformidabat se-

cundum voluntatem humanam. Nec proinde una alteri contraria erat; tum quia divina voluntas mortem non sine dolore subeundam praeceperat; tum quia Christi humana voluntas secundum partem superiorem voluntati divinae semper obtemperavit, quamvis secundum inferiorem partem mortem exhorresceret; tum denique quoniam non ita dolor inferiorem partem subvertit ut obtemperaverit invita: unde Christus ipse Marci cap. 14. v. 38. inquit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Obj. 3. Cyrillus alexandrinus lib. 4. in Evang. Johannis adstruere videtur in Christo unam dumtaxat operationem ex duabus naturis conflatam: *Cum principis synagogae*, inquit, *filiam suscitavit dicens, Filia surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est: eam nempe omnipotenti suo jussu, ut Deus; et rursus tactu sanctae carnis vivificando, unam et congeneam per haec ambo ostendit operationem.* II. clarius adhuc loquitur Dionysius in Ep. 4. ad Caj. *Ab Incarnationis tempore, non secundum Deum divina gessit Christus, nec humana secundum hominem. Verum Deo viro facto, unam quamdam* θεανδρικὴν, *Dei-virilem, operationem expressit in vita.* III. Gregorius nyssenus apertissime docet humanam naturam merum fuisse instrumentum passivum; in Eunom. enim ita scribit: *Divinitas per corpus quod induit, hominum omnium revera salutem operatur, ut propria carnis sit perpessio, Dei autem operatio.* Quid pro Monothelitarum systemate clarius?

Resp. ad 1. 1. S. Cyrillus divinitatis et carnis unam congeneam in Christo appellat operationem cum operatione Patris. Siquidem vult ibi ostendere divinum Verbum etiam post assumptam carnem, eamdem retinuisse cum Patre operationem: quod ex miraculis a Verbo in carne patratis demonstrat; eo vel maxime quod ibi evangelica exponit verba, *Ego et Pater unum sumus*: et, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Nec alia de caussa carnem commemorat, nisi ut ostendat etiam post Incarnationem veram retinuisse divinam naturam. 2. Per unam et congeneam operationem forte Cyrillus unicum intelligit operantem, ut putat Maximus martyr; idque contra Nestorianos duas in Christo distinguentes personas, adeoque et duos operantes: quos ibi refellit. 3. Vel denique loquitur Cyrillus de operibus dumtaxat extraordinariis in quibus certe haereticum non est affirmare humanitatem actionem non habere a Verbo distinctam. Ceterum in lib. 22. Thesaur. *Non enim*, inquit, *unam utique esse dabimus operationem Dei et humanitatis, ne aut creaturam provehamus ad divinam substantiam, aut vicissim.*

Ad 2. dico 1. In Dionysii allato textu non *unam quamdam theandricam etc.* legi, sed *novam quamdam*; et per summum scelus fuisse Dionysii verba a Monothelitis corrupta. Hinc Martinus Papa in concilio Later. Consul. III. ita haereticos reprehendit: *B. Dionysio asserente novam quamdam Dei-virilem operationem inter nos conversatam; uterque eorum apertissime contra Patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo capitulo, novam immutando, et unam pro nova asserendo ... Sergius autem immutationem novae cum illo confirmans, et non solum*

hoc , sed et Deo - virilem amputans penitus vocem , et unam absolute in Christo Dei dogmatizans operationem . 2. Per Deo - virilem operationem intelligit Dionysius tertium illud operationum genus quae mixtae dici possunt , et de quibus diximus in scholio . Ita Dionysii verba interpretatur Maximus martyr Schol. in Ep. 4. ad Caj. ubi sic inquit : *Illam miscellaneam operationem solam* , θεανδρικὴν , *Deo - virilem, appellavit* . 3. Vel loquitur demum de genere et modo operandi Christi , qui proculdubio novus ac mirabilis fuit ; neque enim operabatur ut Deus tantum , neque dumtaxat ut homo , sed tamquam Deus et homo simul .

Ad 3. 1. Res omnes creatae eo ipso quod a Creatore moventur dici possunt pati . Caro Christi regebatur ac movebatur a divinitate ; quum omnes humanae actiones etiam mere naturales nutu divini Verbi gubernarentur , juxta illud S. P. Augustini Tract. 49. in Joan. *In illius potestate erat , sic vel sic affici , vel non affici* . Gregorius ergo nyssenus hoc modo carnis fuisse passionem affirmat , quatenus videlicet a Verbo movebatur . 2. Quum Nyssenus verba ibi faciat de communi omnium salute , loquitur forte de passione quae illam nobis promeruit , aitque infinitum pretium redemptionis solutum et operatum fuisse a divinitate , passionem vero ac mortem a carne .

CAPUT VIII.

An Honorius I. R. P. Monothelitarum adhaeserit erroribus .

Initio praecedentis capitis diximus Sergium patriarcham C-P. duas in Monothelitarum caussa dedisse ad Honorium R. P. duasque ab eo recepisse epistolas . Quae quum per orientem vulgatae fuissent , magnas Catholicos inter ac Monothelitas turbas excitarunt ; his quidem Romanae Sedis sententiam jactantibus et auctoritatem , illis e contra Honorii epistolas ab omni errore immunes defendentibus . Controversia denique tota ad sextam delata est generalem Synodum , ubi postquam Honorii epistolae sunt ad trutinam revocatae , hoc Action. 13. prolatum est judicium : *Dogmaticas retractantes epistolas , quae tamquam a Sergio quondam patriarcha hujus a Deo conservandae regiae urbis scriptae sunt , tam ad Cyrum , quam ad Honorium : similiter autem et epistolam ab Honorio rescriptam ad eumdem Sergium , hasque invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus , et a definitionibus sanctorum Conciliorum , et cunctorum probabilium Patrum , sequi vero falsas doctrinas haereticorum , eas omnino abjicimus , et tamquam animae noxias execramur* . Haec et graviora de Honorii scriptis ejusque persona decies in eo Concilio prolata inveniuntur . Hinc duo inquirere solent Theologi . Primo an Honorius in suis ad Sergium epistolis sententiam secutus sit Monothelitarum . Secundo quid de lata a sexto generali Concilio in Honorium sententia sentiendum sit . Et quoad secundam hanc pertinet quaestionem , ne eadem bis repetamus , lectorem remittimus ad ea quae lib. 4. cap. 12.

scripsimus ubi de hoc argumento fuse pertractavimus. Inquiremus ergo hoc in capite in mentem dumtaxat Honorii, quam catholicam undequaque fuisse absque ulla haesitatione pronunciamus.

Sed antequam id demonstrare aggrediamur, operae pretium existimo indigitare quo subterfugio ac praetextu usi sint initio Monothelitae ut proprium errorem disseminarent; id namque solemne semper fuit haereticis ut sub alicujus defendendi dogmatis obtentu novas inveherent haereses in Ecclesiam. Sergius ergo ut praeconceptum animo monothelismum fidentius propugnaret, Catholicis praedicantibus duplicem in Christo voluntatem, divinam et humanam, imponere coepit quasi duas admitterent in eo contrarias voluntates, carnis et spiritus, atque adeo admitterent in Christo fomitem peccati, quod impiissimum est. Verens autem ne si longius controversia protraheretur, facile tandem detegeretur calumnia, totis viribus satagebat ut nec una nec duplex in Christo praedicaretur voluntas. Ad quod obtinendum hac utebatur arte. Quum Nestorii et Eutychetis haereses adhuc in oriente vigeant, si duae in Christo enunciantur voluntates, ansam praebemus Nestorianis duas in eo propugnandi personas. Si vero unam, inferre inde poterunt Eutychiani unicam esse in Christo naturam. Atque haec et similia religionis simulans zelum ad Honorium Papam Sergius scripsit, ab eo enixe petens ut Catholicis in oriente degentibus gravissima epistola imperaret ne unius vel duplicis voluntatis deinceps uterentur vocabulo. His ita perpensis non admodum difficile erit Honorii epistolas ad Sergium ab haeresis nota vindicare, quod nunc facere aggredimur.

CONCLUSIO

Honorius in suis ad Sergium epistolis nullimode adhaesit Monothelitis.

Prob. 1. ex Epistolis ipsis in quarum prima ad Sergium, quae Action. 12. sextae generalis Synodi legitur, ita scribit: *Unde et unam voluntatem fatemur Domini N. J. C. quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata ... Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura quae repugnaret legi mentis ejus; nam lex alia in membris aut voluntas non fuit vel contraria Salvatoris, qui super legem natus est humanae conditionis*. Jubet deinde ut Catholici a vocabulo unius vel duplicis operationis abstineant, hac praecise de caussa: *Ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe si rursus unam operationem D. N. J. C. fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur*. Ac denique illam concludit epistolam ita hortans Fideles, *Ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum D. J. C. Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus fide orthodoxa et unitate catholica praedicetis*. Haec

in priori Summi Pontificis epistola occurrunt. In altera autem quae pariter Action. 12. ejusdem Concilii prostat, haec inter cetera habentur: *Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quae Dei sunt operantem, humanam quae carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse, aut inconvertibiliter Dei naturam in hominem, et nec humanam in Deum conversam edocentes*. Et iterum: *Auferentes scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare; sed pro una, quam quidem dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: et pro duabus operationibus ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, idest divinitatis, et carnis assumptae in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes*. Jam vero nulla ratione Monothelitis accensendus est is, etiamsi unius vel duplicis operationis ac voluntatis vocabulum e medio tollendum esse censuerit, qui duplicem quae nobis per peccatum inest, ac mutuo pugnantem carnis et spiritus voluntatem a Christo removet: qui duas negat voluntates ac operationes in Christo ne cum Nestorio duplex in illo admittatur persona: unamque dici vetat operationem et voluntatem ne cum Eutychianis una in Christo admittatur natura: qui duas in Christo agnoscit naturas sibi propria operantes, divinam nimirum naturam divina, et humanam humana: qui denique affirmat unum esse operantem humana humanitus, et divina divinitus. Haec autem omnia tradit Honorius in duplici sua ad Sergium epistola, ut ex allatis excerptis apparet. Non itaque accensendus est Honorius Monothelitis.

Prob. 2. coaetaneorum suppariumque scriptorum auctoritate et rationibus. 1. Johannes Abbas qui ab epistolis Honorio fuerat, ejusdemque epistolas scripserat ad Sergium, post Pontificis obitum de illius circa Monothelitarum haeresim mente interrogatus, gloriabantur quippe in proprio adstruendo errore apostolicae sedis nomine et auctoritate, ita ad Imperatorem nomine Johannis Papae IV. scripsit apud Maximum mart. in Dial. *Unam voluntatem dicimus in Domino, non divinitatis ejus, et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae humanitatem ejus significabat ... Id ita esse evidenter ex eo demonstratur quod membrorum et carnis facta est mentio, quae divinitati quoque ejus non possunt attribui*. Tam praeclarum Johannis Abbatis testimonium non modo interpretationem quam Honorii verbis paullo supra tradidimus confirmat, sed praeterea controversiam dirimit omnem circa fidem Honorii. Quis enim fide dignior habendus est epistolarum Honorii interpres, secretarius ejus, ut Maximus in disput. cum Pyrrho ajebat, an qui Constantinopoli haeretica labe erant infecti? Quod argumentum apud Pyrrhum tanti

valuit ut penitus obmutuerit. 2. Johannes ipse Pont. IV. Honorii in Pontificatu successor epistolarum Honorii apologiam dedit ad Imperatorem in qua prae ceteris haec habet: *Decessor meus docens de mysterio Incarnationis Christi dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates. Quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium.* Quid illustrius pro Honorii desiderari potest apologia? Idem haec alia scribit: *Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster praenominato Sergio patriarchae scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, idest in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex praevaricatione primi hominis. In nobis enim, non in eo cooperatur quod scriptum est, Scio quia non habitat in me, idest in carne mea, bonum.* Haec et similia S. Pontifex habet in ea apologetica epistola ad Costantinum. 3. S. Maximus martyr strenuus debellator Monothelitarum qui Pyrrhum in disputatione superavit, in Ep. ad Marinum ita loquitur: *Honorium etiam R. P. non diffiteri reor in Christo voluntatum dualitatem in ep. quam scripsit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem, sed potius confiteri, et hanc fortassis etiam constabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanae Salvatoris, et naturalis voluntatis: sed quod nullatenus conceptionem ejus, quae fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem praecesserit voluntas carnis, vel cogitatio vitiosa.* Si ergo sanctum hunc Martyrem audiamus, et cur eum non audiamus nulla ratio est, eodem namque ac Honorius tempore floruit deque controversia hac pertractat ex professo, Honorius Papa non solum Monothelitis non favit, sed catholicam de duplici Christi voluntate sententiam constabilivit. Quod illustris Apologista sequenti confirmat argumento. *Non sunt*, *inquit* (Honorius,) *haec diversae voluntatis, idest, contrariae atque adversatricis. Ex quo duas secundum naturam existere in Salvatore voluntates manifeste colligitur. Si enim contrariam non habuit, naturalem habuit tamquam homo.* Lege ipsius quoque Dialogum cum Pyrrho, qui inter Anastasii Collectanea extat. 4. Agatho et ipse Romanus Antistes sub quo indicta celebrataque fuit sexta oecumenica Synodus adversus Monothelitas, in Ep. ad Constantinum a PP. laudatae Synodi plenis calculis approbata, fidenter pronunciat nullum Praedecessorum suorum a fide umquam aberrasse. De quo plane gloriari non potuisset si Honorius adhaesisset Monothelitis. Imo in eadem Ep. Honorii commendare videtur oeconomiam dicens: *Apostolicae memoriae meae parvitatis Praedecessores dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem haereticam in Christi immaculatam ecclesiam C-P. Ecclesiae praesules introducere conabantur, numquam neglexerunt eos hortari atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore saltem tacendo desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiae facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno D. N. J. C.* Profecto loqui hic Agathonem de Honorio ac epistolis ejus nemo non videt.

Prob. 3. duplici ratiocinio. 1. Honorius in suis epistolis nil aliud denique praestitit quam petitionibus annuere Sergii patriarchae C-P. qui nactus occasionem a disputatione inter Sophronium monachum, primum, tum hierosolymitanum episcopum, ac Cyrum antistitem Phasidis postulavit ab Honorio per literas ut ab unius vel duplicis voluntatis et operationis vocabulo fideles deinceps abstinerent. Ast vero Sergius quum jam in corde monothelita esset, duarum voluntatum operationumque nomine se intelligere simulabat duas voluntates et operationes humanas sibi contrarias, carnis ac spiritus, ut ab initio animadvertimus; unde in sua ad Honorium epistola ajebat: *Ex his consequens fit duas agnoscere voluntates inter se contrarias*. Quare eo sensu Honorii epistolae vetant ne una vel duplex praedicetur de Christo voluntas et operatio, ne duae contrariae voluntates in Christo admittantur. 2. Ratio quam Honorius in suis epistolis affert, eo unice tendit ut a Christo voluntatem abneget carnis voluntati spiritus reluctantem: *Unam voluntatem fatemur D. N. J. C. quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata*. Ne cogitavit quidem itaque Honorius Monothelitarum errorem auctoritate sua confirmare.

Contraria argumenta diluuntur.

Obj. 1. Honorius in suis epistolis unam expresse affirmat esse in Christo voluntatem; scribit enim, *Unam voluntatem fatemur D. N. J. C.* Ast hoc idem docebant Monothelitae. II. nomine autem *voluntatis unius* in Christo, intelligebat proculdubio unam voluntatem utriusque naturae, quoniam affirmat Dominum Jesum omnia operatum fuisse media humanitate: *Confitentes D. J. C. mediatorem Dei et hominum operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter unita*. Hae phrases erant Monothelitis familiares.

Resp. ad. 1. 1. Honorium in sua ad sergium epistola non, *unam*, sed, *novam*, forte scripsisse, ac subinde a Monothelitis textus corruptus est, *unam* substituentibus pro, *novam*, uti fecisse constat in textu Dionysii in quem similem induxerunt mutationem, ut superiori capite observavimus. Testatur id Anastasius Abbas qui teste Maximo martyre ait, *Eum qui hanc epistolam per jussionem Honorii latinis dictaverat dictionibus, Dominum videlicet Abbatem Johannem sanctissimum Symponum, affirmasse quod nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis, licet nunc hoc sit fictum ab iis qui hanc in graecam vocem interpretati sunt*. 2. Etsi Honorius unam esse in Christo scripsisset voluntatem, nihil tamen inde posset contra illius fidei integritatem deduci. Non enim unam dixit voluntatem divinitatis et humanitatis, sed unam voluntatem humanam. Scripserat namque Sergius ad Honorium esse in oriente filios iniquitatis qui confutandae eutychianae haereseos praetextu duas Christi inveherant contrarias sibi volunta-

tes, carnis et spiritus, quasi fuerit in Christo peccati fomes, proindeque expedire ut nascens error praefocaretur. Apposite ad haec Honorius catholice respondit unam esse in Christi humanitate voluntatem, *quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura*, *non culpa*.

Ad 2. Scribens Honorius Christum operatum fuisse media humanitate, de humanitate loquitur quae vim haberet agendi, non quae iners esset ac mere passiva. Numquid hoc in crimen vertendum est sancto Pontifici? Nemo quippe unus est ex Catholicis qui non affirmet omnia Christi opera peracta media humanitate fuisse, iis exceptis miraculis ab eo patratis sine verbis ac carnis attactu, ut fuit sanatio pueri Centurionis cui absens sanitatem restituit. Deinde ait Honorius allatis in argumento verbis Christum divina media fuisse humanitate operatum propter unionem hypostaticam; ac si diceret, non humana modo, sed vel ipsa divina per humanam naturam Christus operabatur. Denique luculenter se explicat Honorius quid per phrasim illam sibi velit, dicens: *Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quae Dei sunt operantem, et humanam, quae carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse aut inconvertibiliter Dei naturam in hominem, et nec humanam in Deum conversam edocentes*. Nescio num haec fassi sint umquam Monothelitae. Qui quidem et ipsi fassi sunt aliquando Christum omnia operatum fuisse media humanitate; ast vero subintelligebant actionem omnem fuisse divinitatis quae humanitate uteretur tamquam mortuo ac passivo instrumento, quod numquam somniavit Honorius.

Obj. 2. Eisdem prorsus locutionibus in suis epistolis utitur Honorius, ac usi sunt praecipui monothelismi architecti. Et 1. Macarius in fidei confessione quae legitur Action. 8. Synodi sextae, nil aliud tradit quam non esse in Christo duas contrarias voluntates. Et nihilominus tamquam monothelita damnatus est. 2. Si Honorii epistolae ad Sergium, et Sergii ad Honorium, ad Cyrum, et ad Sophronium simul conferantur, verba verbis adamussim respondent. Numquid Sergius monothelita non erat? 3. Neque reponere juvat in eo peccasse dumtaxat Honorium, quod inconsulta oeconomia vetaverit ne una aut duplex diceretur in Christo voluntas. Nam hoc idem typo Constantis continebatur, quem nullus dixerit esse catholicum. 4. Demum eo devenit Honorius ut Scripturarum oracula quae duplicem adstruunt in Christo voluntatem, metaphorice exponat et in alienum sensum detorqueat.

Resp. ad 1. Comparatio Macarium inter et Honorium instituta locum in caussa nostra non habet. Nam Macarius in sua fidei confessione non solum negat duas in Christo contrarias voluntates, ut Honorius in literis ad Sergium fecit, sed addit praeterea humanam naturam in Salvatore fuisse *mobilem et motam*, *eique tribuendam esse solam passionem*, *totam denique conspersionem nostram adimpleri una et singulari voluntate divina*. Et post pauca: *Impossibile est enim in uno eodemque Christo Deo nostro duas simul et eodem tempore contrarias aut etiam similes voluntates subsistere*. Numquid haec tradidit umquam Honorius?

Ad 2. Si collatio fiat inter scripta Honorii ac Sergii, conveniunt quidem ad invicem in pluribus, sed non in omnibus. In hoc quippe cum Sergio conveniebat Honorius, quod duae essent in Christo naturae: quod Verbum *inconvertibiliter*, et *inconfuse* operaretur: quod non essent in una Christi persona duae contrariae voluntates: quod divinum Verbum omnia media humanitate operaretur. Sicque de ceteris, quamvis uno sensu ab Honorio, altero vero a Sergio haec eadem proferrentur. In hoc autem a Sergio discrepabat Honorius, quod hic doceret duas naturas in Christo fuisse operantes et operatrices, ita ut divina natura opera divina, humana autem opera humana efficeret; ille vero e contra ubique affirmaret naturam humanam mobilem ac motam fuisse a divina, velut inanime instrumentum a caussa principali movetur.

Ad 3. Typus Constantis jubebat ne una vel duplex praedicaretur de Christo voluntas, ut catholica veritas silentio sepeliretur. E contra Honorius non alio fine idem imposuit silentium, nisi ut haereses Nestorii et Eutychetis praefocarentur. Distinguenda namque sunt tempora et circumstantiae. Honorius eo tempore prohibuit ne una vel duplex praedicaretur in Christo voluntas, quo Monothelitarum haeresis detecta adhuc non erat. Cumque Sergius ei repraesentasset nonnullos sub unius vel duplicis voluntatis obtentu tentare Nestorii et Eutychetis errores invehere denuo in Ecclesiam, Summus Pontifex ut resurgentibus haeresibus sese opponeret, silentium oeconomiae caussa imposuit. Ast typus Constantis promulgatus tunc fuit quando jam majori in luce catholica veritas contra Monothelitas versabatur, et proscripta jam erat Heraclii *Ecthesis* consimilia praecipiens: notumque omnibus est eo animo promulgatum fuisse typum ut catholica de duplici in Christo voluntate et operatione fides de medio tolleretur. Non idem ergo de Honorii epistolis ac de Constantis typo ferendum est judicium.

Ad 4. Honorius diverso a reliquis Catholicis sensu Scripturarum oracula interpretatus est ut inde concluderet non fuisse in Christo duas sibi contrarias voluntates, non ut unicam in eo adstrueret absolute voluntatem et operationem. Idque ex eo patet quod doceat illa Scripturae loca propter nos prolata fuisse, ne humana videlicet voluntas in adversitatibus constituta se se divinae opponat voluntati. Quae ex definitione VI. oecumenicae Synodi objicere solent, soluta sunt lib. 2. cap. 12. harum institutionum.

CAPUT IX.

An Christi voluntas sanctitate, impeccantia, ac libertate praedita fuerit.

Postquam demonstravimus Christi Domini animam propria sibi naturali non caruisse voluntate, videndum modo est an eadem anima iis exornata fuerit perfectionibus quae ad voluntatem referri solent. Sunt autem praecipuae hae perfectiones, sanctitas, impeccabilitas, libertas, de quibus

hoc in capite singillatim est agendum. Sed initio nonnulla claritatis causa praemittenda sunt.

Quod Christi anima sancta fuerit nemo unus in dubium vertere audet. Illud dumtaxat solet a Theologis inquiri, an sanctitas qua Christi voluntas praedita fuit substantialis esset vel accidentalis. Sanctitas porro substantialis ea est quae ex hypostatica ac substantiali inter Verbum et humanitatem unione sponte sua proficiscitur. Accidentalis vero oritur a dono quod a subjecto cui inest distinguitur: et dicitur accidentalis quoniam extra naturae ordinem est, et potest in hac vita amitti. Dicitur etiam sanctitas creata, quoniam etsi ex parte principii seu Spiritus sancti a quo confertur considerata, ab ipso Spiritu sancto non distinguatur, sumpta tamen, ut inquiunt, formaliter, est qualitas inhaerens, seu charitas actu aut virtute permanens in anima. Jam vero cum Theologi docent fuisse in Christo sanctitatem accidentalem, sumunt illam non prout hominem constituit Dei filium adoptivum, quum Christus sit Dei Filius naturalis, sed quatenus est charitas animae seu voluntati superaddita; ita ut Christus Filius Dei constitueretur per gratiam substantialem, formaliter autem amans et volens per sanctitatem accidentalem.

Circa Christi Domini impeccantiam veteres haeretici non videntur errasse, si illos excipias qui in his Christi verbis, *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* vestigia se deprehendere arbitrati sunt desperationis. Narrat tamen Vasquesius Disp. 11. cap. 1. apostatam quemdam Praemonstratensem horrori non habuisse affirmare Christi voluntatem in peccatum aliquando incidisse. Quam blasphemiam omnes Catholici damnant, addentes insuper fuisse in Christi voluntate omnimodam impeccantiam. In eo tamen Theologi ad invicem non conveniunt, undenam scilicet Christi repetenda sit impeccantia, an a vehementi in virtutem studio, ut olim ajebat Nestorius, vel a beatifica visione et abundantibus gratiae donis, ut Scotus, Gabriel, Durandus, Marsilius, aliique arbitrantur; vel potius ut fert communis scholasticorum sententia, ex virtute unionis hypostaticae. Sed haec non magnam praeseferunt difficultatem.

Paullo difficilior est quaestio circa tertiam voluntatis Christi perfectionem, nempe circa libertatem. Nam licet arduum non sit percipere fuisse in Christo veri nominis libertatem tum divinam tum humanam in omnibus virtutibus exercendis, ut paullo post demonstrabimus, ubi tamen de exercitio charitatis in Deum, et de obedientia Patris praecepto de subeunda morte sermo instituitur, haeret, ut dicitur, paulisper aqua. Si enim Christi adhuc viatoris anima intuitiva Dei fruebatur visione, ut supra animadvertimus, consequens fit liberum non fuisse in actibus eliciendis charitatis erga Deum; quum voluntas naturali necessitate feratur in incommutabile bonum in se inspectum. Rursus si Christus fuit impeccabilis, ut infra dicemus, non potuit Patris non obtemperare praecepto de morte subeunda, sicque necessario, non libera electione mortem subiit. Haec, inquam, quaestionem de Christi libertate reddunt paullo obscuriorem. Curabimus tamen majori qua fieri poterit claritate eam explanare. Observan-

dum itaque est aliam esse libertatem *a coactione*, et aliam *a necessitate*. Voluntas libera est a coactione cum in objectum fertur non coacte, sed sponte atque lubenter, etiamsi in objectum illud feratur necessario. Sic voluntas v. g. Angelorum non potest in Deum non ferri illumque non amare, quoniam summum illud bonum conspicientes in se, nullam in eo rationem mali quae eorum voluntatem ab illo amando retrahat apprehendere possunt, est quippe bonum naturale voluntatis objectum. Nihilominus Angelorum voluntas libera est in Deo diligendo a coactione, quoniam sponte ac lubenter, non coacte in objectum illud fertur. Libertas autem a necessitate *est*, ut S. Thomas ait, *vis electiva mediorum, servato et non praetermisso ordine finis*. Ex qua definitione apparet libertatem a necessitate 1. consistere in potestate agendi vel non agendi; est enim electio quae excogitari non potest nisi respectu plurium, adeoque esse debet potestas hoc potius faciendi quam illud. 2. non includere potestatem peccandi, quum posse peccare idem sit ac deflectere posse a recto fine; et per consequens non esset libertas vis electiva mediorum servato ac non praetermisso ordine finis. 3. versari dumtaxat circa media ad finem conducentia, non circa finem ipsum; eo vel maxime quod ad ultimum finem non libere, sed naturaliter ac necessario tendimus. Sed haec alibi fusius exponentur. Observandum est praeterea medium quod pro consecutione finis eligitur, duplici modo considerari posse a voluntate; vel in se, vel quatenus ex aliqua suppositione cum fine necessario connectitur. Ut voluntas libera dici queat, sat est ut potestatem eligendi vel non eligendi medium in se inspectum habeat, quamvis ex aliqua facta suppositione medium illud non possit non eligere. Rem explico exemplo. Deus liber est ad hominem creandum, quoniam homo quum creatura sit, necessariam non habet cum Deo connexionem, ac ideo potest illum Deus creare vel non creare. Verumtamen attento decreto a Deo lato de homine condendo, nequit illum non creare; alioquin mutabilis esset. His breviter delibatis, quoad prioris quaestionis partem dico Christi voluntatem in eliciendis actibus charitatis erga Deum fuisse liberam libertate a coactione. Circa alteram vero partem addo illius voluntatem morti sese addixisse libere libertate a necessitate inspecta morte in se, non prout cum decreto aut praecepto Patris necessario connectebatur.

CONCLUSIO I.

Anima Christi sancta fuit sanctitate substantiali et accidentali.

Prob. 1. thes. pars. I. ex Scripturis. Dan. cap. 9. praenuntiatur futurus Christus *Sanctus sanctorum*; Lucae cap. 1. Gabriel Angelus sic Mariam alloquitur: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Harum locutionum plena est omnis Scriptura. Quibus in locis de Christo sanctitas enunciatur substantivo nomine, adeoque significatur, ut docti viri observant, sanctitas substantialis et increata. II. ex PP. Dionysius ale-

xandrinus in Ep. ad Paulum samosatenum ita scribit: *In eo ostendebatur Christi a Johanne discrimen ex summa munditia et incomparabili justitia, quod opus quidem justitiae Johannes erat, Jesus autem natura.* Et iterum: *Naturalis justitia existit in Christo*. Basilius in Psal. 44. *Ceteri homines*, inquit, *labore exercitatione et attentione animi hoc assequuntur ut ad honestatem bene sint affecti, et a malo aversi. Tibi vero* (Christe) *naturalis quaedam cognatio cum bono, et alienatio ab iniquitate*. S. P. Augustinus Enchir. cap. 40. *Modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, et de Maria Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Deo copularetur in tantam personae unitatem, ut ... fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quae nullum peccatum posset admittere*. Cyrillus alexandrinus lib. 11. in Johan. inquit: *Sanctum est illud omne quod a mundi sordibus est immune: quod quidem naturaliter est in Christo, adscititium vero et adventitium inest sanctis discipulis per sanctificationem quae est gratia*.. Maximus martyr in Dial. cum Pyrrho: *Ille non ut nos consultando et quaerendo, sed divine subsistendo per ipsum suum esse naturale bonum habuit*. Allatis in sententiis SS. PP. unanimi consensione affirmant sanctitatem et gratiam fuisse in Christo naturalem, ad ceterorum differentiam in quibus adventitia est et accidentalis. III. ratione quam laudati Patres suppeditant. Nam in Christo humanitas conjuncta hypostatice erat divinitati, ob quam unionem Christus est vere Filius Dei naturalis. Ast Filius Dei naturalis nonne sanctus est per essentiam?

Prob. alt. pars prop. Sanctitas accidentalis si habitualis sit, est charitas habitualis; si vero actualis charitas, est actualis, ut centies affirmat Augustinus et nos suo loco demonstrabimus. Verum non caruit Christus sive actuali sive habituali charitate; charitas enim ad animae rationalis pertinet perfectionem, quam in anima Christi fuisse quis inficiari audebit?

SCHOLION.

Praeter substantialem et accidentalem sanctitatem fuerunt in Christo omnia Spiritus sancti dona: quod jam praedixerat Isaias cap. 11. v. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini*. Imo exornata anima ejus fuit etiam virtutibus omnibus infusis et acquisitis, sive morales essent sive theologicae, quae tamen cum ejus integritate ac beatitudine non pugnarent; neque enim humana Christi natura infirma erat ut nostra, ejusque anima intuitiva fruebatur visione. Hinc virtutes quarum munus in refraenanda consistit cupiditate, erant in Christo dumtaxat quoad essentiam in recto ordine ac aequitate consistentem, non quoad omnes quos producere solent effectus. Fides autem et spes in illo nullimode inveniebantur, quum hae

duae virtutes cum statu Beatorum in quo Christus adhuc viator erat, directe pugnent. Quod ejus non officit perfectioni, quoniam melius est videre facie ad faciem, quam per speculum et in aenigmate: melius quoque est summum possidere bonum, quam illud expectare.

CONCLUSIO II.

Christi voluntas non modo omni caruit peccato, sed praeterea fuit omnino impeccabilis, eaque impeccantia ex unione oriebatur hypostatica.

Prob. 1. thes. pars I. ex sacris literis. Johan. cap. 8. v. 46. ita de se ipso coram invidis Pharisaeis et Scribis loquitur: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hinc Apostolus ad Hebr. cap. 4. v. 15. Christum inquit fuisse *tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato*. Et cap. 7. v. 26. rationem ejus rei reddens subdit: *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. Hoc idem docuerat Corinthios in Ep. 2. cap. 5. v. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Petrus quoque in sua 1. Ep. cap. 2. v. 22. scribit: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Et ne singula producam, Johan. in 1. pariter Ep. cap. 3. v. 5. ait: *Ille apparuit ut peccata nostra tolleret: et peccatum in eo non est*. II. ex traditione. Dionysius alexandrinus in 2. Ep. ad Paulum samosatenum ita loquitur: *Nullus peccati est expers, nisi solus Christus*. Athanasius in lib. de Incarn. *Erat*, inquit, *impossibile alio modo integritatem et impeccantiam in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse, qui peccati expertem justitiam in mundum invexit*. Hilarius lib. 10. de Trin. *Non est in vitiosa infirmitate hominis, qui Christus est*. Et ne in re tam manifesta longus fiam, S. P. Augustinus lib. 2. de Peccat. merit. cap. 24. inquit: *Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit umquam*. III. multiplici ratione. 1. Humanitas Christi erat substantialiter divino Verbo conjuncta. Ast divinum Verbum omnem expellere profecto debuit culpam. 2. Si aliquod in Christo fuisset peccatum, indiguisset redemptore. Non indiguit autem, quum ipse redemptor fuerit humani generis. 3. Debuisset praeterea prius pro suis, deinde pro populi delictis offerre sacrificium: quod absurdissimum foret. 4. Demum fecisset id quod lege sua faciendum vetuit.

Prob. alt. pars auctoritate Sanctorum. Hippolytus martyr apud Theodoretum Dial. 10. *Dominus*, inquit, *Jesus impeccabilis erat*. Augustinus Enchir. cap. 36. haec quoque profert: *Ut intelligant homines per eamdem gratiam se justificari a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum*. Prosper sive auctor de Vita contempl. lib. 3. cap. 31. *Sine peccato*, inquit, *conceptus et natus, non solum non peccavit, sed etiam peccare non potuit*. Fulgentius lib. 3.

ad Trasimundum regem cap. 29. *Propterea ... Christi humanitas sine peccato permansit*, *quia eam in unitate personae divinitas accepit*, *quae naturaliter peccare non novit*.

Prob. 3. prop. pars. Allata hactenus PP. testimonia appertissime ostendunt Christi Domini impeccantiae caussam in unione refundendam esse hypostatica: quibus haec alia possunt addi. Origenes lib. 2. Periarchon cap. 6. *Anima illa*, inquit, *in Deo posita est*: *ideo nec convertibilis et mutabilis dici potest*, *quae inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ingenita possedit*. Dionysii alexandrini ex Ep. ad Paulum samosat. excerpta verba superius attulimus. Gregorius nazianzenus Orat. 36. de Christi loquens voluntate, inquit: *Illius voluntas cum tota deificata sit*, *Deo proculdubio non adversatur*. S. P. Augustinus in lib. de Corr. et grat. cap. 11. *Neque enim*, inquit, *metuendum erat*, *ne isto ineffabili modo in unitatem personae a Verbo Deo natura humana suscepta*, *per liberum voluntatis arbitrium peccaret*, *cum ista susceptio talis esset*, *ut natura hominis a Deo ita suscepta*, *nullum in se motum malae voluntatis admitteret*. Infinitus essem, si omnia vellem Patrum testimonia exscribere. His accedit theologica ratio. Nam humanitas in Christo regebatur profecto a divinitate: adeoque non poterat ea de caussa Christus peccare; alioquin in Deo utpote in parte superiore refundendum fuisset peccatum. Tradit rationem hanc VI. generalis Synodus adversus Monothelitas Action. 8. eamque exemplo unionis inter animam et corpus cujusvis hominis illustrat, cujus corpus regitur ab anima veluti a caussa principali.

CONCLUSIO III.

Christi voluntas in eliciendis charitatis actibus erga Deum libera erat libertate dumtaxat a coactione.

Prob. Libertas a coactione in hoc praecise consistit ut voluntas sponte quidem ac libenter actus suos eliciat, sed non possit eos non elicere; hoc enim inter libertatem a coactione et libertatem a necessitate discriminis est, quod haec respiciat media quibus obtineri potest finis, illa autem respiciat finem ipsum in quem voluntas non ferri non potest si sub omni ratione boni ei exhibeatur, quum naturale voluntatis objectum sit bonum ipsum: ex quo etiam fit ut in objectum suum sponte feratur ac lubentissime. Voluntas ergo Christi sponte ac lubentissime charitatis actus erga Deum eliciebat, sed non poterat illos non elicere, quia a primo conceptionis instanti intuitiva fruebatur Dei visione quae secum fert necessario amorem; neque enim voluntas summum conspicere potest bonum facie ad faciem quin ei incommutabiliter adhaereat. Audiatur Angelicus Doctor qui in 3. Dist. 18. a 2. ad 5. scribit: *Dicendum est quod etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero*, *sicut ad diligendum Deum*, *quod non facere non potest*; *tamen ex hoc non amisit libertatem ... quia in illud non coacte*, *sed sponte*

tendit, et ita est actus sui dominus. Illustrari hoc potest Angelorum exemplo, qui non alia liberi sunt libertate quam libertate a coactione modo superius explicato; idque propterea quod Deum facie ad faciem videant. Ita pariter ex quo Christus Deum facie ad faciem cum adhuc viator esset videret, non alia libertate voluntas ejus libera erat in amando Deo quam libertate a coactione.

CONCLUSIO IV.

Christi voluntas in subeunda morte libera fuit libertate a necessitate comparate ad mortem in se inspectam, non prout connexa erat cum decreto aut praecepto Patris.

Prob. 1. sacris literis. Matth. cap. 26. v. 53. legitur jussisse Christum Petro ut gladium in locum suum converteret, hanc rationem reddens: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* Johan. autem cap. 10. v. 17. haec alia addit: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo*. Haec et similia crebro leguntur in Scripturis. Duo autem laudatis in oraculis inquit Christus quae contradictoria videntur, se nempe potestatem habere moriendi vel non moriendi, atque mandatum a Patre de subeunda morte accepisse. Duo autem haec conciliari nequeunt nisi asseramus Christi voluntatem liberam fuisse circa mortem in se inspectam, et non fuisse liberam circa eamdem mortem prout definita ac praecepta erat a Patre.

Prob. 2. theologica ratione. Libertas a necessitate non circa finem, sed circa media versatur; est quippe vis electiva mediorum servato et non praetermisso ordine finis. Media vero quum non sint summum bonum, non ita voluntatem trahunt quin ei potestas relinquatur indifferens ad illa assumenda vel respuenda. Ast Christi mors non finis ultimus erat, sed medium ad finem obtinendum, ut per se patet. Quare Christi non sic rapiebat voluntatem ut ei adimeret indifferentiam judicii: proindeque libere libertate a necessitate mortem oppetiit. Nec obstat quod Christi mors etiamsi medium esset, non finis, connexionem cum divinis decretis quae natura sua immutabilia sunt haberet. Nam Patris decretum et praeceptum mortis in se inspectae essentiam non immutavit; neque enim divinum decretum fecit ut Christo mors plenitudinem illam exhiberet voluptatis quae voluntatem necessario trahit, ac indifferentiam tollit judicii. Siquidem non repraesentabat summum bonum in quo nulla species apprehendi possit mali. Atque ita voluntas Christi mortem subiit plenissima libertate, quamquam inspecta Patris de morte subeunda lege non potuerit non mori. Deinde nonne integra manet humana libertas sub gratia ex intrinse-

cis suis efficaci, etiam dum voluntas a gratia actu movetur, quamvis physica gratiae motio sit voluntati ipsi intrinseca? Multo ergo magis stat Christi libertas sub praecepto Patris de subeunda morte ex immutabili Dei decreto, praesertim cum mandatum illud extrinsecum sit voluntati, et mere directive se habeat comparate ad finem.

CAPUT X.

Ubi praecipua adversariorum argumenta solvuntur.

Obj. 1. cont. priorem 1. thes. partem. Non minus divinum attributum est aeternitas, immensitas, omnipotentia etc. quam sanctitas substantialis. Verbum divinum humanitati non communicavit aeternitatem, omnipotentiam etc. Quare nec illi substantialem communicavit sanctitatem. 2. Praeterea humanitas non communicavit divinitati mortalitatem. Itaque nec divinitas communicavit humanitati sanctitatem; eodem quippe modo se habet mortalitas respectu humanitatis, ac respectu divinitatis sanctitas.

Resp. ad 1. Non minus attributum divinum est sanctitas quam immensitas, aeternitas etc. Sed sanctitas in aliquo discrepat ab aliis divinis attributis. Nam reliqua attributa conveniunt hypostasibus ratione divinae naturae, hoc est, ideo Pater Filius ac Spiritus sanctus aeterni sunt, immensi etc. quoniam divinam habent naturam quae aeterna est et immensa et omnipotens etc. Ast sanctitas est attributum, ut inquiunt, *transcendentale*, quod naturae ex aequo convenit ac personis. Non communicatur igitur humanitati omnipotentia immensitas etc. quoniam humana natura non terminatur proxime et immediate a divinitate cujus ea attributa propria sunt. Communicatur autem sanctitas, quia per hypostaticam unionem recipit humanitas subsistentiam a persona Verbi quae ex aequo sancta est ac divina natura. Alia etiam discriminis afferri potest ex parte humanae naturae ratio, quae cum finita ac limitata sit, incapax est aeternitatis omnipotentiae immensitatis, incapax autem non est sanctitatis substantialis.

Ad 2. Humanitas ideo non communicat divinitati propriam mortalitatem, quoniam per hypostaticam unionem non divinae naturae, sed hypostasi Verbi proxime copulatur. Hinc quemadmodum hypostasis Verbi quae est in Christo, dici potest mortalis *in concreto*; ita et humanitas sancta dici potest sanctitate substantiali. Sed de his sermo redibit inferius.

Obj. 2. cont. alt. thes. partem. SS. PP. uno ore affirmant sanctitatem fuisse Christo connaturalem, ut ex testibus superiori capite allatis apparet. Imo discrimen hoc inter Christi aliorumque statuunt sanctitatem, quod sanctitas illius esset substantialis ex hypostatica profluens unione, ceterorum vero sit accidentalis et adventitia. II. nec mirum, quoniam naturalis et accidentalis sanctitas nequeunt in eadem anima Christi simul consistere. Nam sanctitas accidentalis constituit hominem filium Dei adoptivum. Christus autem ob substantialem sanctitatem Filius erat Dei naturalis.

Resp. ad 1. Quando SS. PP. statuentes in Christo sanctitatem naturalem affirmant hoc inter illius aliorumque hominum animam esse discrimen, quod sanctitas illius esset substantialis, aliorum vero accidentalis, loquuntur de priori sanctitate absque alterius exclusione; eo vel maxime quod ita disserunt Patres ubi loquuntur vel de divina Christi natura, ut Dionysius alexandrinus adv. Paulum samosatenum, et Basilius in Psal. 42. vel de unitate personae, ut Cyrillus lib. 2. in Johan. cap. 9. vel de divinae Incarnationis oeconomia, ut S. P. Augustinus lib. 2. cont. Maxim. arian. cap. 15.

Ad 2. Sanctitas accidentalis constituit hominem filium Dei adoptivum, si aliunde non sit filius Dei naturalis ut erat Christus. Multa quippe sunt sanctitatis accidentalis munera, quorum unum est hominem filium Dei constituere adoptivum, idque profecto in Christo praestitisset, nisi ob hypostaticam unionem fuisset Filius Dei naturalis. Filiatio namque adoptiva non ad naturam, sed ad personam spectat. Cumque persona Christi filiationem haberet naturalem, sanctitas accidentalis non potuit Christo dare filiationem adoptivam. Nec proinde tamen otiosa in eo sanctitas accidentalis fuit: alia namque ad se spectantia munera illi communicavit, et illud praesertim quod animam Christi constituit *formaliter* sanctam: quum enim *forma* haec sit affectio quaedam et habitudo animae, repugnat ut id a sanctitate praestaretur substantiali; divinitas quippe fieri debuisset proprietas. Atque ita possunt utique in eadem anima consistere simul sanctitas substantialis et accidentalis.

Obj. 3. cont. 1. partem 2. prop. Psal. 21. Christus Dominus ita alloquitur Patrem: *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum*. En Christum fatentem se habere delicta. II. idipsum clarius adhuc colligitur ex N. Testamento. Matth. siquidem cap. 26. aliquid contra Patris decretum postulavit dicens: *Transeat a me calix iste*. Desiderare namque mortem effugere, quam definitam a Patre fuisse probe sciebat, peccatum praesefert inobedientiae. III. Christus e cruce pendens mortique proximus inquit: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quae verba vestigium continent desperationis. IV. hinc Apostolus in 2. ad Cor. cap. 5. jure scribit: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*.

Resp. ad 1. Christus fatetur se delicta habere nostra, non sua. Quum enim sese fidejussorem Patri exhibuerit pro delictis nostris, quid mirum si peccata nostra pro quibus mori paratus erat, sua appellat? Argumentum est suae erga nos charitatis, pro quibus mortem appetere dignatus est.

Ad 2. Christus mortem a Patre praeceptam effugere desideravit voluntate conditionata, non absoluta, atque ut propriae ostenderet carnis veritatem, non quod mortem subire sincere recusaverit. Quare in oratione ad Patrem directa inquit: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*. En voluntas conditionata. E vestigio subdit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Quid luculentius? Eam autem orationem

ad Patrem fudit ut se veram assumpsisse humanitatem ostenderet, ut complures Patres affirmant.

Ad 3. Si Christus in cruce pendens spem omnem amiserat, cur ad Patrem confugit dicens: *Deus Deus meus*? Observat in hunc Matthaei locum Grotius, particulas ἵνα τί, *ut quid*, voces esse non desperantis, sed deprecantis: quod ex cap. 32. Exod. v. 5. ex Psal. 11. v. 1. aliisque locis innumeris demonstrat.

Ad 4. Peccati nomine Apostolus non culpam intelligit, sed per metonymiam culpae poenam et expiationem; ita ut sensus sit: Qui nullum proprium peccatum habebat, poenas pro alienis peccatis dedit, et sanguine suo illa expiavit. Quod eo sensu peccati nomen non raro sumatur in Scripturis, patet exemplis multis quae in Exod. ac Levit. libris, et etiam Oseae cap. 4. v. 8. leguntur, ubi, hoc est, apud Oseam haec habentur: *Peccata populi mei comedent*, videlicet oblationes pro peccatis.

Obj. 4. cont. alt. 2. prop. partem. Christus quum liberum haberet voluntatis arbitrium, potentiam habebat peccandi. Qua de re etsi nullum umquam admiserit peccatum, poterat tamen peccare. II. neque enim unio hypostatica humanam ejus adeo perfecit voluntatem, ut abstulerit ab ea potentiam peccandi. Verbum quippe assumendo humanitatem, nihil in humana natura immutavit. Natura autem humana, hypostatica seclusa unione, potuisset peccare. III. tametsi Verbum ut Deus nequeat velle peccatum, potest tamen illud permittere. Poterat ergo permittere ut sua humana voluntas transgrederetur aliquando ordinem finis. IV. eo vel magis quod peccatum a Verbo permissum reciperetur non in divina, sed in humana natura; adeoque non repugnat ut a Deo Verbo permittatur. Quemadmodum ex quo mors et ipsa in humana recipiatur natura, non repugnat ut divinum Verbum sinat propriam humanitatem mori. V. neque dici potest communicatam a Verbo fuisse humanitati suae impeccabilitatem. Nam sicut omnipotentia est divinae naturae proprietas, ita et impeccabilitas. Cumque omnipotentia communicari humanitati nequeat, sequitur nec communicari posse impeccabilitatem.

Resp. ad 1. Christus habuit sane potentiam peccandi, sed ab hypostatica unione impeditam. Nequit enim cum unione hypostatica potentia peccandi simul consistere. Deinde ex quo esset in Christo liberum voluntatis arbitrium, non inde sequitur potentiam habuisse peccandi. Nam ad liberi arbitrii essentiam non spectat potentia peccandi, alioquin non esset vera libertas vis electiva mediorum servato ac non praetermisso ordine finis.

Ad 2. Verbum divinum humanam assumendo naturam nihil certe physicum immutavit; fuit quippe perfectus homo. Bene vero in humanitate a se assumpta immutavit ea quae ad actus pertinent morales. Quum enim subsisteret illa per hypostasim Verbi, a Verbo ipso in actibus suis regebatur, gubernabaturque. Verbum autem quum sit Deus, nequit velle peccatum. Atque ita humanam sic regebat et gubernabat voluntatem, ut media semper eligeret servato ac non praetermisso ordine finis.

Ad 3. Potest Deus prout provisor universalis est, peccatum permit-

tere, non potest autem illud permittere prout est provisor particularis. Rem explico. Non repugnat Angelorum hominumque peccata Deum permittere, quoniam quum provisor sit universalis, ex mali permissione plura elicit bona, puta manifestationem justitiae, exercitationem misericordiae etc. Ast respectu humanae voluntatis assumptae, se habet Deus Verbum ut provisor particularis. Cumque ratione unionis hypostaticae teneatur illam in singulis actibus suis dirigere et gubernare, repugnat ut in peccatum prolabi sinat, quoniam in Verbum ipsum, eo in casu, peccatum refunderetur.

Ad 4. Si divinum Verbum culpam in humanitate sua permitteret, culpa refunderetur quidem in humanitatem, sed directam et gubernatam a divinitate; adeoque hujus utpote caussae principalis peccatum esset. Nec exemplum a morte desumptum quidquam concludit. Nam hoc est inter peccatum ac mortem discrimen, quod peccatum quum sit malum in se morale, dirigi a Verbo in rectum finem non potest. Hinc non potuisset Verbum peccato uti in bonum; Verbum quippe comparate ad suam humanitatem provisor erat, ut diximus, particularis. Ast mors malum est poenae quod subesse utique potest regimini divinae personae, quae malum illud in bonum dirigat finem.

Ad 5. Humanitatis Christi impeccabilitas non est attributum divinum, sed effectus gratuiti doni, nempe unionis hypostaticae se habens in sanctissima illa humanitate per modum proprietatis ab extrinseco advenientis.

Obj. 5. adv. alt. part. ejusd. thes. Ille potuit peccare qui transgredi praeceptum Patris de subeunda morte potuit. Praeceptum illud transgredi utique Christus potuit, quia liber ad moriendum vel non moriendum erat; unde Propheta de illo dixit: *Oblatus est*, *quia ipse voluit*.

Resp. Hoc argumentum solutum a nobis est capitis hujus initio, ubi diximus potuisse Christum non mori inspecta morte in se: quae sic considerata objectum est indifferens, quamvis considerata prout erat cum Patris praecepto connexa, non posset Christus illam non eligere; alioquin mutabilia forent divina decreta, quod absurdum est.

Obj. 6. cont. 3. prop. partem. Si Christi impeccabilitas ab unione oriretur hypostatica, caussari deberet a Verbi persona a qua unio illa facta est. Dici autem nequit impeccabilitas personae Verbi effectus, quum sit illa effectus absolutus a singulis Trinitatis personis quibus opera ad extra communia sunt proficiscens.

Resp. Caussa efficiens impeccantiae voluntatis Christi, ob rationem in argumento allatam, est tota sancta Trinitas. Persona autem Verbi ob hypostaticam unionem est ejusdem impeccantiae caussa exigens atque formalis. Hoc est, quoniam divinum Verbum propriam suam tribuit humanitati subsistentiam, necesse fuit ut Pater, Filius ipse, ac Spiritus S. voluntati humanitatis impeccantiae donum largirentur. Atque ita radix et principium impeccantiae Christi fuit unio hypostatica.

Obj. 7. cont. 3. thes. Ad merendum vel demerendum libertas requiritur a necessitate seu indifferentiae. Damnata quippe fuit ab Inno-

centio PP. X. sequens propositio: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit immunitas a coactione.* Ast Christus Dominus per actus a virtute charitatis elicitos infinitum plane sibi comparabat meritum, 1. quoniam omnis homo diligendo Deum promeretur; adeoque et Christus, ne illum inferioris ab aliis conditionis faciamus. 2. quoniam Deum diligendo maximum illud mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum*, quod ad Christum quoque pertinebat, adimplevit. 3. demum quoniam cetera virtutum officia quae Christus exercuit, meritum summum habebant, quod a motivo charitatis erga Deum proficiscerentur. Unde Christi voluntas in Deo diligendo libera fuit libertate a necessitate, non libertate tantum a coactione.

Resp. 1. cum multis Theologis ad merendum et demerendum requiri libertatem a necessitate in statu naturae lapsae, non vero in statu naturae innocentis, ut ex ipsa propositione patet ab Innocentio X. proscripta. Quum ergo Christus, inquiunt, nec fuerit nec esse potuerit in statu naturae lapsae, etiamsi necessario amaverit Deum, primumque legis necessario impleverit praeceptum, propterea quod ut Beati et Angeli in patria sic ipse in terra Deum intuebatur intuitive, nihilominus quoniam ad Beatorum Angelorumque differentiam erat comprehensor simul et viator, actibus suis a charitatis elicitis virtute sibi gloriam, nobis vero promeruit salutem. Hanc laudati Theologi doctrinam verbis demonstrant S. Thomae qui in 3. Dist. 18. a. 2. ad 5. inquit: *Dicendum quod etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amisit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus.* 2. Tradunt alii duplicem fuisse in Christo scientiam, increatam unam ac beatificam, alteram creatam, sive infusam sive acquisitam. Actibus charitatis per scientiam beatificam et increatam elicitis Christus, inquiunt, nullo modo promeruit. Meriti tamen rationem habuerunt actus eliciti a charitate per scientiam creatam. Alii deinde alia respondent. 3. Dici denique potest hoc esse inter Christum aliosque justos discrimen, quod hi sint solummodo viatores, ille vero fuerit comprehensor simul et viator. Nempe homo mere viator quantumvis Deum per charitatem diligat, numquam tamen exhibetur illi sub omni ratione boni, sed aliquam in eo apprehendere semper potest speciem mali, adeoque ab illo se avertere. Ast Christus quum non modo viator, sed et comprehensor simul esset, ita Deum sub omni ratione boni intuebatur, ut nullam in eo apprehendere posset speciem mali, adeoque nullimode voluntatem suam avertere ab illo poterat. Praeterea primum Decalogi praeceptum omnem profecto obligat creaturam, etiam Beatos in patria. Non semper autem rationalis creatura praeceptum illud implendo, sibi comparat meritum; quoniam ubi non est indifferentia judicii, nec vera est meriti ratio. Cumque Beati in patria et Christus in via ita praeceptum illud adimpleant ut nequeant illud non adimplere, sequitur nullum in eo servando comparare sibi meritum. Neque id im-

perfectionem arguit in operante; quum id ex perfectissima oriatur cum summo bono conjunctione, quae magna perfectio est. Quod postremo loco additum est, facile solvitur concedendo motivum cur cetera Christi virtutum officia fuerint meritoria, fuisse charitatem; nego tamen inde sequi et charitatem ipsam esse debuisse meritoriam. Sat enim fuit ut a charitate, quamvis necessaria, pretium haberet ac dignitatem; praesertim cum operis meritum desumatur etiam ex dignitate personae operantis.

Obj. 8. cont. 4. prop. Libertas a necessitate seu indifferentiae est potestas agendi vel non agendi. Carebat Christus potestate moriendi vel non moriendi. Nam si potuisset non mori, transgredi potuisset divinum de subeunda morte mandatum, sicque peccare: quod iis quae supra statuimus aperte repugnat. II. neque distinctio inter mortem in se inspectam et prout connexa erat cum praecepto Patris difficultatem solvere videtur. Nam ex quo Christi voluntas respuere non potuerit mortem quatenus connexa erat cum divino praecepto, consequitur necessario Christum divinum servare debuisse praeceptum. Ubi autem est necessitas ibi non est indifferentia. III. e contra Christi voluntas libera esse debuit libertate indifferentiae ad subeundam mortem, etiam prout conjuncta erat cum divino mandato: quoniam ex una parte Christi voluntas mortem oppetiendo prout connexa erat cum praecepto Patris, magnum sibi comparavit meritum, dicente apud Johan. cap. 10. v. 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*; ex alia vero requiritur ad merendum libertas indifferentiae.

Resp. ad 1. Christi voluntas carebat potestate moriendi vel non moriendi inspecta morte quatenus cum fine scilicet cum Patris decreto connexa erat, non autem ea considerata in se et prout medium erat ad finem obtinendum. Et revera mors in se inspecta est objectum indifferens: quoniam est medium non finis, in quo nulla apprehendi possit ratio mali. Quando ergo Christi voluntati objiciebatur mors, quoniam in ea mali speciem nempe amaritudinem apprehendebat, poterat Christus illam utique respuere. Atque ita illius voluntas in morte subeunda liberrima erat libertate indifferentiae. Verum mors eadem considerari poterat a Christo prout cum divinis conjuncta erat praefinitionibus quibus voluntas ejus immutabiliter adhaerebat: atque eo modo spectata respui ab illius voluntate non poterat; proindeque transgredi nequibat Patris praeceptum, et in peccatum prolabi.

Ad 2. Totum admitti potest argumentum. Neque enim Christi voluntas libera fuit libertate a necessitate circa Patris de subeunda morte praeceptum; alioquin immutabilia non forent aeterna decreta, et Christus peccare potuisset. Neque tamen id officit quin Christus liber vere fuerit libertate arbitrii in subeunda morte, eo quo supra diximus modo. Ex alia parte argumentum supponit ad verae essentiam libertatis necessariam esse potestatem peccandi: quod falsissimum est, quum e contra peccandi potestas sit summa libertatis imperfectio. Unde S. P. Augustinus de Praed. SS. cap. 15. inquit: *Numquid metuendum fuit, ne accedente aetate homo ille*

libero peccaret arbitrio ? Aut ideo in illo non libera voluntas erat , ac non tanto magis erat , quanto magis peccato servire non poterat ?

Ad 3. Voluntas in executione praecepti alicujus duplicem elicere solet actum , unum quo voluntas ipsa fertur in opus per quod praeceptum impletur , alium vero quo eadem voluntas fertur mediante opere in finem . Christus ergo Patris praeceptum servando utique meruit , sed quatenus motus suae humanae voluntatis connotavit opus praeceptum , non quatenus connotavit praeceptum ipsum tamquam ultimum finem . Atque hoc sensu inquit apud Johannem : *Propterea me diligit Pater , quia ego pono animam meam* . Ceterum de iis quae ad essentiam spectant libertatis suo loco fusius pertractabimus . Interim ad perdifficilem de Christi libertate in subeunda morte quaestionem solvendam pauca quae diximus sufficiant . Vide Berti , Gonet , Juvenin , Maussoliè , Contensonium , alios.

CAPUT XI.

An Christi humanitas dolores experta fuerit .

De Christi humanitate divisim, hoc est de corpore et anima eorumque proprietatibus seorsim consideratis jam pertractavimus . Disputare nunc aggredimur de integra ejusdem Christi humanitate , nempe de anima et corpore in unitate humanae naturae simul conjunctis : ac initio inquirere volumus num Christi humana natura fuerit obnoxia doloribus , hoc est tristitiae timori horrori cruciatibus . Neque enim corpus per se solum doloris capax est , sed anima dolet, accepta a corpore ob legem a Deo corpus inter et animam constitutam occasione .

A Christi humanitate quemlibet ablegavere dolorem duplicis generis haeretici , Phantasiastae videlicet et Aphthartodocitae , sed diverso ducti principio . Phantasiastae negabant, ut in superioribus diximus, Christum verum habuisse corpus , proindeque sicuti phantasticam per ipsos habuit carnem , ita phantasticis subditus fuit doloribus ; et opinione passus est, opinione mortuus, opinione resurrexit. Aphthartodocitae e contra Christum veram assumpsisse carnem fatebantur , sed eutychiani quum essent , adeoque tenerent humanitatem fuisse a divinitate absorptam , volebant proinde Christi corpus fuisse incorruptibile et natura sua impassibile . Passum tamen revera fatebantur , sed ex dispensatione et miraculo . Ast de his alibi verba fecimus .

Clemens alexandrinus lib. 6. Strom. Leo M. in Dom. 1. Quadr. Maximus Hom. 1. de jejun. aliique veteres nonnulli existimarunt et ipsi Christi humanitatem opus habuisse miraculo ut doleret , sed longe diversa ab illa Aphthartodocitarum ducti ratione . Hi nimirum tale exigebant miraculum ob naturarum factam commixtionem , sancti autem Patres ob unionis hypostaticae virtutem .

Honorius R. P. in Ep. 1. ad Serg. Orthodoxi nonnulli ap. Leontium byzant. lib. 3. cap. 10. cont. Eutych. Johannes damascenus lib. 3. cap.

20. et alii affirmarunt Verbum divinum carnem ad similitudinem corporis Adam assumpsisse, non solum absque peccato, sed etiam extra dolendi necessitatem.

Communior tamen qua veterum qua recentiorum theologorum sententia est humanitatem a divino Verbo assumptam immunem quidem fuisse a peccato, non autem a passionibus, adeoque humanae Christi naturae passiones fuisse connaturales. Ut omnia vero mox recensita Catholicorum scita quae sibi specie tenus adversari videntur conciliari facile queant, animadvertendum est aliam esse *passionis*, aliam vero *propassionis* notionem. Passio est animi motus rationem antevertens eamque divellens a rectitudine, propassio autem est motus animi rationi subditus ab eaque directus.

CONCLUSIO.

Christi humanitas propassioni *naturaliter*, passioni *autem nullo modo subdita fuit*.

Prob. 1. thes. pars. Propassio dolor est animi rationi subditus, animo ipsi haud dominans nec pervertens rationem, quantumvis vehemens sit et intensus. Ast in animo Christi fuit ejusmodi dolor et quidem naturaliter. Quod patet I. sacris literis. Isaias enim Christum appellat cap. 53. v. 3. *Virum dolorum, et scientem infirmitatem*. Et v. 4. ejusdem capitis subdit: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*. Consona sunt his quae in N. Testamento leguntur. Matth. quippe cap. 4. v. 2. dicitur de Christo: *Esurivit*. Johan. cap. 19. v. 28. *Dixit: Sitio*. Et cap. 4. *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat* etc. Lucae cap. 19. *Videns civitatem* (Jerusalem,) *flevit super illam*. Matth. cap. 26. v. 38. dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Lucae 22. *Apparuit autem illi Angelus de caelo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram*. Ibid. cap. 24. v. 26. *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*. Haec demonstrant Christi humanitatem omnes sustinuisse passiones ex infirmitate, et quoniam *debuit per omnia fratribus assimilari*, ut inquit Apostolus ad Hebr. cap. 2. v. 17. E contra ejusmodi passiones rationi illius subditae fuerunt, ut paullo post demonstrabimus. II. ex PP. Origenes lib. 2. cont. Cels. ad illa Petri verba, *Passus est pro nobis* etc. scribit: *Si, ut ait Celsus, nil doloris et moestitiae Jesus sensit per illud tempus, quonam pacto qui postea secuti sunt Jesum adhibere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quaelibet ac molesta* etc. Tertullianus lib. 3. cont. Marc. cap. 8. sic argumentabatur: *Si Christus passus revera non est, eversum est igitur totum Dei opus, totum christiani nominis et pondus et fructus, mors Christi negatur* etc. Hieronymus in cap. 53. Isaiae explicans illa verba, *Vere languores nostros* etc. inquit: *Qui vere languores nostros, et peccata portavit, et pro nobis dolet, non putative, idest*, δοκήσει (?) διομένως, *ut nova et vetus haeresis suspicatur: sed ve-*

re crucifixus est, *vere doluit*. Et haec quidem mirifice refellunt Phantasiastas. Contra Aphthartodocitas autem haec alia urgeri possunt Patrum testimonia. Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 7. scribit: *Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur. Non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas, sed turbatur anima secundum humanae fragilitatis assumptionem. Et ideo quia suscepit animam, suscepit etiam animae passiones*. Basilius Hom. de Grat. act. *Quemadmodum*, inquit, *famem suscepit Dominus exhausta per expiationem solidiore alimonia, et sitim admisit humore in corpore consumpto, et lassatus est musculis ac nervis nimium ex ambulatione distentis, non divinitate ipsa labore fracta, sed corpore ex natura consequentes affectiones admittente; sic etiam lacrymas suscepit, naturalem affectum ad carnem accidere permittens*. S. P. Augustinus in Psal. 93. ait: *Tristitiam sic assumpsit quomodo carnem. Nolite enim putare quia hoc dicimus, non fuisse tristem Dominum. Si enim hoc dixerimus, quia non erat tristis, cum Evangelium dicat, Tristis est anima mea usque ad mortem: ergo et quando dicit Evangelium, Dormivit Jesus, non dormivit Jesus: et quando Evangelium dicit, Manducavit Jesus, non manducavit Jesus: subrepit vermiculus putredinis, et nihil sanum relinquet, ut dicatur, quia et corpus non erat verum, et carnem veram non habuit. Quidquid ergo de illo scriptum est, fratres, factum est, verum est*. Quibus in verbis S. Doctor veritatem passionis repetit ex veritate Evangelii ubi narratur Christum verum habuisse corpus. III. rationibus. 1. Sacrae literae docent Christum plene et adaequate satisfecisse Patri pro peccatis nostris passione sua, sanguine ac morte. Non satisfecisset autem si dolores revera expertus non fuisset. 2. Eadem Scriptura affirmat Christum in omnibus, excepto peccato, assimilatum fuisse nobis. Cumque nos doloribus passionibusque subditi naturaliter simus, et ipse doloribus subditus naturaliter esse debuit. 3. Christus juxta divina oracula omnium nostrum caput est et exemplar, ita ut in singulis virtutibus ac in patientia praesertim, a nobis sedulo accurateque sit imitandus. Falsum id esset nisi dolores fuisset expertus.

Prob. altera prop. pars. Passio est motus et affectio animi rationem antevertens, illam perturbans atque divellens a rectitudine. Absit ut dolores quos expertus est Christus, ejusmodi effectus in anima ejus producerent. Et 1. clamant Scripturae apud Isaiam cap. 53. *Oblatus est*, *quia ipse voluit*: et passim dicitur passum fuisse ex potestate, ut apud Johan. cap. 10. *Ego pono animam meam ... Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*. Similiter ubi a Patre petiit ut calicem ab eo auferret passionis cujus apprehensione exhorruerat, e vestigio subjungit: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. II. ex PP. Clemens alexandrinus in 6. Strom. *Ipse autem*, inquit, *passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor*, subintellige antevertens rationem. Clarius S. Hieronymus in cap. 26. Matth. *Ut veritatem probaret assumpti corporis hominis*, *vere contristatus est*;

sed non passio ejus vere dominatur animo, sed propassio est. S. P. Augustinus in Psal. 93. ait: *Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem: quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram*. Et lib. 14. de C-D. cap. 9. *Etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas* (passiones) *ubi adhibendas esse judicavit*. Et Tract. 49. in Johan. *Quis enim eum posset nisi se ipse turbare?... Turbaris tu nolens, turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit; dormivit Jesus verum est, sed quia voluit; contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit*. III. ratiocinatione. 1. Motus animi rationem antevertens etsi per se peccatum non sit nisi intercedat assensus, in se tamen est vitiosus, quoniam ad avertendam inclinat rationem a rectitudine. Nullus autem in humanitate Christi fuit animi vitiosus motus, quum summa polleret sanctitate, et Deo intuitive frueretur. 2. Christi Domini hypostasis quum esset divina, summam habebat potestatem quotlibet humanos motus cohibendi ne rationem averterent a rectitudine. Atque ita propassio in Christo fuit, non veri nominis passio.

Argumenta adversariorum solvuntur.

Obj. 1. cont. priorem thes. partem. Christum Dominum omni dolore ac passione fuisse expertem suadent sacrae literae, affirmant apertissime Patres. Et 1. sacrae literae in quibus Christus appellatur secundus Adam, praesertim ab Apostolo in 1. ad Cor. cap. 15. Adam autem innocens doloribus passionibusque subditus non erat. II. consonant sancti Patres. Et 1. Dionysius alexandrinus qui in Ep. ad Paulum samosatenum explicans illa Christi verba, *Nunc anima mea turbata est*, ait dictum id esse a Christo eo modo quo Paulus ad Ephes. cap. 4. de Spiritu sancto ait, *Nolite contristare Spiritum sanctum*: ait nempe improprie ac metaphorice. Verum metaphorica turbatio et passio non est vera passio, vera turbatio. 2. Clemens item alexandrinus lib. 6. Strom. ita loquitur: *In Salvatore corpus, tamquam corpus necessaria postulare ministeria, ridiculum fuerit. Manducabat enim non propter corpus, quod divina virtute sustentabatur, sed ne iis qui versabantur cum ipso, in mentem veniret aliter sentire*. 3. Maximus martyr in Hom. de jejun. Quadr. scribit: *Ignorabat diabolus quia quod Christus nutrimenta perferebat infantiae, quodque esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeae*. Corpus ergo Christi, juxta laudatos hactenus Patres, non esuriebat, non sitiebat, neque necessaria corporis postulabat ministeria, imo nec ad sustentandum corpus edebat, sed ut veritatem propriae ostenderet carnis. Idipsum igitur de doloribus dicendum est ac passionibus. 4. Et S. Hieronymus propassiones quidem, non autem passiones agnoscit in Christo, ut supra animadvertimus. Propassionum autem nomine intelligere videtur externas passionum similitudines. 5. Et S. P. Augustinus docet Christum passum fuisse ac exhorruisse mortem, *quia Ecclesiae gerebat personam*.

Resp. ad 1. intorquendo in adversarios argumentum hoc modo: Humanitas Adami innocentis naturaliter passibilis erat, quamvis ex gratia ac dono superaddito non esset doloribus subdita, hoc est posset non pati. Itaque etiam humanitas Christi naturaliter passibilis erat, ac si voluisset potuisset non pati. Christus igitur in hoc comparatur Adamo, quod sicuti Adam caput est omnium generatorum, ita Christus est caput omnium regeneratorum, non in eo quod corpus assumpserit Adami innocentis. Quum enim in mundum venerit ad salvandos peccatores, formam servi accepit in similitudinem carnis peccati, ut de carne damnaret peccatum.

Ad 2. Nullus ex recensitis Patribus sententiae favet adversariorum. Et quod ad Dionysium alexandrinum spectat, laudata in argumento epistola genuinum opus ejus non est, sed haeretici potius alicujus eutychiani; quum multa haeresis illius principia in ea deprehenderint eruditissimi Critici. Ita novus editor operum S. Johannis damasceni. Sed admissa etiam illius epistolae germanitate, quid inde inferri potest? Affirmat Dionysius Christum turbatum fuisse metaphorice, si turbatio referatur ad divinitatem quae plane incapax fuit doloris non minus ac Pater et Spiritus sanctus. Et quemadmodum ubi de Patre ac Spiritu sancto enunciatur tristitia poenitentia vel quivis alius humanus affectus, intelligenda locutio est metaphorice; ita quoties praedicatur de divinitate Christi tristitia perturbatio etc. per metaphoram accipienda est enunciatio. Minus Clementis alexandrini et Maximi martyris sententiae facessunt. Nam juxta laudatos Patres Christi corpus non esuriebat nec sitiebat etc. ex necessitate, ut accidit in reliquis hominibus. Atque hanc ajebant allati Patres nonnullique alii fuisse unionis hypostaticae vim et energiam, ut ex ipsa necessario corporis Christi indolentia et impassibilitas sequeretur; Deum autem propter nimiam charitatem suam qua nos dilexit, omnipotenti sua virtute fecisse ut humanitas illa quae per unionem hypostaticam ad jura transierat divinitatis atque adeo et impassibilitatis, revera esuriret sitiret contristaretur, ceteraque postularet ministeria. Atque ita, ni fallor, philosophabantur, ne Christi humanitas humanitati nostrae videretur aequalis quoad maculam peccati. Ea de caussa, ut puto, Clemens alexandrinus post allata verba subdit: *Alioquin ipse penitus erat passionis expers, cui nullus obreperet passionis motus, neque voluptas, neque tristitia.* Nobis quidem qui ob peccatum ex necessitate patimur, dolor ac passio obrepit etiam nolentibus. Hoc idem innuere quoque videtur Maximus laudato in loco dicens: *Quandoque esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeae, sed caelestis gratiae sacramentum.* Ac si dicat: vere quidem esuriebat ut homo, sed ob unionis hypostaticae virtutem, regebantur corporis motus a divina voluntate, non necessitate obrepebant. Quoad Hieronymum jam ab initio adnotavimus quid passionis quid propassionis nomine intelligat: quod adhuc clarius ibidem exponit scribens, *Illud quod supra diximus de passione et propassione, etiam in praesenti capitulo ostenditur, quod Dominus ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus est, sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem coeperit contrista-*

ri. S. denique P. Augustinus tamquam inconcussum principium statuit Christum Dominum mortuum fuisse potestate ac voluntate, non necessitate ut alii omnes homines. Hinc Tract. 47. in Johan. hanc sibi proponens quaestionem, *Quando Christus animam posuit?* respondet: *Quando Verbum voluit: principatus enim in Verbo erat: ibi potestas erat quando poneret caro animam, et quando sumeret*. Ex hoc principio sequi videtur non debuisse Christum mortem extrinsecus timere, quoniam oblatus est quia ipse voluit. Verum demonstrat S. Doctor etiam extrinsecus debuisse timorem ostendere, *quia Ecclesiae gerebat personam*, debebatque exemplum exhibere hominibus qui propria membra erant, quique seipsos pro illius fide fuerant immolaturi.

Obj. 2. cont. eamd. prop. partem. Quum nullum concipi queat temporis punctum in quo Christi humanitas non fuerit hypostatice conjuncta Verbo, nullum quoque concipi potest temporis punctum in quo anima illius supernaturali fuerit expers beatitudine. Porro cum hypostatica unione supernaturalique beatitudine quomodo consistere potest dolor et passio? II. quod si dicas per omnipotentiam suam junxisse Christum dolores cum intuitiva Dei visione, jam in Aphthartodocitarum incidis amentiam aut saltem in opinionem Clementis alexandrini. Si namque Christus potestate tristatus est ac voluntate illius: ergo humanitas unione supposita hypostatica naturaliter impassibilis erat. III. idque ex eo confirmatur quod dolor et passio sint poena peccati. Posita autem unione hypostatica, Christi humanitas nec potuit nec debuit naturaliter poenam subire peccati. Cumque ex Evangeliis liquido constet passam revera fuisse, consequens fit passam fuisse per miraculum non naturaliter. IV. saltem una cum unione hypostatica stare non poterunt illae animi passiones quae vel virum dedecent sapientem, ut ira timor tristitia, et hujus generis alia.

Resp. ad 1. Nequit utique naturaliter loquendo cum beatitudine consistere dolor, potest tamen si summa intercedat potestas exercendi omnipotentiam infirmitatemque tractandi. Hinc Beati in Patria nequeunt revera contristari ac dolere, quoniam in illorum non est potestate supernae voluptatis cohibere dulcedinem ne in inferiorem animae partem descendat ad omnem expellendam amaritudinem. Ast Christus Deus omnipotens quum esset, summa pollebat potestate, qua fecit ut passionis tempore beata visio nullum in inferiori animae parte produceret effectum. Apposite Augustinus Tract. 49. in Johan. *In illius potestate erat, sic vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit et carnem, totius hominis sibi coaptans in personae unitate naturam. Nam et anima Apostoli Verbo illustrata est, anima Petri Verbo illustrata est, anima Pauli, aliorum Apostolorum, sanctorum Prophetarum Verbo illustratae sunt animae: sed de nulla dictum est, Verbum caro factum est: de nulla dictum est, Ego et Pater unum sumus. Anima et caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est. Ac per hoc ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbavit semetipsum.*

Ad 2. Hoc modo se habuisse putamus hac in parte Incarnationis oeconomiam. Unio hypostatica tum natura sua tum ex quo supernaturalem tribuat humanitati beatitudinem, reddit per se humanitatem ipsam impassibilem. Quoniam vero Verbum in carne venit damnare peccatum, antequam humanitatem hypostatice sibi copularet, statuit vim hypostaticae unionis ejusque effectum cohibere; atque adeo humanitatem sibi unire quae similis in omnibus esset, excepto peccato, ceterorum hominum naturae. Hoc etiam addito discrimine, quod ceteri homines in poenam peccati patiuntur inviti et ex necessitate, Christus autem qui Deus est, potestate pateretur ac voluntate; ita ut si dolere ac pati noluisset aut hoc vel illud doloris coercere motivum, omnipotentia sua et voluntate praestare potuisset.

Ad 3. Neque repugnat eum qui hypostatice unitus est Verbo, poenam subire peccati, dummodo pro alienis tamquam sponsor et vas, non pro peccatis propriis poenam sustineat, sic ipso volente ac decernente. Ceterum si unio hypostatica ita natura sua humanitatem redderet impassibilem ut caro naturaliter impassibilis evaderet, ut Aphthartodocitae volebant, sequeretur tempore passionis dissolutam fuisse unionem hypostaticam. Ita Leontius lib. 2. adv. Nestor. et Eutych. *Siquidem non poterat pati quod ex unione erat a passione liberum, nisi unione prius sublata*.

Ad 4. Nulla est passio in rectum finem directa, dummodo intrinsece mala non sit, quae virum dedeceat sapientem, atque idcirco quae in Christo non fuerit. Rem explico verbis S. P. Augustini qui lib. 14. de Civ. Dei cap. 8. scribit: *Volunt, cavent, gaudent et boni et mali; atque ut eadem aliis verbis enuntiemus, cupiunt, timent, laetantur et boni et mali: sed illi bene, isti male, sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est*. Et cap. sequenti refellens Stoicos autumantes omnem passionem viro sapiente indignam esse, subdit: *Apud nos autem juxta Scripturas sacras sanamque doctrinam, cives sanctae Civitatis Dei in hujus vitae peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque ... Sed cum rectam rationem sequantur istae affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas uti adhibendas esse judicavit*.

Obj. ultimo cont. alt. part. In Christo locum habuit animi perturbatio, juxta illud apud Johan. cap. 12. v. 27: *Nunc anima mea turbata est*. Perturbatio autem animi, ut ex ipso nomine patet, est ejusdem animi motus antevertens rationem.

Resp. Animi perturbatio quae fuit in Christo, non erat extra ordinem erga Deum, sed erat cum recto ordine conjuncta: quod ex illius oratione manifestum fit, quum statim post allata verba Patrem alloquens subjunxerit: *Et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora*. Ratio autem cur animi perturbationem in se suscipere dignatus est Christus, traditur ab

Augustino Tract. 52. in Johann. his verbis: *Nos in se transtulit, nos in se suscepit caput nostrum, membrorum suorum suscepit affectum: et ideo non est ab aliquo turbatum; sed sicut de illo dictum est, cum Lazarum suscitaret, turbavit semetipsum.*

CAPUT XII.

Quid S. Hilarius pictaviensis de Christi doloribus senserit.

Magnam de se Hilarius pictaviensis circa Christi dolores ac passiones praebuit suspicionem, quod nonnullis in locis, et praecise in cap. 31. Matth. et lib. 10. de Trin. aliqua obscura et ambigua in speciem Aphthartodocitis faventia scripserit. Hinc Claudianus Mamertus qui anno 440. scribebat, libere affirmat S. Hilarium in Christo admisisse indolentiam. Claudiano subscripsit Berengarius apud Lanfrancum Ep. 50. et Johannes Praepositus in Ep. ad Philippum Abbatem Bonaespei. Erasmus autem et Scultetus ulterius etiam progressi affirmant sanctum illum Episcopum ideo admisisse in Christo indolentiam quoniam cum Phantasiastis corporis denegavit illi veritatem. Erasmus in judiciis ferendis more suo deteriorem semper sequitur partem. Tanti doctoris fidem in hoc capite strenue vindicarunt Lanfrancus contra Berengarium, Philippus Abbas Bonaespei adversus Johannem Praepositum, Petrus Lombardus, SS. Thomas et Bonaventura, Patres benedictini in Praef. ad Op. Hilarii, omnesque recentiores theologi, ut silentio praetercam Hieronymum, Augustinum, aliosque Patres qui Hilarii doctrinam tamquam purissimam commendarunt. His nos subscribimus, totamque rem duabus absolvemus propositionibus. In prima adversus Erasmum atque Scultetum demonstrabimus nullibi S. Hilarium veram ac realem denegasse Christo carnem. In altera vero contra eosdem aliosque recensitos scriptores, neque in Christi corpore admisisse indolentiam. Sit ergo

CONCLUSIO I.

S. Hilarius pictaviensis verum et reale admisit in Christo corpus natum ex Maria Virgine.

Prob. Ille verum ac reale corpus ex Virgine natum admisit qui docuit 1. genitum fuisse ex semine Abraham et David. 2. genitum fuisse ex utero et ex sanguine Virginis. 3. fuisse corpori nostro consubstantiale. Qui enim tria haec confitetur, nec cum Phantasiastis adstruentibus in Christo corpus umbratile facit, nec cum Valentinianis affirmantibus habuisse Christum corpus ex siderea substantia compactum. Porro tria illa in suis scriptis apertissime tradidit sanctus Pictavorum Antistes. Et I. docuit Hilarius genitum Christum ex semine Abraham et David. Nam Comm. in Psal. 59. num. 2. scribit: *Ex Juda et Moab originem sumens.*

In Psal. 131. num. item 2. addit: *Nomen sumens ejus* (Davidis,) *cujus ex genere sumebat et corpus*. II. tradidit Christum fuisse in utero et ex sanguine Virginis genitum; lib. enim 3. de Trin. *Sed quomodo*, inquit, *clarificandus erat Filius? Namque natus ex Virgine a cunis atque infantia usque ad consummatum venerat virum* etc. In Psal. 65. num. 12. *Assumpta ex Virginis carne natura*. In Psal. 118. num. 8. *Naturae nostrae sibi ex Virgine carnem assumens*. III. affirmavit Christi corpus corpori nostro fuisse consubstantiale; ait siquidem in Psal. 68. num. 1. *His se quae suscepit accommodans, ut qui carnis nostrae homo natus esset, et dolorum nostrorum querelis et infirmitatis nostrae precatione loqueretur*. Idem lib. 9. de Trin. num. 7. repetit in haec verba: *Corporis nostri natus homo*. Et lib. 1. num. 13. jam scripserat: *Carnem peccati recepit, ut assumptione carnis nostrae delicta donaret*. Immerito igitur Erasmus atque Scultetus Phantasiastarum erroris insimulant S. Hilarium.

CONCLUSIO II.

Idem Hilarius existimavit Christum vere et proprie subditum fuisse tristitiae, ceterisque humanis doloribus.

Prob. 1. Veteres Patres, Gelasius praecipue R. P. S. P. Augustinus, S. Hieronymus, et alii dissertissime affirmant Hilarii pictaviensis doctrinam in omnibus fuisse catholicam. Hieronymus enim ne singulorum testimonia recenseam, haec in Ep. ad Laetam scribit: *Cypriani opuscula semper in manu teneat, Athanasii epistolas et Hilarii libros inoffenso pede decurrat. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis: in quorum libris pietas fidei non vacillat. Cetera sic legat, ut magis judicet quam sequatur*. Hic S. Doctor Hilarii opera opusculis comparat Cypriani et Athanasii epistolis; proindeque sicut integra in omnibus Cypriani et Athanasii fides fuit, ita integra et incolumis fuit in omnibus fides Hilarii. Hinc merito doctissimi viri hujus partes SS. Thomas et Bonaventura, aliique susceperunt. Hinc etiam Justiniani Augusti tempore, quando Aphthartodocitarum haeresis longe lateque serpebat, quum notissima Hilarii opera omnibus essent, nullus umquam haereticus ad illa provocavit ut patrocinium proprio quaereret errori.

Prob. 2. ex Hilarii ipsius scriptis. In Psal. 53. n. 4. docet ita Christum orasse, *ut qui omnia secundum hominem passus est, omnia secundum hominem et loquatur, et quorum infirmitates portavit, eorum ad Deum deprecetur eloquio*. Et n. 7. *Ut absolutissimum nobis humanae humilitatis esset exemplum, omnia quae hominum sunt et oravit et passus est, et ex communi nostra infirmitate salutem sibi est deprecatus a Patre ... Hinc illud est quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, impiorum coetus fugit, moestus fuit, et flevit, et passus et mortuus est*. In Psal. 59. *Et haec quidem in eum omnia quae nostrae necessitatis sunt irruerunt: sed ab eo naturae suae virtute suscepta*

sunt , dum mortem nostram potens non mori , etiam timorem in se mortis ingruentem non renuit . In Psal. 68. num. 1. *Universarum itaque humanarum passionum sorte perfunctus , secundum susceptas infirmitates nostras loquitur , et dolet ipse quidem extra necessitatem et timoris positus et doloris , sed his se tamen quae suscepit accommodans* . Hujus generis bene multa sunt in Commentariis Hilarii super Psalmos quae catholicam de Christi doloribus fidem adeo aperte produnt , ut librum quem Guilelmus parisiensis se vidisse testatur , et in quo Hilarium suam de Christi indolentia opinionem retractasse idem Guilelmus affirmat , suspicari fassit esse illius expositionem in Psalmos . Sed firmiter teneo numquam Hilarium nec in libris de Trinitate , nec Commentariis in Matthaeum quae illius adversariis suspecta sunt , Christi Domini corpori dolores denegasse et passiones ; atque idcirco numquam suam retractasse opinionem .

Et sane haec habet in libris de Trin. lib. 3. num. 10. *A cunis* , inquit , *et infantia usque ad consummatum venerat virum ; per somnum , famem , sitim , lassitudinem , lacrymas hominem egerat , etiamnum conspuendus , flagellandus , crucifigendus* . Lib. 9. in fine: *Cum Christus secundum hominem , aut flet , aut dormit , aut tristis est ; Deus non est obnoxius aut lacrymis , aut timori , aut somno . Sed salva Unigeniti in se veritate , secundum carnis infirmitatem , fletum, somnum , inediam , sitim , lassitudinem , metum passus est* . Lib. 10. n. 36. addit: *Qui non propter mortem , sed usque ad mortem tristis est , quaerendum est unde sit tristis* . Et num. 47. *Passus igitur Unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates : sed passus virtute naturae suae , ut et virtute naturae suae natus est ; neque enim cum natus sit , non tenuit omnipotentiae suae in nativitate naturam* . Et paullo infra : *Secundum quod ita ex infirmitate corporis nostri passus est in corpore , ut passiones corporis nostri corporis sui virtute susceperit* . Et num. 48. *Triumphus est ... secundum hominem pro nobis infirma pati , sed secundum Deum in his omnibus triumphare* . Ac denique num. 67. *Passus est quidem Unigenitus Deus quae homines pati possunt : sed utamur Apostoli fide atque dicto , Tradidi enim vobis in primis quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas* . An ne talia haec sunt quae emollire aut retractare debuerit Hilarius aliis in libris , ut Petavius opinatur ? Imo vero firmiora pro catholica adstruenda circa Christi dolores fide esse nequeunt .

Sed videamus quid de Christi doloribus sentiat Hilarius in Commentariis suis in Matthaeum . Cap. 31. totus est ut demonstret Christum non violenta ac necessaria , sed voluntaria liberrimaque morte obiisse ; proindeque ab eo timorem illum excludit qui ex violenta morte gignitur . Vere tamen et timuisse et doluisse fatetur ob scelera hominum Martyrumque passiones ; ait quippe num. 5. *Sciebat* (Apostolos) *exterrendos , fugandos , negaturos : metuebat ne se Deum abnegarent , quem caesum , et consputum , et crucifixum essent contemplaturi* . Et num. 7. *Totus igitur super his qui passuri erant , metus est* . Et num. 10. *Passuris di-*

scipulis per fidei justificationem , omnes in se corporis nostri infirmitatem assumpsit , crucique secum universa ea quibus infirmabamur affixit . Ideo peccata nostra portat et pro nobis dolet , quia fidei in nobis fervente calore , cum adversus diabolum passionis bello sit decertandum, omnes imbecillitatum nostrarum dolores cum corpore ejus et passione moriuntur . Et ideo transire ab eo calix non potest , nisi illum bibat , quia pati nisi ex ejus passione non possumus . Undecumque ergo repetat Hilarius metum dolores et passiones Christi , semper affirmat fuisse in eo metum dolorem passionem ; ac proinde immerito a nonnullis redarguitur .

SCHOLION

Ut quae adversus Hilarii fidem objici a Criticis solent facile solvi queant , animadvertendum hoc in loco est cujus generis haereticos refellere sibi proposuerit , et quam methodum ad finem suum obtinendum ei libuerit adhibere . In cap. ergo 31. Comm. in Matth. et lib. 10. de Trin. quae duo loca in jus vocantur ab adversariis , totus est S. Doctor ut Arianos ac Apollinaristas refellat male de Christi divinitate sentientes . Ariani quippe ex Christi doloribus inferebant passam fuisse divinitatem , adeoque inferioris esse ordinis a divinitate Patris . In idem autem recidebat sententia Apollinaristarum autumantium Christi humanitatem caruisse anima ejusque vices gessisse divinitatem ; unde in illorum quoque opinione sequebatur passam fuisse divinitatem , neque enim corpus doloris per se capax est . Hinc citato cap. 31. in Matth. scribit : *Volunt ex infirmitate corporis aerumnam spiritui adhaerere , ac si virtutem illam incorruptae substantiae imbecillitatis suae sorte assumptio carnis infecerit , et aeternitas naturam fragilitatis acceperit . Quae si ad metum tristis est , si ad dolorem infirma , si ad mortem trepida , jam corruptioni subdita erit , et incidet in eam totius infirmitatis affectio .* Et num. 2. adhuc clarius loquitur dicens : *Sed eorum omnis hic sensus est , ut opinentur metum mortis in Dei filium incidisse , qui asserunt non de aeternitate esse prolatum , neque de infinitate paternae substantiae extitisse , sed ex nullo per eum qui omnia creavit effectum .* Possunt ne accuratius describi Ariani ? Lib. autem 10. de Trin. testatur pariter se adversus illos scribere qui volunt, *Non in natura eum impassibilis Dei fuisse , ut qui timuit et doluit non fuerit in ea potestatis securitate quae non timet , nec in ea spiritus incorruptione quae non dolet : sed inferioris a Deo Patre naturae , et humanae passionis trepidaverit metu , et ad corporalis poenae congemuerit atrocitatem .* Scopus itaque Hilarii fuit Arianos et Apollinaristas refutare . Methodus autem quam ei sequi placuit , haec est . 1. ubique asserit Christum qua Deum nec dolere nec pati potuisse , ut ex recitatis mox testimoniis apparet . 2. etiam ut hominem existimavit Christum impassibilem fuisse unionis hypostaticae supposita virtute : hoc est putavit humanitatem dotes omnes ob arctissimam cum Deo conjunctionem fuisse adeptam , quae ad gloriam

pertinent resurgentium; adeoque natura sua nec dolere potuisse nec pati, nisi quando et quomodo vellet. Ita enim loquitur lib. 10. de Trin. num. 25. *Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturae habet ut calcet undas, et super fluctus eat, penetret etiam solida ... Naturae enim propriae ac suae corpus illud est, quod in caelestem gloriam conformatur in monte*. 3. a Christi corpore citra etiam unionem hypostaticam spectato omnem ablegat dolendi necessitatem, quod genitum in virginis utero opera Spiritus S. fuerit. Hinc affirmat percuti quidem et pungi et perforari potuisse, non tamen necessario dolere, non secus ac Adam ante peccatum. Atque hoc sensu lib. 10. de Trin. scribit: *In quo quamvis ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent haec quidem impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent*. 4. demum Scripturarum loca ab Arianis allata ut Christi divinitatem passam fuisse suaderent, sic interpretatur ut velit passionem animo Christi minime dominatam fuisse, sed timuisse potius ac doluisse non sibi, sed discipulis, hoc est non ex infirmitate, sed ex benevolentia. Cap. namque 31. in Matth. num. 7. exponens illa verba, *Transeat a me calix iste*, inquit: *Transire a se calicem rogat ... Totus super his qui passuri erant metus est. Pro his rogat dicens, Transeat calix a me: idest, quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis*. Quae postrema interpretatio licet videatur paullo liberior, si tamen accurate perpendatur, nihil quod pium non sit continet. Rogavit enim Christus, juxta Hilarium, pro discipulis ut mortem subirent sine spei diffidentia atque sine dolore illo ac metu qui animo dominatur. His bene perceptis difficultates quae ab Hilarii accusatoribus congeruntur solvi facile poterunt.

Diluuntur objecta.

Obj. 1. adv. 1. prop. Ille non admisit in Christo verum ex Virginis carne progenitum corpus qui Christum corpus habuisse spiritualis conceptionis affirmavit, corpus ex Maria originem non trahens, corpus ex nostris non compactum elementis. Porro haec omnia tradidit Hilarius. Nam lib. 10. de Trin. num. 35. Christi carnem appellat *corpus spiritalis conceptionis*. Num. 16. ait: *Non enim ex se corpori Maria originem dedit*. Et lib. 3. pariter de Trin. num. 19. inquit: *Et certe non suscepit quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit*. II. et haec quidem docuit Hilarius ut veritatem denegaret corporis Christi. Siquidem lib. 10. de Trin. num. 25. de Christi loquens origine ait fuisse originem similitudinis hominis: *Hominis habitus est et origo, non hominis*.

Resp. ad 1. Docuit Hilarius habuisse Christum corpus spiritalis conceptionis etc. ut exprimeret Christi corpus genitum fuisse virtute Spiritus S. non ut affirmaret corpus illius fuisse vel phantasticum vel ex aetherea

conflatum substantia. Illud primitus observandum est Hilarii stilum esse aliquantulum obscurum, et novarum phrasium ambagibus involutum. Quare non statim ex verborum sono ferendum est de illius mente judicium, sed sensus est attendendus. Laudatis autem in argumento locis non sic obscure loquitur ut benigna indigeat interpretatione. Satis enim superque apparet disserere ipsum de admirabili corporis Christi in virginis utero ope Spiritus S. generatione. In priori itaque loco appellat Hilarius Christi *corpus spiritalis conceptionis*, hoc est corpus non virili semine, sed virtute Spiritus S. conceptum; unde inquit ibid. *Quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen in vitiosae infirmitatis nostrae esset corpore, qui non esset in origine quod ex conceptu Spiritus S. virgo progenuit*. In altero ab adversariis objecto loco additae sunt ab Erasmo particulae, *ex se*; legendum namque est, *non enim corpori Maria originem dedit*; praesertim cum num. 35. ejusdem libri affirmet Hilarius Mariam *ex se* genuisse corpus; ait scilicet: *Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu*. Quae verba interpretationem superioris exhibent textus, etiamsi legendum foret ut vult Erasmus; caussa nempe efficiens corporis Christi in utero virginis non ipsa Maria, sed fuit Spiritus sanctus. Nullam omnino tertium allatum testimonium praesefert difficultatem: elementorum siquidem nostrorum nomine semen intelligit corporale; unde sensus est Christi corpus ex virili non fuisse progenitum semine: quod suadetur tum ex *pudoris* nomine quod adhibet, tum ex quo lib. 10. num. 15. et 35. dicat Christi carnem genitam fuisse *nullo terreni seminis mixto contagio*.

Ad 2. Tradit Hilarius originem Christi fuisse in similitudinem hominis, non hominis, quia corpus ejus genitum virtute Spiritus sancti fuit, non semine corporali. Quare laudato in argumento loco inquit: *Non fuit habitus ille tamquam hominis, sed ut hominis; neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati: dum et habitus carnis in nativitatis est veritate, et similitudo carnis peccati a vitiis humanae passionis aliena est. Habuit enim corpus, sed originis suae proprium, neque ex vitiis humanae conceptionis existens*.

Obj. 2. adv. alt. thes. S. Hilarius lib. 10. de Trin. num. 10. et seq. totus est ut mortis timorem a Christo removeat: idque quatuor praestare conatur argumentis. 1. docet Christum non timuisse mortem, quoniam timorem illum ab Apostolis abegit. Sic enim inquit: *Interrogo eos qui hoc ita existimant, an ratione subsistat ut mori timuerit qui omnem ab Apostolis timorem mortis apellens, ad gloriam eos sit martyrii cohortatus*. 2. expresse affirmat non propter mortem fuisse contristatum, *Quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors caussa tristitiae est*, scribit ibid. num. 36. Et cap. 31. in Matth. subdit: *Ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. Numquid ait, propter mortem? Certe non ita*. 3. tradit Christum non metuisse mortem, quoniam mori et non mori in illius erat potestate. *Non est*, inquit, *terror mortis in potestate moriendi*. Et rursus: *Humano enim generi vitae mortem aut*

vis exterior, idest, febris, vulneris casus, et ruina degrassata in corpus accelerat, aut ipsa natura corporis nostri senio in eam ipsam mortem victa concedit. Unigenitus autem Deus ita potestatem habens ponendae animae suae etc. 4. denique ablegat mortis timorem a Christo, quod ipse timorem militibus incusserit. *An ne metuit mori qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit? et in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt?* Suadent haec Hilarium a timore mortis immunem prorsus fecisse Christum. Quod autem de timore dicitur, intelligi quoque de doloribus passionibusque debet.

Resp. Hilarium in lib. 10. de Trin. timorem removere a Christo vel quatenus Deus est, vel quatenus homo hypostatice conjunctus divinitati. Jam in scholio praenotavimus hujus S. Patris mentem fuisse refellere Arianos blasphemantes Christum passum fuisse secundum divinitatem; proindeque divinitatem ejus non fuisse Patri consubstantialem. Ajebant quippe Christum quatenus Deum dixisse, *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Hilarius ergo contra illorum amentiam totus est ut demonstret mortem non excitasse in Christum Deum tristitiam ac timorem ob quatuor allatas in argumento rationes. Imo addit timorem mortis nec in ejus irruere potuisse humanitatem, quoniam quum copulata hypostatice esset divinitati, non ex necessitate, sed ex libera moriebatur potestate: atque hoc nos inter Christique humanitatem intercedere discrimen, quod nobis mortem accelerant febris, vulneris casus etc. Unigenitus autem in sua habet potestate mori vel non mori. Hanc esse Hilarii mentem vel ex ipsis in argumento allatis testimoniis liquido constat. Initio namque testatur se adversus haereticos scribere qui Christum tenent *non in natura impassibilis Dei fuisse*. Addit deinde non timuisse propter mortem, quia in ejus erat potestate ponere vel non ponere animam suam. *Unigenitus autem Deus ita potestatem habens ponendae animae suae*. Prosequens adhuc ait: *Quod si ex se mortuus est, et per se spiritum reddidit, non est terror mortis in potestate morientis?* Concludit denique totum id unionis hypostaticae virtuti et energiae esse adscribendum. *Quam ergo infirmitatem dominatam hujus corporis credis, cujus tantam habuit natura virtutem?* Hilarius ergo omnem laudatis in locis excludit timorem a divinitate, ab humanitate vero timorem excludit torquentem invitum.

Obj. 3. cont. eamd. prop. Haec habet Hilarius in lib. 10. de Trin. num. 23. quae ab errore excusari certe non possunt. *Homo itaque Jesus Christus propter carnem et Verbum ut hominis filius ita et Dei filius, hominem verum secundum similitudinem hominis nostri non deficiens a se Deo sumpsit: in quo quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent haec quidem impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent*. Per Hilarium itaque in Christi humanitate locum habuere profecto ictus, vulnera, nodi, suspensio, non vero dolor passionis. II. et haec quidem absolute et ad doloris exclusionem prolata sunt ab Hilario. Nam eodem

modo ait Christi corpus ab ictibus atque vulneribus excepisse dolorem, quo aër ignis vel aqua dolent dum percutiuntur aut perforantur. Prosequitur enim: *Ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans, omnes quidem has passiones naturae suae infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret: sed naturam suam in haec passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aërem vulnerari, quamvis naturae teli sit, et vulnerare et compungere et forare*. III. nec dici potest sanctum illum Doctorem non absolute, sed hypotetice loqui. Nam subdit ibidem: *In corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exeruit: dum et poenali ministerio desaeviit, et virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit*. Hic removet Hilarius a Christi corporis virtute sensum omnem poenae. IV. adde nunc quod eximius ille scriptor omnia Scripturarum loca in quibus timor atque tristitia propter mortem exprimuntur, in alienum detorquet sensum; aitque non propter se, sed propter Apostolos timuisse ac contristatum fuisse Christum. Sic enim loquitur cap. 7. in Matth. num. 5. *Transire a se calicem rogat. Numquid ait, Transeat me calix iste? Haec enim futura erat pro se timens oratio. Sed aliud est ut se transeat, aliud ut a se transeat deprecari ... Totus igitur super his qui passuri erant metus est: pro his rogat dicens, Transeat calix a me*.

Resp. ad 1. Affirmavit Hilarius non subjectum fuisse dolori Christi humanitatem spectatam non absolute, sed prout concepta Spiritus sancti fuerat virtute. Nam docet ibidem cunctos homines ex infecto virili semine natos pati ac dolere ex necessitate. Christum vero in utero Virginis absque terreni seminis contagio, sed Spiritus sancti virtute conceptum, dotes omnes habere quibus gloriosum gaudere potest corpus. Hinc in tali corpore possunt ictus incidere, descendere vulnera, nodi concurrere, passionis quidem impetum patitur, non vero dolorem. His tamen non obstantibus, doluit et passus est Christus, sed libera potestate, non necessitate: atque ita illius passio si cum nostra comparetur, vera passio non est, quoniam non irruit in patientem, sed ab ipso patiente eligitur. *Passus quidem est*, ait Hilarius eod. num. 23. *D. J. C. dum caeditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus Domini irruens passio, non fuit passio* etc. Et rationem afferens subdit: *Quid per naturam humani corporis conceptam ex Spiritu carnem judicamus? Caro illa, idest, panis ille de caelis est, et homo ille de Deo est*.

Ad 2. Comparatio ab Hilario instituta est inter aërem, aquam, ignem, et Christi humanitatem consideratam non absolute, sed prout ex Spiritu sancto conceptam. Quoniam enim haeretici quos ipse refellebat, ex Christi doloribus illum non esse verum Deum inferebant, S. Doctor regerit non modo divinitatem non fuisse passam, sed si Christus noluisset, nec ejus humanitatem subditam fuisse doloribus; quoniam quum Spiritus sancti virtute corpus illius genitum fuerit, nullum in se habebat peccatum per quod passioni subjici necessario deberet. Eo in casu, si pati nempe noluis-

set, descendissent quidem in gloriosum illud corpus ictus, vulnera, nodi, sed impetum dumtaxat, non dolorem corpori attulissent: quemadmodum si quis aquam aut ignem aut aërem percutit perforat vulnerat, affert quidem his elementis impetum passionis, dolorem tamen passionis non infert. Relege quae diximus in scholio.

Ad 3. Hilarius non a Christi corpore absolute, sed ab illius corporis virtute, hoc est a divinitate, omnem poenae removet sensum. Mens sancti Patris est passum fuisse quidem Dominum, sed passionis in divinitatem sensum non desaeviisse. En integer textus: *Passus quidem est D. J. C. dum caeditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus Domini irruens passio* etc. Nisi ergo dicamus Hilarium per illa verba, *Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit*, removere passionem a divinitate, in eadem periodo apertissime sibi contradixisset; affirmasset videlicet Christum passum et non passum fuisse. Familiare autem huic S. Patri est virtutis corporis Christi nomine intelligere divinitatem. Nam in Psal. 11. num. 25. *Infirmitas*, inquit, *honore est donata virtutis*. In cap. 9. Matth. num. 7. *Fragilitatem corporis virtus assumpsit*. Unde sensus est, patiente Christi humanitate nullum divinitas experta est dolorem. Similia habet in Psal. 53. num. 12. *Passus est ergo Deus, quia se subjecit voluntarius passioni: sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est inferri,) virtutes, ipse tamen a naturae suae virtute non excidit ut doleret*.

Ad 4. Christus Dominus per Hilarium timore benevolentiae, non timore infirmitatis timuit propter Apostolos atque discipulos qui passuri deinceps erant. Quum enim Ariani quos ibi refellit, ex evangelicis verbis, *Tristis est anima mea*, inferrent divinitatem Christi passam fuisse, et timore infirmitatis qui dominatur animo timuisse, Hilarius e contra affirmat timorem illum non in divinitatem, sed in humanitatem Christi cadere; nec infirmitatis timorem esse propter se, sed benevolentiae propter Apostolos, quum infirmitatis timor in Christo locum non haberet: ac ideo Patrem rogavit ne discipuli mortem timerent timore illo qui dominatur animo, et rationem a rectitudine divellit. *Totus igitur super his qui passuri erant, metus est ... Pro his rogat dicens, Transeat calix a me: idest, quomodo a me bibitur et ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis*, subintellige animum perturbante.

CAPUT XIII.

De essentia unionis hypostaticae, ejusque praecipuis proprietatibus.

Satis disputatum arbitror de persona assumente ejusque partibus seorsim consideratis. Nunc a partibus ad rem complexam gradum facientes par est ut de unione hypostatica pertractemus, et hoc in capite praecipue de illius essentia atque proprietatibus. Quoad essentiam, tametsi Theo-

logi omnes catholici Nestorium qui duas admittebat in Christo personas, et Eutychetem qui ambas naturas in una Christi persona permixtas volebat damnantes, fateantur consistere in esse divini communicatione facta humanitati; nihilominus in ea explicanda communicatione in varias distrahuntur sententias. Nos praecipuas referemus et confutabimus. Arbitrantur nonnulli unionis hypostaticae essentiam in actione illa consistere qua humana natura producitur, ita ut productio humanitatis Christi et Verbi communicatio eidem humanitati idem omnino sint. Autumant alii unionem hypostaticam esse modum aliquem *entitativum* seu *substantialem*, realiter tum ab humana natura assumpta, tum a Verbi persona assumente distinctum. Alii volunt esse qualitatem supernaturalem quae gratia appellatur unionis. Alii realem quamdam relationem. Alii alia opinantur. Communis tamen Theologorum sententia tenet unionis hypostaticae essentiam esse personam ipsam Verbi quatenus propriam communicat humanae naturae subsistentiam. Nos communi sententiae subscribimus.

Quoad proprietates vero ejusdem hypostaticae unionis omnes conveniunt praecipuas esse tres, quod videlicet sit *substantialis*, sit *universalis*, sit *indissolubilis*. Soli Nestoriani negant esse illam substantialem; ajunt quippe esse moralem tantum et accidentalem. Sed impium horum haereticorum systema explicabimus capite sequenti. Unionem hypostaticam esse universalem, idem est ac Verbum divinum omnes assumpsisse humanae naturae partes; qua in re neminem dissentientem habemus. Quaestio est solummodo circa modum quo partes illae a Verbo fuerint assumptae, idque pro viribus explicare conabimur. Tandem circa indissolubilitatem peccarunt Origenes, Marcellus anciranus, et Ariani. Putavit Origenes omnia humana corpora, nequidem illo Christi excepto, fore interitura, sicque in illius sententia solvi debet unio hypostatica. Marcellus autem anciranus sibi suasit Christum futurum Ecclesiae caput usque ad extremam judicii diem: qua absoluta tradet, inquit, regnum suum Patri, et corpus et anima ejus in nihilum revertentur. Ariani demum blasphemarunt Christum in cruce pendentem desperasse, divinitatemque proinde recessisse ab humanitate. Nonnulli ex veteribus Patribus, ut Tertullianus adversus Praxeam cap. 30. Eusebius lib. 4. Dem. Evan. cap. 13. Hilarius in Matth. cap. 33. Ambrosius lib. 10. in Lucam, videntur existimare Verbum in triduo mortis Christi recessisse ab humanitate: quod si admittatur, fatendum erit unionem hypostaticam ad tempus saltem fuisse solutam. Reliqui Patres Theologique omnes defendunt numquam aut solutam aut solvendam esse unionem hypostaticam. Sed redeamus ad caput.

CONCLUSIO I.

Essentia unionis hypostaticae non consistit in actione divina qua producta est humana natura, neque qualitas aut relatio aut modus vel aliquid aliud realiter a Verbi persona et ab humanitate distinctum dici potest.

Prob. 1. thes. pars. Unio hypostatica est vinculum quoddam personam Verbi cum humana natura conjungens. Falsum autem id esset si ejus essentia in actione consisteret qua humana natura producta est: quum enim actio producens humanitatem utpote externum connotans objectum toti communis sit Trinitati, sequeretur unionem hypostaticam esse vinculum uniens totam Trinitatem. Deinde ex quo unio hypostatica sit per nostrum concipiendi modum duo extrema conjungens, supponit jam duo illa extrema existere, atque idcirco quae humanitati dat existentiam nequit essentiam constituere unionis hypostaticae.

Prob. altera pars. Qualitas illa vel relatio vel modus etc. esset juxta adversarios aliquid creatum. Ast quod creatum est unire nequit Verbi personam cum humana natura. 1. quoniam per illius sententiae patronos ideo ad Verbi personam cum humanitate uniendam necessaria est qualitas relatio modus etc. quoniam nulla Verbum inter et humanam naturam esset proportio. Ast quaenam proportio esse potest inter Verbum et qualitatem aut relationem vel modum si haec creata sint? 2. quoniam vinculum duo illa uniens extrema recipi proculdubio deberet in Verbi personam, quum illam unire substantialiter debeat humanae naturae. Quis autem concipere potest creaturam recipi in Verbi personam? 3. eodem modo de hypostatica judicandum est unione, ac de unione substantiali quae inter hominis corpus animamque intercedit. Unionem quippe illam SS. PP. ac Cyrillus praesertim, ad unionem explicandam hypostaticam quam saepissime adducunt in exemplum. Verum unio quae inter animam hominis ejusque corpus intercedit, non est qualitas relatio modus vel simile quidpiam ab anima realiter distinctum et corpore, ut omnes sensati philosophi docent.

CONCLUSIO II.

Unio hypostatica hac definitione continetur: Est mirabilis conjunctio personae Verbi cum humana natura.

Prob. simul et explicatur propositio. Dicitur *mirabilis*, ut exprimatur unionem hypostaticam esse mysterium et quidem altissimum et ineffabile cujus nullum in rebus creatis extat vestigium. Neque enim unio quae Deum inter et animam justi intercedit, mysterium hoc valet adumbrare. 2. dicitur *conjunctio*, hoc est non confusio, non perturbatio naturarum, ut Eutychiani delirabant; neque simplex divinae personae in humanitate habitatio, ut blasphemabat Nestorius: sed vera phy-

sica et substantialis copulatio qua major excogitari non potest. 3. dicitur *personae Verbi cum humana natura*, ut intelligatur Verbum assumpsisse humanitatem propria naturali subsistentia carentem, et in locum ejus hypostasim suffecisse divinam, contra quam affirmaret Nestorius qui arbitrabatur humanam naturam a divino Verbo una cum humana subsistentia fuisse assumptam. Iis hoc modo explicatis, demonstratur nunc veram et accuratam esse mox traditam unionis hypostaticae definitionem hoc modo. In eo unionis hypostaticae reponenda est essentia, quo posito singula quae ad Incarnationis spectant oeconomiam optime intelliguntur et explicantur. Ea autem posita definitione singula quae ad Verbi Incarnationem spectant optime explicantur. Nam ea admissa definitione intelligimus 1. Incarnationem esse mysterium. 2. humanam naturam non esse personam. 3. subsistentiam in Christo esse mere divinam. 4. unionem inter Deum ac humanam naturam non esse moralem seu accidentalem, sed physicam et substantialem. 5. unicam tantum esse in Christo personam. 6. B. Virginem esse Deiparam. 7. naturam humanam Christi non fuisse nec esse potuisse obnoxiam peccato. 8. eamdem humanam naturam sanctam fuisse sanctitate etiam substantiali. 9. et ne per singula excurram, dari in Christo communicationem idiomatum, qui praecipui sunt unionis hypostaticae effectus.

CONCLUSIO III.

Unio hypostatica inter Verbum divinum et humanam naturam est unio substantialis universalis indissolubilis.

Prob. 1. thes. pars patet apertissime ex dictis, et fusius sequentibus capitibus ubi ex proposito nestorianam refellemus blasphemiam demonstrabimus. Interim ostenditur sequenti argumento. Unio per quam unum subsistens resultat compositum, cujus extrema non per accidens atque moraliter, sed physice ac realiter unita sunt, est unio substantialis; ut hominis patet exemplo qui est unum subsistens compositum cujus extrema, anima scilicet et corpus quum physice ac realiter copulata sint, non moraliter talis unio vocatur et est substantialis. Jam vero ex unione inter Verbum et humanitatem unum resultat compositum subsistens, nempe Christus, cujus extrema, Verbum scilicet et humanitas physice atque realiter, non moraliter ac per accidens unita sunt: unio igitur hypostatica est unio substantialis. Argumentum est Cyrilli alex. qui in lib. de recta Fide scribit: *Pie recteque asseveramus dum magnus ille Paulus omnem divinitatis plenitudinem in ipsa inhabitasse scribit, non quidem per alicujus doni participationem aut habitudinem aut gratiae communicationem; sed corporaliter, hoc est essentialiter, sicut in homine dicitur inhabitare spiritus ejus, non alias existens praeter ipsum*. Praeiverat illi Gregorius nazianzenus dicens: *Si quis tumquam in propheta gratia operatum esse Deum in Christo, et non secundum substantiam conjunctum*

esse ac conjungi, a praestantiore afflatu vacuus sit ; *imo contrario repleatur*. Hinc Damascenus lib. 3. de Fide cap. 13. *Substantivam*, ait, *unitionem dicimus*, *hoc est*, *veram*, *et non secundum imaginationem*. *Substantivam porro non sic tamquam naturae duae unam naturam compositam effecerint*, *sed ita ut unitae sint invicem revera in unam hypostasim compositam filii Dei*.

COROLLARIUM.

Ex quo hypostatica unio sit substantialis consequitur dici posse etiam *naturalem*. Non quod necessaria sit aut ex naturae conditione promanans, quum maximum divinae sit liberalitatis donum, sed quod conjunctio sit duarum naturarum naturis integris in unitate personae remanentibus: contra quam sentiant Eutychiani naturarum admittentes permixtionem atque confusionem. Dicitur etiam naturalis, quatenus unio illa vera est ac realis et absque fuco, non moralis et accidentalis ut Nestoriani delirant. Sequitur ulterius unionem illam esse omnium maximam, quum sit duorum copulatio extremorum quae in infinitum distant inter se. Nec potuit Deus praestantiori modo humanae naturae conjungi quam illi propriam divinam tribuendo seu communicando subsistentiam.

Prob. alt. pars, unionem videlicet hypostaticam fuisse universalem, Verbum nimirum divinum assumpsisse animam cum suis potentiis, corpus cum partibus omnibus integrantibus, et sanguinem et eas corporis partes quae ad ornatum pertinent, quamvis excrementitias partes assumpserit tantum mediate. Assumpsit, inquam, animam cum suis potentiis, et corpus cum partibus integrantibus immediate. Nam quum Christus Dominus fuerit perfectus homo sicuti perfectus erat Deus, eas omnes humanitatis partes immediate et hypostatice assumpsit quae ad perfectum ac integrum hominem requiruntur. Ad integrum autem ac perfectum hominem pertinent anima cum suis potentiis quae sunt intellectus voluntas memoria etc. et corpus cum partibus suis integrantibus quales sunt pedes manus ossa nervi etc. Unde divinum Verbum immediate et hypostatice omnia quae recensita sunt assumpsit. Sed immediate et hypostatice assumpsit etiam sanguinem, scribente Apostolo ad Hebr. cap. 2. v. 14. eodem modo assumpsisse sanguinem quo assumpsit carnem: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini*, *et ipse similiter participavit eisdem*. Ast carnem assumpsit immediate et hypostatice: *Et Verbum caro factum est*. Quare immediate assumpsit etiam sanguinem. Accedit his quod Christi sanguis quum satisfecerit pro peccatis nostris, juxta illud ejusdem Apostoli ad Ephes. cap. 1. v. 7. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus*, valoris fuit infiniti. Undenam autem eam habere potuit infinitatem nisi ex unione hypostatica? Hoc idem sentiendum de illis corporis partibus quae pertinent ad ornatum, ut sunt ungues capilli barba etc. Ejusmodi namque partes vitam recipiunt et informantur ab anima; unde si per vim avellantur, anima occasionem inde accipit dolendi. Ast vero divinum Ver-

bum hypostatice et immediate assumpsit quidquid ab anima informatur ac totius composita vita vivit. Praeterea *quod Verbum semel assumpsit*, utique hypostatice, *numquam dimisit*, ut Theologorum habet proloquium. Et e contra quod Verbum numquam dimisit, hypostatice olim sibi copulavit. Verum Christi corpus partes illas quae ad ornatum spectant, modo in caelis adhuc retinet. Non ita tamen sentiendum de partibus excrementitiis, ut sunt pituita sudor etc. hae quippe partes non informantur ab anima, ut vel ex eo dignoscitur quod si a corpore per vim divellantur, anima non dolet. Et rursus Christi corpus in caelis modo non retinet excrementitias partes.

Ad idearum confusionem devitandam hic animadvertere juvat unionem universalem humanae naturae factam fuisse proxime et immediate in persona Verbi, non in natura divina. Nam si ea unio proxime facta in divina natura fuisset, quum haec sit toti Trinitati communis, sequeretur totam Trinitatem humanam assumpsisse naturam. Hinc Toletana synodus 11. in Fidei profess. *Solus Filius*, inquit, *formam servi accepit in singularitate personae*, *non in unitate divinae naturae*; *in eo quod proprium est Filii*, *non quod commune Trinitati*. Quod si quandoque Patres nonnulli affirmant humanitatem assumptam fuisse a divinitate, intelligendum est id de mediata, non proxima et immediata assumptione. Vel nomine divinitatis Deum intellexere Verbum. Sed de his actum superius. Interim vide Petavium lib. 5.

Observandum est praeterea non prius prioritate temporis humanam extitisse naturam, deinde assumptam a Verbo divino fuisse; alioquin quum humana natura per aliquod quantumvis minimum temporis punctum nequeat absque subsistentia sive propria sive aliena a parte rei subsistere, fieret consequens ut antequam a Verbo assumeretur, in propria extiterit subsistentia; sicque duae fuissent in Christo hypostases, una humana ac sibi propria, altera aliena et divina, atque adeo et duae personae; ut pessime philosophabatur Nestorius. Quare optime Athanasius in lib. de Incarn. inquit: *Carnis adunatio cum divinitate Verbi ex utero facta est*... *non quidem ejusmodi ut ante Verbi adventum extiterit*. Et S. P. Augustinus Enchir. cap. 36. *Ex quo esse homo coepit*, *non aliud coepit esse homo quam Dei filius*. Totum rei hujus fundamentum est, quod humana natura propria caruit naturali sua subsistentia, illamque a Verbi persona habuit. Cave tamen ne putes eamdem humanam naturam caruisse etiam propria existentia, ut opinantur Thomistae, quomodo propria caruit subsistentia. Arbitramur enim naturam sine propria existentia realem et a parte rei naturam non esse, sed in abstracto dumtaxat et metaphysice. Porro divinum Verbum humanam assumpsit naturam veram et a parte rei realem. Hinc Cyrillus alex. lib. 1. cont. Nestor. duplicem tribuit Christo existentiam, alteram ab aeterno, et alteram in tempore. Nec quidquam officit quod afferre consueverunt ex Sophronio et Damasceno Thomistae, Christi videlicet humanam naturam *in ipso Verbo*, *et non per se ipsam existentiam habere*. Nam perspicuum est sanctos hos Patres loqui adversus Nestorium delirantem

Christi humanitatem prius prioritate temporis extitisse quam a Verbo assumeretur. Unde Sophronius in ea synod. Ep. ad Sergium C-P. inquit: *Simul enim caro, simul Verbi Dei caro, simul animata rationalis. In ipso enim et non per se ipsam existentiam habuit. Quippe simul cum Verbo concepta corpus et anima ad consistendum ista producta sunt et unita sunt ipsi secundum hypostasim, simul atque ad consistendum producta sunt*. Et Damascenus lib. 3. cap. 12. laudato scribit: *Assumptionem carnis hujus extantiam et deificationem a Deo Verbo eodem momento fuisse*.

Prob. modo 3. thes. pars. Si unio hypostatica dissoluta aliquando fuisset, id maxime accidisset in triduo mortis Christi. Tunc autem non accidit. Nempe dissoluta ea in circumstantia non fuit ratione corporis, alioquin falso fidei symbolum diceret Deum jacuisse in sepulcro. Et eamdem ob caussam dissoluta non fuit ratione animae, quum ibidem dicatur Deum descendisse ad inferos. Hinc optime S. P. Augustinus Tract. 47. in Johan. *A Verbo autem animam separatam esse non dico*. Et Fulgentius Resp. 1 ad Ferrandum: *Nec in sepulcro carnem suam divinitas immensa deseruit*. Et S. Leo Serm. 17. de Pass. *Ambas Christi naturas in tantam unitatem ... convenisse, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte sejungi*. Et Nyssenus lib. 3 cap. 17. *Quod Verbum Semel assumpsit, numquam dimisit*: quae sententia in vulgare transiit eloquium penes Theologos. Ideoque fuit semper unio hypostatica indissolubilis. Quinimmo et erit deinceps in aeternum. Et re quidem vera, Christus Dominus in aeternum erit Christus, affirmante Apostolo in Ep. ad Hebr. cap. 13. v. 8. *Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula*. Quod si solvi aliquando deberet unio hypostatica, jam Christus desineret aliquando esse Christus. Similiter Christi regnum atque potestas qua Christus est, duratura est in aeternum, juxta Danielis oraculum cap. 7. v. 14. *Potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur*. Ac denique futurus est Christus sacerdos usque in aeternum: *Tu es sacerdos in aeternum*, inquit David Psal. 109. v. 4. Et Paulus ad Hebr. cap. 7. v. 24. *Hic autem* (Christus) *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium*. Hoc idem de Christi mediatione aliisque suis muneribus dicendum est. Si autem unio dissolvatur hypostatica, jam omnibus hisce titulis Christus expoliabitur, quod absurdissimum est.

Adversariorum oppositiones brevissime dissolvuntur.

Obj. 1. adv. 1. thes. S. Leo M. Ep. 11. haec habet: *Natura nostra non sic assumpta est ut prius creata postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur*. Innuunt haec creationem humanitatis et unionem hypostaticam unum idemque esse: proindeque essentia unionis hypostaticae ipsa videtur actio qua humanitas producta est.

Resp. Asserit S. Leo non prius prioritate temporis formatam fuisse humanitatem et postea assumptam a Verbo, quoniam agit contra Nestorium

docentem prius prioritate non naturae, sed temporis humanam creatam fuisse naturam, et postea posterioritate pariter non naturae, sed temporis fuisse a Verbo assumptam: atque idcirco S. Pontifex inquit in ipsa assumptione creatam fuisse humanam naturam. Ceterum per nostrum cogitandi modum prius prioritate naturae creata fuit humanitas, postea vero posterioritate item naturae fuit a Verbo assumpta: atque ita alia est notio actionis qua producta est humanitas, alia notio actionis qua eadem humanitas fuit assumpta. Imo creationis humanitatis actio utpote ad extra totius est Trinitatis, actio autem assumptionis ejusdem humanitatis solius est personae Verbi.

Obj. 2. adv. eamd. prop. Unio hypostatica est quaedam actio; omnis actio est productiva; unio hypostatica nequit producere Verbum quum Deus sit, neque humanitatem quae ab actione producta fuit toti Trinitati communi. Debuit itaque producere aliquid a Verbo et ab humanitate distinctum, sicque unio hypostatica est quid distinctum ab extremis. Nequit tamen esse substantia. Est itaque qualitas vel relatio vel modus vel quidquam simile. II. neque dubitare quis potest unionem hypostaticam actionem esse productivam. Nam humanitas per unionem hypostaticam aliquid positivum ac reale acquirit, intrinsece namque mutatur, novamque adipiscitur formam. Positivum autem illud ac reale quod acquirit, nonne ab unione producitur hypostatica? III. accedit his quod posita unione hypostatica novum aliquod habetur de novo in rerum natura positum quod antea non habebatur. Novum hoc non est humanitas, quae licet eodem sit temporis puncto producta quo facta est unio hypostatica, concipitur tamen per mentem antea extitisse. Neque est hypostasis Verbi quae aeterna est. Illud itaque novum erit vel qualitas vel relatio vel modus vel aliquid aliter ab extremis realiter distinctum.

Resp. ad 1. brevissime, neque enim diu in his argutiunculis est immorandum. Unio itaque hypostatica dici utique potest actio, sed unitiva, non productiva.

Ad 2. Humanitas per unionem hypostaticam positivum aliquid et utique reale acquirit, sed illud positivum est subsistentia divina, non aliquid ab extremis distinctum. In unione enim hypostatica Verbum divinum agit ut sibi copulet humanitatem quae positivum aliquid, divinam scilicet subsistentiam recipiens, intrinsece et physice mutatur. Nil ergo novum ab extremis realiter distinctum per unionem producitur hypostaticam.

Ad 3. Novum illud positum in rerum natura, non est humanitas, neque Verbi divini hypostasis seorsim accepta, sed sunt illa duo mirabiliter ad invicem conjuncta.

Obj. 3. cont. 2. thes. Si divinum Verbum assumpsisset immediate sanguinem, vera esset haec propositio, *Deus est sanguis*; sicuti vera est haec alia propositio, *Deus est homo*. Ea autem propositio enuntiari non potest. II. si Verbum immediate assumpsisset sanguinem: ex quo sanguis effusus sit, vera esset haec propositio, *Deus effusus est*; quemadmodum quoniam Verbum immediate assumpsit corpus, ex quo corpus illud in cru-

ce pependerit, vera est haec propositio: Deus pependit in cruce: Ast dici nequit Deum esse effusum: Ergo neque dici potest Verbum assumpsisse immediate sanguinem.

Resp. ad 1. Ratio cur recte dicitur: Deus est homo, et dici non potest, Deus est sanguis, non est quia Verbum immediate assumpsit humanitatem, et non sanguinem. Minime. Sed quoniam humanitas est aliquod in se completum, et ad aliud non ordinatum; sanguis vero est quid incompletum et ordinatum ad aliud. Et propter hoc vera est illa propositio: Deus est homo; falsa haec alia: Deus est sanguis: quemadmodum eamdem ob caussam falsa est et haec propositio: Deus est pes, vel manus, vel brachium, quamvis Verbum membra haec immediate sibi copulaverit.

Ad 2. Ideo ex quo sanguis immediate a Verbo assumptus sparsus et effusus sit, dici nequit, *Deus est effusus*, quoniam spargi et effundi actio est sanguini conveniens, prout a supposito divisus est ac separatus. E contra non est absonum dicere: Deus pependit in cruce ex quo in cruce Christi pependerit corpus, quoniam in cruce vel pendere vel mori actio est conveniens supposito. Verum haec clariora fient ubi de idiomatum agemus communicatione.

CAPUT XIV.

Nestoriana haeresis adversus unionem hypostaticam refutatur.

Catholica de unione hypostatica fides a perversis haereticorum machinationibus nunc vindicanda est, exordiumque ducendum ab haeresi nestoriana quae diu multumque vexavit Ecclesiam. Nestorius ergo e Germanicia Syriae oppidulo oriundus, postquam monasticam egerat aliquandiu vitam, Antiochiae presbyter ordinatus est. Cumque disertus et ad dicendum promptus esset ac externam quamdam sanctitatis speciem affectaret, munus ei collatum est docendi populum, in quo exercendo totus fuit ut populi captaret auram. Interea mortuo C-P. patriarcha Sisinnio anno 427. visum est Imperatori Antiochia quae sanctissimum dederat Johannem Chrysostomum, novum arcessere regiae urbis antistitem. Et quoniam magna erat doctrinae ac sanctitatis Nestorii fama an. 428. C-P. ecclesiae sacrorum praefectus renuntiatus est. Et initio quidem episcopatus magnus apparuit haereticorum hostis et insectator. Sed non multo post venenum quod in stomacho servabat, contra catholicam evomuit Ecclesiam. Nam ipso in throno sedente, Anastasius quidam presbyter vir impurus et audacissimus quem Nestorius consiliorum socium Antiochiam secum adduxerat, coram universo populo hanc protulit blasphemam vocem: *Deiparam Mariam nullus nominet. Nam Maria homo erat: impossibile autem est ut homo Deum pariat*. Qua prolata incredibile est quam magnae in populo excitatae sint turbae. Ast Nestorius non modo impiam vocem non repressit, sed illam praeterea impense laudavit. Subinde in omnibus suis homiliis et concionibus pessimum contra B. Virginem spargere coepit er-

rorem, et alia deturpare tentavit Incarnationis sanctissima dogmata: Quae cum ad manus pervenissent Cyrilli alexandrini, literas gravitatis doctrinaeque plenas dedit ad monachos aegyptios ut eos a nova haeresi praeservaret. Scripsit deinde ad imperatorem Theodosium et ad Imperatrices epistolas seu libellos, in quibus catholicam de Incarnatione fidem vindicabat. Quum horum factus certior esset Nestorius, ira percitus Cyrillum velut haereticum apollinaristam traducere coepit, nec illum Cyrilli officia humanitatis plena in ordinem umquam redigere potuerunt. Unde caussa delata est ad Caelestinum R. P. qui Cyrillo vices suas committens, praecepit ut nisi Nestorius intra decem dies resipisceret, communione et episcopatu privaretur. In deterius tamen abiens novi architectus erroris, eo actum fuit generale totius orbis Concilium, quod fuit Ephesinum, in quo recens damnata fuit haeresis, ejusque auctor ecclesiasticis infulis privatus.

Nunc breviter videndum est in quo impium Nestorii systema consistat. Is ergo tamquam inviolabile fidei principium statuebat, unionem inter Verbum divinum et humanam naturam non fuisse hypostaticam, sed mere accidentalem atque moralem per supernaturalia dona a Verbo realiter distincta. Inde plura colligebat nefaria atque blasphema; colligebat videlicet 1. in Christo duas fuisse distinctas personas, divinam unam, alteram humanam. 2. personam divinam in humana habitasse per gratiam, quomodo Deus in justorum habitat anima. 3. proinde Christum fuisse Dei filium, quomodo filii Dei sunt homines justi, quamvis specialiori quodam titulo propter uberiora dona eo nomine gauderet Christus. 4. Mariam virginem appellandam esse Christiparam quod humanam Christi peperit personam, non Deiparam quum non genuerit Deum. 5. denique non esse in Christo admittendam realem idiomatum communicationem, sed moralem dumtaxat et accidentalem.

Infanda haec portenta expresse docuisse Nestorium constat ex omnibus ecclesiasticae historiae scriptoribus. Et nihilominus non defuere e calviniana secta nonnulli, ut Albertinus, Ægydius Gaillard, Crojus, de-Rodone, qui ut praeconceptum contra veteres Patres et Concilia odium manifestum facerent, veriti non sunt affirmare minime Nestorium duas admisisse in Christo personas, nec proprie B. Mariam Deiparam esse negasse; adeoque Cyrillum, Caelestinum, ac generale Ephesinum concilium omnia per invidiam egisse. Nos ergo antequam catholicam contra Nestorium fidem confirmare argumentis aggrediamur, de fide ipsius Nestorii disputabimus.

CONCLUSIO I.

Nestorius vere negavit substantialem duarum naturarum in unitate personae unionem, et B. Virginem esse Deiparam.

Prob. 1. thes. pars. Ille substantialem et hypostaticam duarum naturarum non admisit in Christo unionem qui non aliam divinam inter ac humanam naturam unionem agnovit, quam quae inter templum inter-

cedit ejusque habitatorem, inter rem gestatam ac personam gestantem, inter eos qui auctoritate ac dignitate uniuntur; per se namque patet talem unionem non physicam esse et substantialem, sed moralem et accidentalem. Ejusmodi porro unionem inter humanam divinamque Christi naturam admisit Nestorius. Ita quippe in Ep. ad Cyrillum quae extat p. 1. conc. Ephes. cap. 9. scribit Nestorius: *Quasi vero quae in Dei Verbum conveniunt naturaliter, ea templi conjunctione abolita sint: aut parvi apud homines fieri debeat Templum illud nullo umquam peccato contaminatum et a divina natura inseparabile, peccatorum nostrorum caussa et natum et mortuum esse*. Quaternione autem 16. qui Action. 1. conc. Ephes. legitur, ait: *Propter gestantem gestatum veneror, propter latentem adoro apparentem ... naturas separo, sed adorationem conjungo*. Ac denique apud Cyrillum tom. 3. *Sunt enim naturae duplices, sed dignitate singulares: siquidem naturarum auctoritas propter conjunctionem est una, naturis in ordine suo perpetuo manentibus, dignitate vero conjuncta, ut dixi, in singularem auctoritatem*. II. qui substantialem et hypostaticam admittit in Christo unionem, necessario fateri debet Christum substantialiter ac vere esse Deum. At vero Nestorius id aperte negavit. Nam in Anathematismo 1. quem Anathematismis opposuit Cyrilli, ita loquitur: *Si quis eum qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius Nobiscum Deus, hoc est inhabitasse eam quae secundum nos est naturam* etc. *anathema sit*. Quatern. autem 27. docet Christum esse Deum quomodo Deus erat Moyses: *Verbum ut rerum omnium opificem, Deum appellamus, et Moysem rursum Deum. Ait enim: Constitui te Deum Pharaonis, et Israel filium Dei*. Meminit deinde Saulis, Cyri, aliorum, et ita concludit: *Ita quoque Christum Dominum et Deum et Filium et Sanctum et Christum appellamus*. Quatern. 21. haec alia scribit: *Divina proinde Scriptura Deum ex Christipara Virgine genitum esse nusquam affirmat; sed Jesum Christum et Filium et Dominum*. Paullo ante concilium Ephesinum coram Episcopis in privatis colloquiis dixisse narratur Action. 1. conc. Ephes. *Ego Deum bimestrem aut trimestrem non adoro*. At denique ex Ep. Cyrilli ad Successum apparet magnum Nestorii principium fuisse quod humana natura propria expoliari non potuit subsistentia, et ad jura divini Verbi transire; unde ajebat: *Si Christus perfectus Deus, idemque perfectus homo intelligitur, ubi naturae est perfectio, si hominis natura non subsistit?* Verum eo statuto principio unio inter humanam divinamque naturam quomodo hypostatica esse potest? Neque enim naturae conjunguntur per hypostasim.

Prob. altera pars, quod videlicet Nestorius non admiserit in Christo unitatem personae. Ille negavit unam esse in Christo personam qui negavit unum esse post Incarnationem filium, et docuit filium in Virginis utero formatum, non esse Unigenitum Patris: et Sacerdotem nostrae confessionis non esse Dei Verbum. Haec tradidit docuitque Nestorius. Nam Anathematismo 5. *Si quis*, inquit, *unum esse post assumptionem hominis*

naturaliter Dei filium audet dicere cum sit Emmanuel, anathema sit. Et Serm. 1. *Non per seipsum Deus est, qui in utero figuratus est.* Serm. 7. *Non per seipsum Deus est, quod creatum est a Spiritu sancto.* Anathematismo 7. *Si quis hominem qui in Virgine creatus est, hunc esse Unigenitum dixerit qui ex utero Patris ante Luciferum natus est, anathema sit.* Et Anathematismo 10. *Si quis illum in principio Verbum, Pontificem et Apostolum confessionis nostrae factum esse, seque ipsum obtulisse pro nobis dicat, anathema sit.*

Prob. 3. pars, Nestorium nempe negasse B. Virginem esse Deiparam. Serm. namque 1. inquit: *Habet ne matrem Deus? Ergo excusabilis gentilitas matres diis subintroducens. Maria, vir optime, non peperit Deum, sed peperit hominem divinitatis instrumentum.* Anathematismo 2. *Si quis ... Matrem etiam Dei Verbi, et non potius ejus qui Emmanuel est, nuncupaverit, anathema sit.* In Ep. 1. ad Caelestinum: *Si quis autem hoc nomen* θεοτόκον, *propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parientem proponat, dicimus quidem hoc vocabulum in eam quae peperit, non esse conveniens. Oportet enim veram matrem de eadem esse essentia qua est ex se natum; ferri tamen posse propter ipsam considerationem, et quod solum nominetur de Virgine hoc Verbum propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa, non quia ipsa sit mater Dei Verbi; nemo enim antiquiorem se parit.* Addit ibidem appellare Mariam Deiparam contrarium esse nicaenis Patribus et sacris Scripturis: *Ego teneo Scripturas quae ubique Virginem matrem Christi, non Dei Verbi, et per Angelos et per Apostolos praedicarunt.*

Prob. ultimo thes. in universum extrinseco argumento. 1. Laici, Presbyteri, et Episcopi ante Ephesinam synodum aperte restiterunt Anastasio presbytero, et Dorotheo episcopo, quod B. Virginem non esse Deiparam publice praedicaverint; et Nestorio ipsi blasphemiam illam partim dissimulanti, partim approbanti, manifeste et palam oblocuti sunt. Cur autem illa agendi ratio animos tam Clericorum quam Laicorum adeo conturbasset, ut scribit Socrates lib. 7. cap. 31. si Nestorius ejusque contubernales catholice sensissent? 2. Cyrillus alexandrinus plures adversus Nestorium scripsit epistolas atque libellos, Caelestinus R. P. lectis non modo Cyrilli, sed et Nestorii literis, excommunicationis in Nestorium poenam tulit nisi intra decem dies resipisceret. 3. Nestorius ipse, ut ex ejus scriptis apparet, numquam conquestus est Catholicos sibi imposuisse, sed omni argumentorum genere vera esse ostendere conabatur quae ipse affirmabat. 4. concilium Ephesinum omnibus rite peractis atque ad examen revocatis, depositionis sententiam tulit contra Nestorium. 5. post Ephesinam synodum omnes sancti Patres Nestorii execrati sunt personam, et scripta tamquam haeretica damnarunt. Velle ergo Nestorium ab haeresi quae ipsi a tota retro antiquitate tribuitur vindicare, est laterem lavare vel aethiopem.

CONCLUSIO II.

Una revera est in Christo persona.

Prob. 1. Scripturis. Johan. cap. 1. v. 14. legitur: *Et Verbum caro factum est*. Jam vero Verbum factum est caro vel per sui conversionem in carnem, vel quod carni seu humanitati conjunctum sit moraliter, vel quod conjunctio illa fuerit substantialis seu hypostatica; neque enim alius unionis modus potest excogitari. Ast laudata verba non significant Verbi conversionem in carnem, id namque repugnat; neque meram unionem moralem, quantumvis enim arcta sit duorum amicorum conjunctio, dici tamen non potest unum factum esse alium. Superest igitur ut unionem significent hypostaticam. Verum hoc posito, nonne Verbum et humanitas unicam constituunt personam? II. Paulus in Ep. ad Philip. cap. 2. v. 6. de Christo inquit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. De una eademque persona dicit Apostolus quod fuerit in forma Dei et in forma servi, quod fuerit aequalis Patri, et illi obediens. Una itaque tantum est in Christo persona. Rursus de uno eodemque Christo affirmat quod semetipsum exinaniverit formam servi accipiens. Quod si formam servi ita accepisset ut in humanitate velut in templo habitaverit, adeoque diversa esset in Christo Verbi persona a persona hominis, dici nullo modo posset Verbum semetipsum exinaniisse. Nam ex quo Pater et Spiritus sanctus per gratiam habitent in anima justi, numquid de iis alicubi legitur seipsos exinaniisse. III. de uno Christo inquit Johannes cap. 1. v. 18. *Unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Et Petrus Matth. cap. 16. v. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*. Et Thomas Johan. cap. 20. v. 28. *Dominus meus, et Deus meus*. Et Paulus idem in 1. ad Cor. cap. 8. v. 6. *Unus Dominus J. C. per quem omnia*. Non alia ergo est in Christo persona Dei, et persona hominis. IV. Isaiae cap. 9. v. 6. legitur: *Parvulus natus est nobis ... et vocabitur nomen ejus ... Deus, fortis etc.* Apostolus ad Rom. cap. 9. v. 5. *Ex quibus* (inquit de Israelitis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Act. cap. 20. v. 28. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Et rursus Johan. cap. 8. v. 58. Christus ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum*. His similia innumera sunt in Scripturis. Nullum plane validius afferri potest argumentum ad demonstrandam in Christo unitatem personae quam illud exprompium ex communicatione idiomatum. Quomodo enim quae Dei sunt, praedicari possent de homine et vicissim, si in Christo essent non solum duae naturae, sed etiam duae personae? Et tamen allata hactenus testimonia apprime demonstrant dari in Christo substantialem idiomatum communicationem, et quae Dei sunt enuntiari posse de homine et vicissim.

Prob. 2. Ecclesiae auctoritate. In symb. Apost. ita legitur: *Credo in J. C. filium ejus unicum D. N. qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine*. In symb. Nicaeno appellatur Filius consubstantialis Patri; ac de illo e vestigio subditur: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis; et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est*. Eadem prorsus occurrunt in symbolo C-P. synodus autem Ephesina Nestorium duas in Christo admittentem personas damnavit, approbavitque Cyrilli Anathematismos in quibus unitas in Christo praedicatur personae. Concilium Chalcedonense Action. 5. in Fidei profess. sic inquit: *Confitemur unum eumdemque Christum in duabus naturis inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitatem, magisque salva utriusque naturae proprietate, et in unam personam atque subsistentiam concurrente*. Concilium generale V. hanc edidit definitionem: *Si quis dicit secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum honoris aequalitatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem unitionem esse factam ... et non secundum substantiam unitionem Verbi ad carnem factam esse, anathema sit*. Nemo non videt definitionem hanc haeresim percutere nestorianam.

Prob. 3. PP. auctoritate qui ante Nestorium floruerunt. Ignatius martyr in ep. ad Ephes. *Deus noster*, inquit, *Jesus Christus in utero gestatus est a Maria secundum dispensationem Dei ex semine David*. Irenaeus lib. 3. cap. 18. *Unum et eumdem esse Verbum Dei, et hunc esse Unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra J. C. D. N.* Athanasius in lib. de Incarn. *Homo una persona et unum animal est ex spiritu et carne concretum; ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unum esse, et non personas duas*. Gregorius nazianzenus Orat. 31. *Non duo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens. Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, et quod est assumptum: naturae duae in unum concurrentes, non duo filii*. Hilarius lib. 9. de Trin. *Sed si Christus et homo et Deus est, et neque cum homo tum primum Deus, neque cum homo tum non etiam Deus, neque post hominem in Deo non totus homo, totus Deus, unum atque idem necesse est dictorum ejus sacramentum esse, quod generis*. Ambrosius lib. de Incarn. cap. 5. *Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine*. Hieronymus in cap. 1. Ep. ad Ephes. *Non quo alius assumptus homo, et alius sit sermo qui assumpserit; sed quo unus atque idem pro varietate caussarum, nunc sublimis, nunc humilis praedicetur*. S. P. Augustinus Enchir. cap. 35. *Christus Jesus Dei Filius, est et Deus et homo. Deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo. Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro*. Tract. 49. in Johan. *Anima et caro Christi cum Verbo Dei, una persona est, unus Christus est*. Paria his habet innumeris in locis. Multa alia PP. testimonia vide apud Petavium collecta lib. 3. de

Incarn. cap. 11. Haec enim pauca satis esse arbitror ad nestorianam confodiendam haeresim, eo vel maxime quod laudati PP. ante haeresim illam exortam, uti animadvertimus, floruerint.

CONCLUSIO III.

B. Virgo Maria est et recte appellatur θεοτόκος, Deipara.

Sequitur propositio haec ex dictis. Si namque B. Virgo Maria Deipara non est; in Christo ergo duae erant distinctae personae, divina una et a Patre genita, altera vero humana quae ortum habuit ex Virgine. Ast unica admittenda est in Christo persona, ut demonstratum est hactenus. Ideoque illa eadem persona quae ab aeterno extitit, genita fuit secundum carnem, et quidem in tempore, a B. Virgine: atque idcirco B. Virgo revera est et recte appellatur θεοτόκος, *Deipara*. Haec eadem nihilominus propositio peculiaribus est demonstranda argumentis. Itaque

Prob. 1. ex sacris literis in quibus luculentissime legitur eum quem genuit peperitque Virgo, scilicet Christum, esse Deum. De Christo quippe dictum est Isaiae cap. 9. *Vocabitur nomen ejus Deus*. Johan. 20. *Dominus meus, et Deus meus*. Act. 20. *Attendite vobis etc. Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo*. Ad Rom. 9. *Qui est super omnia Deus benedictus in saecula*. Cetera vide in opusculis de Trinitate. Sed mulier quae genuit ac peperit secundum carnem Deum, quis inficiabitur esse ac recte appellari θεοτόκον, *Deiparam*? II. et ne Nestoriani reponant transiisse Verbum dumtaxat per Virginis uterum nihil ex ea sibi substantive assumens, ajebat enim Nestorius apud Cyrillum lib. 1. cont. ipsum, *Non se invidere vocem illam Christi genitrici Virgini, sed eam scire esse venerandam quae Deum suscepit, per quam transitum fecit omnium Dominus*; ne inquam haec Nestoriani reponant, Apostolus in Ep. ad Rom. cap. 1. v. 3. de filio Dei scribit: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Quibus in verbis vel legendum putas, γενομένου, *qui factus est*; et sensus est Deum carnem ex purissima Virginis carne sumpsisse, alioquin non recte diceretur factus ex semine David secundum carnem, quemadmodum non recte dicitur Eva facta ex semine Adam, quoniam ab Adami semine vere genita non est: vel putas legendum, γεννωμένου, *qui natus ac genitus est*; et tunc difficultas evanescit omnis, quoniam qui genitus est et natus, non transit dumtaxat, in sensu Nestorii, per Virginis uterum. III. eadem repetit Paulus in Ep. ad Gal. cap. 4. v. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*, quae eodem ac antecedentia intelligi debent sensu; γενόμενον enim generationem, non transitum significat. IV. Johan. cap. 1. v. 14. *Et Verbum*, inquit, *caro factum est*. Verbum porro non alio sensu factum est caro, ut argumentatur Cyrillus contra Nestorium, quam quia per generationem incarnatum est. Et quoniam hoc factum est in utero Virginis, hinc B. Virgo revera est et recte appellatur Deipara.

Prob. 2. ex PP. Ignatius martyr in Ep. ad Rom. apud Theodoretum Dial. 1. *Persuasos*, inquit, *penitus de Domino nostro, qui est e genere Davidis secundum carnem, filius Dei, secundum deitatem, vere genitus ex Virgine*. Justinus martyr in Dial. cum Tryph. dicit, *Christum prius extitisse filium conditoris omnium ac Deum, qui genitus est homo per Virginem, eidem nobiscum patiendi legi subjectus, et carnem habens*. Irenaeus lib. 3. cap. 31. *Verbum existens ex Maria, quae adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adae recapitulationis*. Dionysius alexandrinus in Ep. adv. Paulum samos. *Una sola Virgo filia vitae genuit vivens Verbum, et subsistens*. Tertullianus lib. de carn. Christi capite 17. *Antea omnia*, inquit, *commendanda erat ratio quae praefuit ut Dei filius de Virgine nasceretur*. Athanasius Orat. 4. cont. Arian. *Divinae Scripturae scopus iste est et formula propria, ut duplicem agnoscamus in ea de Salvatore loquendi rationem, nimirum eum filium fuisse et esse semper Deum, qui sit Verbum, et splendor, et sapientia Patris; tum postea propter nos, eumdem illum assumpta carne de virgine Dei genitrice Maria, hominem esse factum*. Gregorius nazianzenus Orat. 51. *Si quis*, inquit, *sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est*. Ambrosius Ep. 63. ait, *Filium coaeternum Patri suscepisse carnem, natum de Spiritu sancto ex virgine Maria*. Hieronymus lib. adv. Helvid. *Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus*. S. P. Augustinus lib. de Dono Persev. cap. ultimo: *Dicimus Christum Deum verum natum de Deo Patre sine ullo initio temporis; eumdemque hominem verum natum de homine matre certa plenitudine temporis*. Brevitati consulens innumeros alios omitto. Ex his interim conficitur sanctorum Patrum qui ante Nestorium scripsere constantem traditionem eam esse, ut tunc Ecclesia crederet B. Virginem vere in utero suo divinum genuisse Verbum; adeoque et esse et recte dici θεοτόκον, *Deiparam*.

Prob. 3. ratione. Filius quem genuit peperitque Virgo, verus Deus est: alioquin nullum esset Incarnationis mysterium, nulla redemptio, nulla pro peccatis nostris satisfactio; ex eo enim integra nostrae salutis pendet oeconomia, quod filius Virginis verus sit Deus. Unde B. Virgo est mater Dei.

CAPUT XV.

In quo difficultates contra superius statutas theses afferri solitae solvuntur.

Obj. 1. adv. 1. thes. Viri praeclarissimi qui vel Nestorii tempore vel post illius floruerunt aetatem, diserte testantur Nestorium ipsum in iis quae ad Incarnationis pertinent fidem, nullimode errasse, sed imprudentiae dumtaxat fuisse reum. Et 1. quidem Johannes antiochenus in Ep. ad Nestor. quae extat p. 1. concilii Ephesini ita scribit: *Si enim mens tua eadem sapit et sentit quae sancti Patres Ecclesiaeque Doctores*

sapiunt, *et sentiunt*; *nam hoc*, *Domine mi*, *et ex multis*, *et ex communibus amicis de te accipimus*, *quorsum vereris pium sensum convenienti voce declarare*? Et ne quis reponat ea scripsisse Johannem dum adhuc adhaerebat Nestorio, in Ep. ad Firmum post statutam cum Cyrillo pacem scripta, sic habet: *Sapiebat sic prius sanctissimus episcopus Nestorius*, *sicut res ipsae docuerunt*. *Cavebat vero nomen*, *veluti dare posset unde nos sequaces haeretici Apollinarii reprehenderent*. *Quia vero sic et ante sapuit*, *inde convincitur quia cito constitit admonentibus nobis*, *et ipsum nomen accepit*, *et in duobus sermonibus sanam fidei expositionem et irreprehensibilem nobis direxit*. II. Theodoretus in Ep. 2. ad Alexandrum nicopolitanum sic inquit: *Jam tuae sanctitati praedixi*, *quia si domini mei venerabilis et sanctissimi episcopi Nestorii fuerit dogma damnatum*, *nec ego cum his qui hoc faciunt communicabo*. III. Acacius Berrhaeae antistes in Ep. ad Cyrillum, *Quamquam*, inquit, *tum clero adscripti*, *tum plebaei quoque ex urbe C-P. Antiochiam et ad nos usque venientes*, *defendere videntur quod dictum est*, *ajunt enim in sensu nihil continere quod vel apostolicae doctrinae adversetur vel fidei a SS. PP. in Nicaea etc. neque graveris verbum elapsum in eorum gratiam qui hauserunt etc.* IV. Addi his potest testimonium Socratis historici accuratissimi qui lib. 7. cap. 32. ita de Nestorio loquitur: *Nestorius apud plures venit in opinionem quod Dominum simplicem hominem esse diceret*, *quodque Pauli samosateni et Photini dogma in Ecclesiam introduceret*: *atque de hac re tanta concertatio tantaque tempestas mota est*, *ut Oecumenico concilio opus fuerit*. *Ego vero dum ejus libros lustro*, *hominem imperitum reperio*. *Nec tamen mihi videtur imitari Paulum samosatenum aut Photinum*, *et Dominum omnino simplicem hominem dicere*, *sed solum Deiparae vocem tamquam larvam reformidare*. Satis haec ad absolvendum ab omni errore Nestorium videntur.

Resp. ad singula. Atque ad 1. cum Johannes antiochenus relatam ad Nestorium scripsit Epistolam, non satis mentem illius compertam habebat: data namque fuit Epistola initio turbarum quae contra impium haeresiarcham excitatae sunt; ad Firmum enim non scripsit restituta Ecclesiae pace, ut argumentum contendit, sed statim ac responsum ad Epistolam suam accepit a Nestorio, ut ex illis patet verbis, *Cito constitit admonentibus nobis*: et rursus, *Sanam fidei expositionem et irreprehensibilem nobis direxit*. Neminem autem latet Johannem antiochenum initio favisse Nestorio, illumque strenuum catholicae fidei vindicem existimasse. In quo excusatione dignus erat; quum Nestorius callide admodum cum sanctissimo viro se gereret, obtestans interposito etiam jurejurando se catholicam undequaque de Incarnatione tenere fidem, reformidare autem Deiparae nomen propter Arii et Apollinarii blasphemiam. Ceterum postquam Johannes pacem cum Cyrillo iniit, Nestorii detexit artes, eumque ut pessimum omnium haereticorum execratus est. Sed de his sermo redibit in subsequentibus.

Ad 2. Idem ferendum est de Theodoreto judicium. Etenim et is ab initio addictissimus Nestorio fuit, et verbis et scriptis ei patrocinatus est. Imo diutius prae ceteris huic haeretico favit. Sed et ipse tandem veritatem agnoscens, pacem cum Cyrillo iniit, Nestorium damnavit, ejusque haeresim tetro descripsit commate lib. 4. haeret. fabul. cap. 12. De hoc etiam agemus deinceps.

Ad 3. Acacius Berrhaeae episcopus, juxta priscos scriptores, non solum personae, sed et doctrinae Nestorii impense favit, aut saltem suspectae admodum fuit fidei. Quare testimonium illius hac in caussa attendendum non est.

Ad 4. Socrates e foro scholasticus erat, non theologus. Hinc cum historicum agit, non cum theologum, magni ejus judicium facimus. Neque enim is qui nusquam dedit theologiae operam, subtilissimas Nestorii tricas potuit intelligere. Aliunde quum execrari saepe in scriptis ejus audiret Arii, Apollinaris, ac Pauli samosateni jam notos errores, existimavit eum ignorantia potius quam falsa laborasse doctrina, non animadvertens narrationem suam esse universali Ecclesiae in Ephesina synodo congregatae injuriosam, veteribusque Patribus ac ecclesiasticis scriptoribus e diametro oppositam.

Obj. 2. adv. eamd. thes. Nestorius non semel fassus est unam tantum esse in Christo personam, quod ex verbis illius patet; in Ep. enim ad Cyrillum quae habetur p. 3. Conc. ita scribit: *Quia mortis facturus erat mentionem, ne quis hinc Deum Verbum patibile esse colligeret, subjungit nomen hoc, Christus, quod utramque naturam, patibilem et impatibilem in unica persona denotat*. Et in Ep. ad Alexandrum hieropolitanum inquit: *Non duas personas unam personam facimus, sed una appellatione Christi, duas naturas simul significamus*. In 1. denique Ep. ad Caelestinum ait: *Utramque naturam quae per conjunctionem summam et inconfusam in una persona Unigeniti adoratur* etc. Quibus in locis ubique diserte testatur unam esse in Christo personam. II. et de unitate quidem loquitur physica, non morali. Nam Serm. 2. affirmat non esse in Christo alterum et alterum, nec esse duos filios. En ejus verba: *Christus secundum quod est Christus, indivisus est, et filius secundum quod est filius, indivisus est: non enim habemus duos Christos vel duos filios; neque est apud nos primus Christus et secundus, neque alter et alter*. III. quod si aliquando Nestorius inter Christi divinitatem ejusque humanam naturam nimis distinxisse videtur, et si quandoque negare visus est B. Mariam esse Deiparam, nonnullasque minus accuratas adhibuit phrases, fecit id ut Apollinaris ac Pauli samosateni vitaret errores. Hinc Serm. 12. ait: *Damna eos qui dicunt secundum Apollinaris et Arii sensum Dei genitricem, et ego una tecum clamo* θεοτόκον. *Filius Dei natus, est Deus Verbum et homo. Ergo quae peperit, propter unitatem dicatur Dei genitrix*. Et iterum: *In stupore dentium remaneat Paulus samosatenus qui nobis dominicam humanitatem nudare a deitate declarat*. Similia habet Serm. 6. et 13. IV. et

revera si Nestorius unicam unitate physica non agnovisset in Christo personam, quomodo potuisset Christum appellare Deum? Et quomodo communicationem admisisset in Christo idiomatum? Inquit enim in Ep. ad Cyrillum: *Rectum evangelicaeque traditioni consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse fateamur, illudque nexu sublimi divinoque et admirabili ipsi conjunctum: ut dicamus divinam naturam ea sibi vindicare quae corporis alioqui sunt propria.*

Resp. ad 1. Nestorius non semel fassus est unicam esse in Christo personam, unitate tamen morali, non physica et hypostatica. Multiplicis enim generis unionem admisit in Christo Nestorius; videlicet 1. unionem *societatis* qualis inter conjuges intercedit, quo exemplo in scriptis suis passim utebatur. 2. unionem *honoris* ac *dignitatis*, item et *voluntatis* et *beneplaciti*. 3. admisit unionem *affectionis* et *amicitiae* quae inter Deum et animam singulariter justam intercedit. 4. unionem quae esse solet inter imperantem ac mandata exequentem; ajebat namque Christi humanitatem omnia ad nutum divinitatis complevisse. 5. denique agnovit in Christo unionem *personalem*, non hypostaticam, sed secundum cooperationem, quatenus persona humana Christi vice Dei Verbi loquebatur et operabatur. Haec docuisse Nestorium tum ex ejus scriptis, tum ex Cyrillo, Liberato, Damasceno, aliisque veteribus constat. Multiplex autem illa unio non est unio, ut per se patet, vera atque physica quam Catholici in Christo admittunt, sed unio tantum moralis et accidentalis. Admittens ergo unicam in Christo personam, de morali, non de hypostatica loquebatur unione.

Ad 2. Non detrectabat Nestorius unum dicere Christum filium, subintelligens unum esse dignitate et honore, ut ex relatis paullo ante Nestorii principiis apparet. Et loqui ipsum citatis in verbis de unitate filii secundum honorem, dignitatem, atque adorationem, constat ex iis quae apud Cyrillum lib. 2. contra ipsum habet: *Nec duos habere nos Christos vel filios duos, sed unum, et eumdem esse dignitate, non natura:* et ex illius contra Cyrill. Anathem. 5. *Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei filium audet dicere cum sit Emmanuel, anathema sit.*

Ad 3. Obtendebat profecto Nestorius se duos negare in Christo filios, ut Arii, Apollinaris, ac Samosatensis vitaret errores, sed interim Cyrilli, aliorumque Catholicorum de Incarnatione dogma existimabat errorem esse Samosatensis, Arii, Apollinaris. Affirmabat Arius Verbum divinum non esse Patri consubstantiale: Apollinaris putabat Verbum vices in Christo gessisse animae humanae: Paullus autem samosatenus censebat Christum ita purum fuisse hominem, ut nullo modo sibi unitam haberet neque moraliter divinitatem; Nestorius ergo execrabatur Arium, quoniam revera fatebatur Verbum quod humanitatem sibi conjunxit, esse Patri consubstantiale. Non assentiebatur Apollinari, quum Christo corpus et animam humanam ipse tribueret. Damnabat Samosatenum, quoniam aliquam revera in Christo unionem Verbum inter ac humanitatem agnoscebat. Verum dum

adversus haereticos haec affirmabat, fuit ipse novae haeresis architectus: quoniam inter Verbum divinum quod contra Arianos ajebat esse Patri consubstantiale, contra Apollinaristas non gessisse animae vices, contra Samosatenum fuisse personam a Patre distinctam et humanitati conjunctam, non aliam admittebat unionem nisi moralem. Et dum memoratos haereticos se refellere jactabat, illorum nomine haereticorum intelligebat Cyrillum aliosque Catholicos. Sic enim pessime argumentabatur. Si divinum Verbum est hypostatice humanitati unitum, et B. Virgo genuit ac peperit Deum, Verbo Dei nativitas passio mors ceteraeque carnis proprietates adscribi debent: Verbum quod nascitur patitur moritur inferioris est a Patre conditionis; Vicerunt ergo Ariani. Aut saltem vices gessit animae in Christo, et natum dicitur passum mortuum, quomodo dicuntur haec de anima quae humanum corpus informat: et haec est haeresis Apollinaris. Ac denique si Verbi divinitas admittatur impassibilis ut reapse admitti debet, Christus qui passus est, purus putusque erat homo, ut Samosatenus blasphemabat. Portenta haec ex Catholicorum systemate inferebat Nestorius. Quare in Ep. ad Cyrillum inquit: *Rectum et evangelicae traditioni consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse fateamur ... verum propter illud communicationis nomen, nativitatem, passionem, mortem, ceterasque carnis proprietates Verbo adscribere, id demum mentis est ethnicorum more errantis, aut certe insani Apollinarii, et Arii, aliorumque haereticorum morbo aut alio etiam graviori laborantis*. Vides Nestorium Cyrilli sententiam velut ethnicam et haereticam traducere? Hac falsa ductus persuasione ita scribere non dubitavit ad Caelestinum: *Unde et nos non modicam corruptionem orthodoxae fidei apud quosdam hic reperientes, et ira et lenitate circa aegros quotidie utimur; est enim aegritudo non parva, sed affinis putredini Apollinarii, et Arii*. Nestorius itaque sub obtentu veteres errores insectandi, novum errorem in Ecclesiam invehere conabatur.

Ad 4. Nestorius Christum appellat Deum nomine tenus et secundum honorem, non proprie ac sincere. Nam quod humanae Christi personae unita moraliter esset divina persona Verbi, ajebat competere Christo Dei nomen et honorem, nusquam vero putavit esse vere ac sincere Deum. Imo sedulo id cavit, dicens Anathem. 1. *Si quis dixerit eum qui est Emmanuel, esse verum Deum, et non potius, Nobiscum Deus, hoc est inhabitasse eam quae secundum nos est naturam, anathema sit*. Et apud Cyrillum lib. 1. cont. ipsum docet Christum appellandum esse Deum quomodo Deus dicitur Moyses vel quivis alius in Scripturis commemoratus. Communicatio demum idiomatum quam Nestorius admittit, est quidem moralis quaedam communicatio, non physica et realis: quod aperte patet tum ex quo Christi corpus templum appellet divinitatis, tum ex quo post laudata in argumento verba e vestigio subjungat, *Verum propter hanc appropriationem etc.* Verba dedimus paullo supra. Cetera quae in defensionem afferri solent Nestorii, ex dictis facilem habent solutionem.

Obj. 2. adv. alt. prop. Unio quae inter divinam humanamque Chri-

sti naturam intercedit, unio est mere moralis; similis illi quae est inter templum illiusque habitatorem, inter indumentum et personam illud ferentem. Nam de corpore suo inquit Christus Johan. cap. 2. v. 19. *Solvite templum hoc*. Et in Psalmis assimilatur *tabernaculo*. Et Paulus ad Philip. cap. 2. *In similitudinem*, inquit, *hominum factus*, *et habitu inventus ut homo*. Quod si unio moralis est, non hypostatica, jam duae sunt in Christo distinctae personae. II. confirmant veteres Patres Nestorii sententiam. Nam Ambrosius, Augustinus, Prudentius affirmant Verbum assumpsisse *hominem*. Homo autem nequit intelligi absque subsistentia. Athanasius, Eusebius, Cyrillus Christi corpus divinitatis appellarunt *instrumentum*. Porro instrumentum est aliquid ab agente principali distinctum ut a rege distinguitur minister. Non pauci Patres Christum hominem dixere *dominicum* vel *deiferum*. Ferens autem ab eo qui fertur omnimode distinguitur. III. S. vero Johannes Chrysostomus Hom. 3. in cap. 1. Ep. ad Hebr. ad illa Pauli verba, *Sedes tua Deus in saeculum saeculi*. *Propterea unxit te Deus etc.* ita scribit: *Hic et Judaeos*, *et Pauli samosateni sectatores*, *et Arianos*, *et Marcellum*, *et Sabellianos percussit* (Apostolus) *et Marcionem*. *Quomodo vero? Judaeos quidem*, *ostendens duas personas Deum et hominem*, *alios vero Samosateni asseclas dum haec dicit de aeterna substantia et increata essentia*, *Sedes tua Deus in saeculum saeculi*. *Adversus Arianos autem*, *et rursus hoc ipsum quod non sit servus* ... *Contra Marcellum vero*, *quod sint hae duae personae distinctae secundum hypostasim*. Duas itaque agnoscit in Christo Chrysostomus personas.

Resp. ad 1. Sacra Scriptura Christi humanitatem comparat templo, tabernaculo, indumento non ad exprimendam duarum unionem naturarum, sed alia de caussa. Et in primis observandum est etiam rationalem animam in Scripturis dici habitare in corpore velut in domo et in tabernaculo, humanumque corpus appellari indumentum. Ait namque Apostolus in 2. ad Cor. cap. 5. v. 1. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur*. Et v. 4. *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo*, *ingemiscimus gravati*. Et in Ep. Judae cap. 1. v. 23. *Odientes et eam*, *quae carnalis est*, *maculatam tunicam*. Non proinde affirmabit Nestorius inter rationalem animam et corpus unionem dumtaxat intercedere moralem. Deinde non ad unionem exprimendam, sed aliis de caussis, ut ajebam, allatas instituit Scriptura comparationes. Christus enim corpus suum appellat templum, propterea quod quemadmodum salomonicum templum barbarorum manibus dirutum majori fuit gloria excitatum, similiter et corpus Christi ad mortem per inimicorum manus tradendum erat, ac deinde a mortuis excitandum gloriosum et incorruptibile. Comparatur etiam tabernaculo, quoniam sicuti in tabernaculo gloria Domini antequam a Salomone templum aedificaretur latebat, ita in corpore Christi omnis latebat plenitudo deitatis corporaliter. Dicitur denique Christi corpus velamen et indumentum, quoniam ut indumentum humani corporis contegit membra, ita humanitas Christi divinitatem contegebat; Verbum quippe divinum semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.

Ad 2. Quando S. PP. affirmant divinum Verbum assumpsisse hominem, hominis nomine non personam, sed perfectam intelligunt humanam naturam. Nam disputant plerumque adversus Apollinaristas Christi humanitati rationalem animam denegantes. Ut ergo significarent Christum humanam naturam ex corpore et anima compositam habuisse, ajunt Verbum assumpsisse hominem. Vide Augustinum lib. 11. de C. D. cap. 2. Alii Patres appellant humanitatem instrumentum divinitatis, sed divinitati ipsi Verbi hypostatice, non moraliter unitum, sicuti humanum corpus animae instrumentum saepe appellatur. Vide quae diximus adv. Monothelitas. Non pauci ex PP. Christum hominem *deiferum* vel *deificatum* vel *dominicum* dixerunt, quod Deum sibi hypostatice conjunctum ferret, non in sententia Nestorii. Haec quoque nomina opposuere PP. haeresi Apollinaristarum, ut humanam Christi naturam anima rationali non caruisse clarius exprimerent.

Ad 3. Chrysostomus demum duas agnoscit personas, non humanam atque divinam, ut somniabat Nestorius, sed Patris ac Filii: 1. quoniam post allata verba, de Patre et Filio loquens ait duas esse distinctas personas *secundum hypostasim*. 2. Chrysostomi scopus eo loci est Judaeos, Samosatenos, et Marcellum ancyranum refellere, qui uno ore Trinitatem impugnabant personarum. Hinc ex eo Apostoli testimonio demonstrat existere Deum qui unxit, et Deum qui secundum humanitatem unctus est, nempe Patrem et Filium. 3. patet idipsum ex Hom. 30. cont. Anomaeos ubi idem Apostoli testimonium ad duarum personarum Patris ac Filii distinctionem demonstrandam usurpat. 4. colligitur rursus Chrysostomum de Patris ac Filii loqui personis ex eo quod Nestorius ejusque discipuli numquam tanti Patris abusi sint auctoritate. Imo nec Theodoretus nec Johannes antiochenus qui in Chrysostomi lectione exercitatissimi erant quorumque maximum studium erat Nestorium excusare, vel minimum habent verbum de hoc vel alio praestantissimi doctoris testimonio. 5. alibi Chrysostomus dissertissime affirmat unam esse in Christo personam; puta in Ep. ad Caesarium scribit: *Etsi enim in Christo duplex natura, verumtamen indivisibilis unio in una filiationis persona et subsistentia*. Legatur Witasse de Incarn. ubi tota narratur controversia inter eruditos olim commota circa laudatum Chrysostomi testimonium. Quae objici a Nestorianis solent, ex ratione petita soluta vides cap. 10. libri superioris.

Obj. 3. cont. 3. thesim. Praecipuum ad adstruendam B. Mariae divinam maternitatem desumunt Catholici ex quo Filius ab ea in lucem editus, dicatur in sanctis paginis Deus. Illud autem nullius est ponderis, quum in Scripturis Deus dictus sit etiam Moyses, et dii appellantur Angeli ac judices terrae. II. vox haec, *Deipara*, nullimode reperitur in Scripturis, non in concilio Nicaeno, non apud Patres, neque apud Leonem M, qui fuse de Incarnatione adversus Eutychetem in Ep. ad Flavianum disseruit; imo procusa in Apollinaristarum videtur officina. III. neque vox illa probata fuit in concilio Chalcedonensi, quamvis aliqui postulassent ut

symbolo adderetur. Cujus rei nullam aliam illius Concilii Patres caussam habere potuerunt nisi quod vox illa nova esset et inusitata.

Resp. ad 1. In sacris literis non reperitur neque vox Χριστοτόκος, neque vox Θεοδόχος, *Christipara*, et *Dei susceptrix*, quas Nestoriani adhibebant. Et nihilominus contendunt B. Virginem appellandam esse Christiparam, ac Dei susceptricem. Vox itaque *Deipara* non legitur in Scripturis expresse seu quoad nomen, bene vero habetur implicite et quoad nominis significationem. Ubicumque enim in sacris voluminibus legitur Christum esse Deum et esse unum, ibi profecto legitur B. Virginem quae genuit peperitque Christum esse Deiparam. Ubi autem certi sumus de re, non est disputandum de nomine, ait S. P. Augustinus in Ep. ad Pascentium. Ratio autem cur Ecclesia nomen quod expresse non reperitur in Scripturis usurpaverit, fuit callidissima haeresis nestoriana ad quam praefocandam nullum aptius inveniri poterat vocabulum. Jus autem habet Ecclesia ut novis emergentibus erroribus novas adinveniat voces ad errores illos praefocandos, ut patet exemplo vocis ὁμοούσιον. Quod Nicaenum I. concilium spectat, ultro fatemur vocis hujus, *Deipara*, expresse non meminisse. At rem hoc nominè significatam satis superque definivit. Nam postquam statuerat Filium Dei esse Patri *consubstantialem*, illico subdit incarnatum ex Maria virgine fuisse, hominemque factum. Vocem autem illam non adhibuit, quoniam nullus erat qui insolenter Mariam genuisse ac peperisse Filium Dei negaret. Falsum autem est ante Leonem M. neminem Patrum hujus meminisse vocis. Demonstrat quippe Cyrillus nomen illud venerabile usurpasse Petrum alexandrinum, Athanasium, Amphilochium, Antiochum, et Ammonem. Gregorius certe nazianzenus Orat. 51. vocem illam expresse adhibuit, ut ex recitata capite superiori illius sententia patet. Caussa demum cur chalcedonenses PP. addere vocem, *Deipara*, symbolo renuerunt, non fuit vocabuli novitas, sed impia haeresis eutychiana contra quam coactum fuerat Concilium, et cujus sectatores abuti nomine illo facile potuissent, ut per se manifestum est. Ceterum quum Concilii illius Patres in unica Christi persona duas existere distinctas naturas definierint, statuerunt quoque B. Virginem quae Christum genuit et edidit esse Deiparam.

Obj. ultimo cont. eamd. prop. Ut B. Virgo sit ac dici possit Dei genitrix, debuit ex se originem dare Verbo secundum divinitatem, seu gignere ac parere debuit divinitatem. Cumque hoc impossibile sit, non est nec appellari potest Deipara. II. neque difficultas enodatur reponendo B. Virginem genuisse hominem qui semper fuit Deus. Nam ex hoc sequitur dumtaxat dici posse matrem Christi seu Christiparam, non Deiparam; sicuti ex quo mater quaevis in humanis gignat et pariat carnem cui anima unita est rationalis, consequitur dicendam esse matrem totius hominis, non matrem animae. III. si Catholicorum admittatur sententia; *ergo excusabilis gentilitas matres diis subintroducens*, ut Nestorius ajebat; sicque Virgo dici poterit Dea Deoque consubstantialis. IV. hinc nonnulli Patres quum crediderint B. Virginem Deiparam, non dubitarunt affirmare divinitatem natam fuisse ex muliere.

Resp. ad 1. Quum duplex sit in Christo natura, divina et humana in una hypostasi conjuncta; ut B. Virgo sit dicaturque Deipara satis est ut ex se genuerit atque pepererit Christi personam quae Deus est, nec requiritur ut genuerit et ediderit divinitatem absolute spectatam. Rem clare explicat Cyrillus in Ep. ad Monachos Ægypti: *Et si mulieres istae nonnisi terrenorum sint corporum matres, nihilominus cum totum animal pepererint ex anima et corpore compositum, non solum ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, exempli caussa, Elisabetham matrem Johannis esse carnis genitricem, non animae: peperit animatum Baptistam, ac sic tamquam unum aliquid ex ambobus hominem, anima videlicet et corpore. Hujusmodi quidpiam factum esse fatebimur in Emmanuelis generatione, quippe natum est, ut dixi, ex Patris substantia Unigenitum ipsum Verbum. Cum autem carnem suscepit eamque propriam sibi fecit ut filius hominis esset ac similis nostri fieret, tunc minime est absurdum dictu, imo necessario profitendum illum ex muliere secundum carnem esse natum; quemadmodum anima una cum proprio corpore gignitur, et unum cum eo reputatur.*

Ad 2. Pro hoc solvendo argumento satis est discriminis afferre rationem. Anima in se sumpta, sive ante sive post unionem cum corpore considerata, non est persona: ac proinde quum denominationes sint suppositorum, mulier quae corpus gignit et parit cui anima unitur, dicitur mater totius hominis, non animae tantum. E contra vero divinum Verbum, vel ante vel post hypostaticam unionem spectatum, est persona: atque idcirco B. Virgo quae corpus cui divini Verbi suppositum copulatum est genuit, et est et recte appellatur Deipara.

Ad 3. Latissimum quoque discrimen est nos inter atque gentiles, quamvis Mariam Dei esse genitricem affirmemus. Illi enim eo sensu subintroducebant propriis diis matres, quod stulte crederent deos olim meros fuisse homines. Catholici vero B. Virginem matrem Dei faciunt, quoniam humanitatem genuit et edidit cui hypostatice conjuncta erat divina persona. Nec proinde Mariam credimus Deo consubstantialem ac Deam, quoniam non affirmamus peperisse Deum per se ac ab humanitate divisum.

Ad 4. Nonnulli Patres divinitatem natam de Virgine affirmarunt, divinitatis nomine non naturam, sed personam divinam intelligentes, et quidem secundum carnem. Atque haec tum pro critica tum pro controversia de fide sufficiant.

CAPUT XVI.

An duodecim Anathematismi Cyrilli haeresim sapiant Apollinaristarum.

Exposita catholica de Incarnatione fide contra Nestorium, ab haeresis Apollinarii nota vindicandus modo est sanctissimus alexandrinus antistes Cyrillus, quo nullus Nestorium magis exagitavit. Quum enim hujus homiliae ad manus pervenissent Monachorum in Ægypto commorantium,

multique simplices in errorem ex earum lectione vel dubitationem adducerentur, Cyrillus Epistolam doctrina auctoritateque plenam ad illos scripsit qua in recta fide eos confirmare conabatur nulla novae haeresis architecti interjecta mentione. Ast ubi Epistola illa Nestorii manus ascendit, incredibile dictu est quanto odio Cyrillum prosequi coeperit, quasi vero Ecclesiam pestifero halitu suo posset impune maculare. Unde quanto magis Cyrillus literis suis humanissimis eum placare satagebat, tanto magis Nestorii animus exulcerabatur; donec congregata Ægyptiaca synodo tertiam ex ea scripsit ad Nestorium Epistolam in qua duodecim capitula seu anathematismi quibus nestoriana haeresis funditus evertitur, inter cetera continebantur. Sed non resipuit proinde impius haeresiarcha, imo duodecim alia conscripsit ille capitula in quibus alexandrini praesulis doctrinam tamquam Eunomii, Apollinarii, et Arii fermento respersam refellere, suamque stabilire moliebatur. Neque Nestorio solum, sed et Johanni antiocheno ejusque ephesino conciliabulo visum est Cyrilli anathematismos veterum continere haereticorum errores. Cujus rei adeo persuasi erant, ut Theodoreto Cyri episcopo et Andreae samosatensi dederint in mandatis anathematismos illos tamquam haereticos editis dissertationibus refutare. At Cyrillus apologeticis scriptis impactam sibi calumniam tam egregie propulsavit, ut nullus inter veteres Catholicos sit qui de illius doctissimi viri fide non optime senserit. Et nihilominus nonnulli e calviniana secta scriptores quos initio superioris capitis commemoravimus, non dubitant Cyrillum ob laudata capitula dicteriis onerare, contra quos sit

CONCLUSIO

Duodecim anathematismi Cyrilli ab omni erroris labe immunes prorsus sunt.

Prob. 1. argumento extrinseco. Duodecim anathematismi Cyrilli plenis calculis approbati sunt a Conciliis, a Romanis Pontificibus, a scriptoribus ecclesiasticis. Et I. a Conciliis. Nam Ephesinae synodi Patres in relatione ad Caelestinum post action. 5. de B. Cyrilli literis quibus anathematismi continentur, ita scribunt: *Lectae deinde sunt litterae quas sanctissimus Deoque lectissimus alexandrinae ecclesiae episcopus Cyrillus ad eum* (Nestorium) *scripserat, quas S. Synodus approbavit ut recte inculpateque exaratas*. In concilio Chalcedonensi action. 5. haec alia leguntur: *Epistolas synodicas B. Cyrilli alexandrinae ecclesiae praesulis ad Nestorium et ad Orientales congruenter habentes suscipit*. Concilium generale 5. can. 3. *Si quis*, inquit, *defendit impia Theodoreti scripta quae contra rectam fidem, et contra primam Ephesinam synodum, et S. Cyrillum, et duodecim ejus capitula exposuit ... anathema sit*. II. Romani quoque Pontifices Cyrilli fidem summis extulere laudibus, quod patet legenti epistolas Caelestini ad Johannem antiochenum, Nestorium, et ipsum Cyrillum ad quem ita scribit: *Nefariam do-*

ctrinam suam anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam et Romana, et tuae sanctitatis ecclesia, et universa denique religio christiana praedicat. Eodem modo loquitur Gregorius II. in profes. Fidei ad S. Germanum C-P. De posterioribus Romanis Pontificibus nemini dubium. III. quoad ecclesiasticos scriptores, habent Cyrilli capitula ac reliqua scripta encomiastas Epiphanium alexandrinum in Ep. ad Maximianum episcopum, Johannem sebastenum in synodicis literis ad Leonem Augustum, Liberatum in Breviario, Anastasium sinaitam in Hodego cap. 5. Eulogium alexandr. in Orat. cont. calumniat. Patrum, Photium in Biblioth. cod. 111. Idatium in Chronico, Gennadium de Script. eccl. cap. 65. innumerosque alios tam veteres quam recentiores. IV. quibus momentis confirmationis loco universa addi potest Ægyptiaca ecclesia quae ad Concilium a Cyrillo convocatum convenit, ecclesia Romana quae in Martyrologio die 27 Januarii Cyrillum appellat *invictissimum fidei propugnatorem*, et ecclesia Graeca quae die 9 Junii consimili elogio illum celebrat in Monologio.

Prob. 2. argumento intrinseco, breviter expendendo singula Cyrilli capitula. In 1. ergo anathematismo statuit Deum post Incarnationem vere esse Emmanuelem, hoc est hominem ex Virgine genitum qui nobiscum habitavit, et B. Mariam esse Deiparam. Nonne duo haec catholica sunt? In 2. declarat Verbum unitum carni substantialiter, hoc est vere ac realiter et secundum hypostasim: ita ut in duabus naturis unus subsistat Christus; idque contra Nestorium moralem admittentem in Christo unionem, proindeque duplicem personam. In 3. magis magisque substantialem hanc unionem confirmat et urget, atque non esse post illam in Christo dividendas duas substantias, quasi unaquaeque propriam habeat subsistentiam, et unitae solummodo sint dignitate affectu vel auctoritate, sed ex duabus substantiis unum coalescere Christum. In 4. anathematismo admittit veram idiomatum communicationem, anathema in illos intorquens qui eas voces quae de Christo dicuntur, aliquas Verbo tamquam vero homini formaliter intellecto, aliquas vero tamquam Deo minime humanitati hypostatice copulato deputaverit. Praefocat hoc modo Nestorii haeresim, nullam in Incarnationis mysterio idiomatum agnoscentis communicationem. In 5. maledicit eis qui docent Christum esse hominem *deiferum*, blasphemantes Christi humanitatem portare Deum, ut Moyses, Elias, ceterique justi qui Deo non hypostatice, sed moraliter tantum et per sanctificantem gratiam conjuncti sunt. In 6. definit Christum esse Deum et hominem simul propter quod Verbum caro factum est; atque idcirco haereticum esse Nestorium appellantem Deum dominum Christi. In 7. affirmat Deum Verbum non esse operatum in hominem Christum; quum Verbum et homo Jesus unica sint persona, non duae ut sentiebat Nestorius. In 8. capitulo ut unum esse incarnatum et humanatum Dei Verbum magis confirmet, vetat hominem coadorari conglorificari ac connominari, velut alterum cum altero, cum Deo Verbo oportere. Refellit hoc anathematismo Nestorianorum locutiones. In 9. hunc sibi pro-

ponit scopum ut ostendat, Verbum assumpta carne Verbum mansisse, omnia quae habet Pater habuisse, Spiritumque sanctum esse proprium ipsius sicut et Patris, contra quam sentiret Nestorius qui autumabat Christum efficaciam accepisse a Spiritu sancto, ab eoque tamquam ab aliena virtute fuisse glorificatum. In 10. una cum Apostolo Christum appellat Pontificem, et nostrae confessionis Apostolum: quod non inficiabatur Nestorius, sed addebat alium esse Pontificem nostrum, et personam aliam Dei Verbum; unde docebat Christum Pontificem nostrum pro se obtulisse seipsum in sacrificium. In 11. tradit carnem, hoc est humanitatem Christi esse vivificatricem. Quum enim sit propria Verbi quod est *vivificum*, consequens fit ut illa quoque sit vivifica: quod inficiabatur Nestorius. In 12. denique anathematismo perfectam idiomatum iterum inculcat communicationem, anathematis sententiam ferens in eos qui non confitentur Deum Verbum *carne passum esse*, *et carne crucifixum*, *et mortem carne gustasse*. In recitatis profecto capitulis ne verbulum quidem est quod catholicam de Incarnatione quaquaversus non inspiret sententiam, et nestorianam haeresim prorsus non confodiat. Qua fronte igitur recentiores quidam e calviniana secta nebulones sanctissimum alexandrinum antistitem erroris audent insimulare? Nempe ut contra catholicam fidem Ephesini concilii elevent auctoritatem, ac nestorianorum tueantur partes.

Adversariorum argumenta refelluntur.

Obj. 1. Johannes antiochenus cum suis Orientalibus, Theodoretus, Ibas edessenus, et Isidorus peleusiota duodecim Cyrilli anathematismos damnarunt, et nonnulli ex his, editis etiam dissertationibus, illos tamquam Apollinaristarum erroribus infectos confutarunt. Non est vero catholica doctrina illis contenta. II. nec dici potest laudatos proxime episcopos deceptos errore facti fuisse. Nam 1. Johannes antiochenus et cum ipso Orientales etsi Cyrilli capitula damnaverint, non proinde habiti sunt ab Ecclesia tamquam haeretici: imo nec ab ipso Cyrillo qui ut pacem cum illis iniret, ab eis non postulavit ut anathematismos reciperent, quum ipse e contra formulae fidei ab Orientalibus per Paulum emissenum acceptae absque ulla haesitatione subscripserit. 2. Theodoretus postquam Cyrilli capitula scriptis suis refutaverat, a Chalcedonensi concilio receptus est tamquam catholicus, quod solum ab eo exegit ut Nestorium ejusque errores damnaret, non vero ut Cyrilli subscriberet capitulis. Ac praeterea post initam cum eodem Cyrillo pacem non dubitavit haec ad domnum Patriarcham antiochenum scribere: *Nec prius illi qui haec* (capitula) *scripserat communicavimus*, *quam iis quae exposueramus consentiens*, *consonam his doctrinam accommodavit*, *nullam capitulorum illorum faciens mentionem*. Mortuo Cyrillo aliam ad eumdem Domnum dedit epistolam in qua scribit Cyrillum vita functum, *cum majora et pejora pertractaret*: et nihilominus Theodoretus tamquam maxime orthodoxus a Chalcedonensi concilio fuit receptus. 3. hoc dicendum quoque de Iba, quum

et ipse uti catholicus ab eodem receptus fuerit Concilio. 4. Isidori pelusiotae auctoritas nonne magni facienda est? Vel ab ipso Cyrillo Patris loco venerabatur. Et is nihilominus Cyrilli doctrinam rejicere non dubitavit.

Resp. ad 1. Non diffiteor laudatos in argumento Patres anathematismos rejecisse et scripto quoque confutasse Cyrilli. Sed quid proinde? In primis longe major est testium numerus qui stant pro fidei integritate Cyrilli, quam illorum qui ejus habuere doctrinam erroris suspectam; ut ex nube testium quos paullo supra retulimus apparet. Hos autem paucos qui contra Cyrillum steterunt, deceptos fuisse errore facti non modo ex rei eventu apparet, ad concordiam enim cum Cyrillo redierunt, sed observatum jamdudum fuit a Facundo hermianensi qui lib. 6. de Ep. Ibae edesseni loquens inquit: *Fatendum est hanc epistolam satis ostendere quod reverendissimus Ibas cum orientalibus aliarumque provinciarum episcopis intentionem dictorum beati Cyrilli minus intelligens, et suspicatus quod negaret in Christo differentiam naturarum, consequens judicavit quia in Apollinarii dogma incidisset*. Et sane, nonne commemorati episcopi initio crediderunt recte sentire Nestorium? Sicut ergo decepti sunt Nestorium defendendo, ita et damnando Cyrillum. Ceterum excusatione aliqua digni sunt. Nondum quippe Nestorii agnoverant calliditatem, innumerae contra Incarnationem praecesserant haereses, et Cyrillus licet opportune, novum tamen invexerat unionis hypostaticae nomen.

Ad 2. Non refert quod Johannes antiochenus ceterique cum eo Orientales habiti non sint ab Ecclesia tamquam haeretici etsi Cyrilli damnaverint anathematismos. Nam optime novit Ecclesia illos errore facti deceptos, existimasse in illis capitulis semina contineri Apollinaristarum. Et aliunde Caelestini epistolis obedientiam exhibuerunt, Nestorium de turbatis ecclesiis acriter reprehenderunt, ad palinodiam exhortati sunt recantandam, ac denique receperunt Ephesinum concilium, damnarunt Nestorium, et ad pacem cum Cyrillo redierunt. Qui si ab Orientalibus ut sua capitula reciperent non postulavit, prudentissima usus est oeconomia. Mos quippe illorum est qui ecclesiasticam diligunt pacem et unitatem, ut ab iis quos ad concordiam reducere conantur, non omnia quae stricto jure exigi possunt petant, integra dumtaxat sinceraque fide contenti. Ita se gessit Cyrillus cum Orientalibus statim ac agnovit illorum fidem integram esse atque sinceram, nec fidei formulae sibi per Emissenum allatae subscribere detrectavit quoniam anathematismis suis consona erat. Praedicabatur namque ibi B. Virgo Deipara, unica statuebatur in Christo persona, communicatio idiomatum agnoscebatur apertissime, et damnabatur Nestorius ejusque doctrina tamquam nova et haeretica. Ast haec est summa doctrinae quae Cyrilli capitulis continetur: ideoque una eademque erat Cyrilli ac Orientalium fides. 2. statim ac Theodoretus coram concilii Chalcedonensis Patribus comparuit, Episcopi aegyptii, illirici, ac palaestini exclamarunt: *Magister Nestorii foras*. Ob Orientalium tamen auctoritatem receptus fuit, ea conditione ut anathema in Nestorium ejusque doctrinam elata voce pronunciaret. Neque vero necessarium erat ut

Concilii Patres Cyrilli capitulorum mentionem facerent, quum action. 5. Cyrilli doctrinam jam approbassent. Observat Leontius bizantinus lib. de Sect. Patres chalcedonenses tacuisse action. 6. Cyrilli anathematismos ob quamdam dispensationem, exemplum ejusdem Cyrilli secutos. Quod autem additur ex epistolis Theodoreti ad domnum Patriarcham antiochenum, facile solvitur si tempora et scripta distinguantur. Theodoretum adhaesisse principio Nestorii saltem personae etiam post celebratum Ephesinum concilium, patet tum ex confutatione anathematismorum Cyrilli, tum ex epistola ad Andream samosatensem qua et Ephesino concilio et Imperatori obloquitur, tum demum ex epistola ad Nestorium cui perpetuam spondet amicitiam. Deinde aestu disputationis et odio in Cyrillum abreptus non dubitavit defendere aliquando etiam nestoriana dogmata; ut constat legenti refutationem capitulorum, in qua B. Mariam Deum genuisse negat, oppugnat hypostaticam unionem, nec communicationem admittit idiomatum in sensu Catholicorum. Veritatem tamen agnovit, impiamque ejuravit Nestorii doctrinam. Subscripsit quippe Leonis M. epistolae, Chalcedonensi interfuit concilio, in epistola ad Dioscorum catholicam fidem propugnavit, et anathema dixit nominatim Nestorio. Ast erga S. Cyrillum diu fuit animo amaro, putans illius scripta erroribus scatere Apollinarii, in eaque perstitit opinione etiam post initam ecclesiarum pacem, videlicet usque ad annum 451. in quo Ephesinam synodum ac Cyrilli scripta approbavit. Nil mirum ergo si Theodoretus ita ad Domnum antiochenum de Cyrillo scripsit, quum adhuc errore facti detineretur. 3. de Iba edesseno episcopo non multa dicam. Illius epistolam profanas blasphemias continere ait Vigilius R. P. et non catholicam appellat M. Gregorius. Et jure quoniam in ea Nestorium damnatum affirmat inquisitione non facta. Receptus nihilominus fuit ut orthodoxus, quoniam epistolam suam ad Marim persam retractavit, et anathema dixit Nestorio impiisque illius dogmatibus. 4. merito Cyrillus Patris loco habebat Isidorum peleusiotam. Ast hic numquam existimavit Cyrillum suum a fidei veritate aberrasse, sed a falso rumore deceptus credidit fuisse dissidiorum, paullo plus quam deceat, fautorem: atque de hoc tantum Cyrillum aliquando redarguit, ut ex epistolis 310. et 370. lib. 1. ad Cyrillum apparet.

Obj. 2. Cyrilli anathematismos ad trutinam revocando. In 1. sic inquit: *Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, et ob id S. Virginem Deiparam, (genuit enim illa carnaliter incarnatum Dei Patris Verbum,) anathema sit*. Duo hic affirmat alexandrinus antistes, quorum utrumque Apollinaristarum sapit errorem. 1. docet B. Virginem Deum genuisse carnaliter, adeoque non virtute Spiritus sancti. 2. Verbi divinitatem conversam fuisse in carnem, quippe quae genita sit, juxta Cyrillum, carnaliter. In 2. haec habet: *Qui carni secundum hypostasim non confitetur unitum Dei Patris Verbum, anathema sit*. Phrasis haec, inquiunt, καθ' ὑπόστασιν, nova est ac penes veteres inusitata, et innuere videtur naturarum confusionem. 3. capitulum est hujusmodi: *Si quis in uno*

Christo post unionem dividit hypostases, ipsasque ea tantum conjunctione inter se connectit quae est secundum dignitatem, et non potius concursu qui est secundum naturalem unionem, anathema sit. Sane, ajebat Theodoretus, unio naturalis naturarum significat permixtionem. Anathematismus 4. hisce verbis continetur: *Si quis duabus personis vel subsistentiis decernat eas voces quae tam in Evangelio quam apostolicis literis continentur, vel etiam quae de Christo a Sanctis dicuntur vel ab ipso Christo de seipso, et aliquas quidem ex his tamquam homini praeter Dei Verbum specialiter intellecto applicandas crediderit, aliquas vero tamquam ideo dignas soli Verbo Dei Patris deputaverit, anathema sit*. Hic, inquit Theodoretus, Arianorum Eunomianorumque more, Verbo divino adscribit quaecumque vilia de Christo leguntur. In 5. capitulo vetat Cyrillus ne Christum dicamus hominem *deiferum*, quum plurimi veterum, et maxime Basilius, nomen illud usurpaverint. Prohibet in 6. anathematismo ne Deus dicatur dominus Christi, quod est contrarium Prophetae qui Christum appellat Dei servum. Ita legitur 7. anathematismo: *Si quis Jesum tamquam hominem a Dei Verbo operandi vim habuisse, et Unigeniti gloriam illi tamquam alteri cuipiam ab ipso Verbo advenisse ait, anathema sit*. Capitulum hoc repugnat Apostolo in Act. cap. 2. dicenti Christum Dei virtute mirabilia patrasse, atque a mortuis surrexisse. In anathematismo 9. haec Cyrillus inquit: *Si quis unum Dominum J. C. glorificatum dicit a Spiritu S. tamquam ab aliena virtute qua per eum uteretur etc. anathema sit*. His verbis negare videtur Christum mirabilia patrasse virtute Spiritus sancti. Statuit in 10. anathematismo pontificem et apostolum nostrum esse ipsum Dei Verbum: quod repugnat, ajebat Theodoretus, quum sacerdotis munus sit offerre sacrificium; nequeat autem Verbum quod Deus est, aut alteri aut sibi ipsi offerre sacrificium. 12. denique anathematismus ita habet: *Si quis non confitetur Deum Verbum carne passum, et carne crucifixum, et mortem carne gustasse etc. anathema sit*. Humanas adscribit Verbo passiones more Arianorum.

Resp. singulos anathematismos sensu a S. Cyrillo intento explicando. Atque ad 1. dico neutrum ex S. illius Patris verbis sequi. Non primum, quoniam *carnaliter dicere, non est tollentis admirabilem divinitatem, neque evertentis Spiritus sancti operationem qua in utero formavit partum, sed docentis potius, quod sicut Deus gignitur divine digne Deo secundum suam naturam, ita homo humane, hoc est, caro carnaliter*, ait idem Cyrillus in suo Apologetico. Neque secundum, quum idem sit, τό σαρκικῶς, *carnaliter*, ac κατα' σαρκα', *secundum carnem*. Unde sensus est, Mariam Verbum non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem genuisse. Ita Cyrillus in Expos. 1. anathematismi respondet, ubi inquit etiam Athanasium Orat. 4. cont. Arian. et Nazianzenum in Ep. ad Cledonium, ad Verbi humanam exponendam generationem, vocem, σαρκικῶς, usurpasse.

Ad 2. Inusitatum non est in Ecclesia ut novis ingruentibus erroribus nova adinveniantur vocabula, ut in exemplo est vox ὁμοούσιον. Nec alio

sensu phrasim illam adhibuit Cyrillus, nisi ut unionem exprimeret naturarum veram atque substantialem adversus Nestorium qui unionis nomen non reformidabat, unionem subintelligens moralem. Ita calumniam propulsat Cyrillus in 2. anathematismi explicatione; eoque sensu expressionem illam, καθ' ὑπόστασιν, consecravit Ephesina synodus, teste Eulogio patriarcha alexandrino.

Ad 3. Frivola cavillatio est Theodoreti. Protestatur quippe Cyrillus voces illas, secundum naturalem unionem, ad confitendam in Christo se adhibuisse duarum naturarum unionem veram ac realem, non moralem et secundum dignitatem, ut effutiebat Nestorius; quamobrem in hujus anathematismi declaratione inquit: *Qui igitur hypostases post unionem dividunt et separatim ponunt singulas, hominem videlicet et Deum, talemque comminiscuntur inter ambos consociationem quae in sola dignitatis communione consistit, duos omnino filios constituunt.*

Ad 4. ipsius Cyrilli verbis respondetur, qui in Expos. 4. anathematismi ita scribit: *Omnes itaque Evangelii voces, sive illae humanum quid sonent sive divinum, uni personae tribuimus*. Et in Apologet. *Arius, Eunomius, et Apollinarius, et omnes societatis illorum chori studebant inducere nomen hoc, Dei genitrix, ut si commixtio fieret et naturae non distinguerentur; nihil humile de humanitate accipiendum esset, totumque jam haberent ipsi contra deitatem ... Nos vero utilissime anathematismum fecimus, non permittendo in duas dividi personas et subsistentias unum D. J. C.* Impetit ergo anathematismus Nestorium duas in Christo dividentem personas.

Ad 5. Hujus capituli scopus est vetare ne Christus *homo deifer* dicatur in sensu Nestorii qui contendebat Deum habitasse in Christo per donorum multitudinem, quemadmodum habitat in animabus justis. Neque vero Cyrilli mens fuit umquam redarguere veteres, ac Basilium praesertim, qui ante exortam nestorianam haeresim impune appellare potuerunt Christum hominem deiferum.

Ad 6. Integer anathematismus ita se habet: *Si quis dixerit deum vel dominum esse Christi Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confitetur Deum et hominem simul propter quod Verbum caro factum est secundum Scripturas, anathema sit*. Quibus verbis obviam it Cyrillus Nestorio blasphemanti Christum esse servum Verbi, quum duas dispesceret in Christo personas. Ceterum non negat posse Christum secundum humanam naturam Dei Patris servum appellari.

Ad 7. Hoc unum sibi vult Cyrillus, divinum Verbum operatum in Christo fuisse tamquam in propria persona, non tamquam aliena ut contendebat Nestorius. Patet ex ipsis anathematismi verbis, et ex ejusdem Expos. ubi ita loquitur: *Quod Pater ex mortuis resuscitasse D. J. C. dicatur, ex opere scilicet circa carnem ejus effecto, nemo est qui ambigat. Ipse autem cum sit vita et vivificator et operatoria virtus Patris, suum vivificabat templum, juxta illud, Solvite templum hoc etc. Itaque quod vivificabatur, non erat alienum neque alicujus ex hominibus nobis similibus, sed proprium ipsius Verbi corpus.*

Ad 9. Falsa est illatio. Contendit namque in 9. hoc capitulo Cy-

rillus Christum signa quidem operatum fuisse virtute Spiritus sancti, ait siquidem, *Per quem signa operatus est*: sed negat eam Spiritus sancti virtutem esse Christo extraneam, quum Spiritus sanctus proprius sit ejus sicuti et Patris. *In proposito anathematismo*, inquit in sua Apol. *affirmavimus manifeste proprium esse Filii Spiritum sanctum, et quod per ipsum perfecerit divina signa*.

Ad 10. Affirmat Cyrillus quod Verbum sit pontifex confessionis nostrae, non qua Verbum est, sed quatenus Verbum caro factum est: ac ideo in Apol. scribit: *Quando dicis indignum esse Deo ut sacrificet, adstipulor et ego. Sed si solum esset et absque carne Verbum, verum diceres. At vero quia factum est caro, vide et sacrificantem propter humanitatem, et in dignitatibus ultra creaturam sicut Deum*.

Ad 12. In hoc duodecimo capitulo Cyrillus docet unam eamdemque esse in Christo personam quae divina gessit et humana perpessa est, contra Nestorium qui divina Filio Dei, humana filio hominis, tamquam duabus personis adscribebat. Nihil itaque est in Cyrilli capitulis quod pium non sit summeque catholicum.

SCHOLION

Prisci ac recentes haeretici, et David praesertim de Rodone calvinista in suo, *de supposito*, libello, non modo anathematismos, sed et illam Cyrilli propositionem quam habet in priori ad Successum epistola et alibi saepe, *Unum*, scilicet, *dicimus filium, et quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam*, acriter reprehendunt, quasi naturarum distinctionem in Christo Eutychianorum more e medio sustulerit. Sed haec effutiendo, propriam vel malitiam vel inscitiam produnt. Nam 1. etiam Athanasius in lib. de Incarn. Flavianus C-P. Basilius seleuciensis, aliique plures qui vel ante vel post Cyrilli tempora scripserunt, eamdem usurparunt phrasim, nec proinde habentur haeretici. 2. integritas fidei S. Cyrilli summis commendata est laudibus ab Oecumenicis conciliis, a sanctis PP. a Romanis Pontificibus, ut supra observavimus. An ne credendum est non occurrisse illis in Cyrilli lectione laudatam propositionem? imo vero eam consecravere propositionem adversus Eutychianos. 3. si Cyrillus dixisset, Unam confitemur Christi naturam, posset utcumque suspicio de fide ejus oriri: sed quoniam addidit, *incarnatam, et humanitatis perfectio et eadem nobiscum substantia ea voce exprimitur, desinant confidere super baculum arundineum*, ait ipse Cyrillus in Ep. 2. ad Successum. 4. vel nomine, *naturae*, intelligit Cyrillus divinam Verbi essentiam, ut Leontius, Gelasius, Rusticus diaconus, aliique arbitrantur; vel intelligit personam Verbi, ut putant Ephremius, Eulogius cum ceteris. Si primum, jam duplicem in Christo fatetur naturam, unamque exprimit per illa verba, *Unam naturam Dei Verbi*, aliam vero per vocem illam, *incarnatam*. Si alterum, tunc unitas cadit in hypostasim Christi quae est in duabus naturis, contra Nestorium duas

in Christo admittentem personas. 5. falsum denique est Eutychianos fassos umquam fuisse *unam naturam Dei Verbi incarnatam*, sed ajebant dumtaxat, *unam naturam Verbi*. Hinc Eutyches quum in Chalcedonensi concilio constitutus Athanasii ac Cyrilli jactaret auctoritatem, ac Basilius seleuciensis eum hortaretur ut unam confiteretur *naturam incarnatam*, impius haeresiarcha id facere impudentissime recusavit. Vide de hoc argumento Petavium lib. 4. de Incarn. cap. 5. et seq. Witasse, ac Natalem Alexandrum.

CAPUT XVII.

In quo agitur de communicatione idiomatum, deque nonnullis regulis ad quas exigi debet.

Aliud de Incarnatione fidei caput in quo pessime a veritate aberrarunt Nestoriani est idiomatum communicatio, de qua breviter nunc est disserendum. Idioma ergo idem sonat ac proprietas. Quare communicatio idiomatum definiri potest, *Mutua proprietatum communicatio*, seu, *Modus loquendi quo unius in Christo naturae proprietates propter unitatem personae de toto concreto praedícantur;* unde Gregorius nazianzenus in Ep. ad Theophilum: *Propter exactam*, inquit, *unitionem assumptae carnis et assumentis divinitatis mutuo transferuntur vocabula, ut humanum ex divino, et divinum ex humano denominetur*.

Duplici modo potest quis idiomatum admittere in Christo communicationem, proprie nempe atque realiter, vel improprie ac metaphorice. Propria et realis idiomatum communicatio illa est quae ex substantiali et hypostatica unione duarum naturarum, divina scilicet et humana, profluit. Impropria vero ac metaphorica fundamentum habet in unione morali quae inter utramque naturam posset comminisci. Et quoniam hujus generis unionem admittebat in Christo Nestorius, communicationis idiomatum nomen non omnino reformidabat, callide subintelligens communicationem quamdam impropriam et metaphoricam, ut ex illius Ep. ad Cyrillum patet, ubi sic loquitur: *Corpus divinitatis templum esse fateamur, illudque nexu adeo sublimi divino et admirabili ipsi conjunctum esse statuamus, ut divina natura ea sibi vindicet quae corporis alioquin sunt propria*. E contra vero ubi a Catholicis demonstrabatur communicationem idiomatum propriam esse atque realem, Nestorius eos tamquam ethnicos aut certe velut Apollinaristas et Arianos impudentissime redarguebat. Quare in Ep. ad Cyrillum ajebat: *Rectum et evangelicae traditioni consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse fateamur ... Verum propter illud communicationis nomen nativitatem passionem mortem ceterasque carnis proprietates divino Verbo adscribere, id denique mentis est ethnicorum more errantis, aut certe insani Apollinarii et Arii aliorumque haereticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis*. Ita blasphemant Nestoriani.

Sectatores autem Lutheri in oppositum inciderunt errorem. Ubi namque Catholici docent in Christo communicationem admittendam esse idiomatum *in concreto*, Lutherani veritatis limites transgredientes docent eam communicationem statuendam esse in Christo respectu naturae etiam *in abstracto*: ita ut quod uni naturae convenit, alteri tribui possit. Hinc concludunt non modo veras esse has propositiones, *Christus est ubique*, *Christus est omnipotens*, *Christus est omnisciens*, sed et veras esse has alias, *Humanitas Christi est ubique*, *Humanitas Christi est omnipotens*, *Humanitas Christi est omnisciens*. Et quoniam Lutherus ac discipulus ejus Brentius doctrinam tradiderunt hanc agentes *de coena Domini*, et de humanitatis Christi *omnipraesentia*; hinc erroris hujus assertores dicti sunt *Ubiquistae* seu *Ubiquitarii*, quod statuant Christi humanitatem esse *ubique*. Animadvertendum autem est Lutheranos non ad omnia naturae divinae attributa idiomatum extendere communicationem, sed ad tria dumtaxat, ad omnipotentiam nimirum, immensitatem, et omniscientiam. Æternitas v. g. juxta illos, non est humanitati Christi communicata, proindeque falsa est haec propositio, *Humanitas Christi est aeterna*. Rursus fatentur Lutherani eam communicationem non esse reciprocam; neque enim humanae naturae proprietates, inquiunt, communicatae sunt naturae divinae: et falsa est haec propositio, *Natùra divina passa et mortua est*. Ac denique Lutheranorum plerique animadvertentes impia multa ex ea consequi opinione, illam jamdiu abjecerunt. Hoc itaque in loco tria a nobis praestanda sunt. 1. contra Nestorianos ostendendum est admittendam in Christo esse idiomatum communicationem et quidem propriam ac realem. 2. contra nonnullos Lutheranos ex idiomatum communicatione non sequi Christi humanitatem esse immensam. 3. demum quasdam trademus regulas ad quas exigi idiomatum communicatio debet. Sit ergo

CONCLUSIO I.

In Christo admitti debet respectu personae communicatio idiomatum propria et realis.

Prob. Communicatio idiomatum propria et realis importat ut quae uni naturae realiter competunt, propter personae unitatem possint in *concreto* de alia natura praedicari. In Christo propter personae quae in utraque natura subsistit unitatem, attributa unius naturae possunt in *concreto* enunciari de alia. Quod patet 1. ex sacris literis. Nam Apostolus in 1. ad Cor. cap. 2. v. 8. inquit: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent*. Johannes in Ep. 1. cap. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. In Act. Apost. cap. 20. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Sexcenta hujus generis invenies loca in Scripturis, in quibus divinae naturae in concreto proprietates adscribuntur humanitati convenientes; quales

sunt cruci affigi, ponere animam, fundere sanguinem, ut ex allatis textibus patet. Sed ex iisdem Scripturis non minus aperte liquet proprietates divinitatis praedicari posse in concreto de humanitate. Sic Johan. cap. 3. de Filio hominis dicitur: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo*. Esse profecto in caelo proprietas Dei est. Et nihilominus de Christo dum adhuc versaretur in terra dicitur, *Qui est in caelo*. Similiter Christo homini attribuit Scriptura aeternitatem quae soli Deo competit, juxta illud Johan. cap. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Et illud aliud ad Hebr. cap. 13. *Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula*. Tribuunt Christo Scripturae etiam omnipotentiam; sic ab Apostolo in 1. ad Tim. vocatur cap. 6. *Solus potens*. Et in 1. ad Cor. cap. 8. *Unus Dominus J. C. per quem omnia*. Et ad Hebr. cap. 1. *Per quem fecit et saecula*. Scripturis ergo patet dari in Christo mutuam proprietatum attributionem. II. adstipulatur et Traditio. Origenes in Ep. ad Rom. *Per indissolubilem*, inquit, *unitatem Verbi et carnis, omnia quae carnis sunt adscribuntur Verbo, quomodo quae Verbi sunt praedicantur in carne*. Concilium Nicaenum I. in fidei symbolo humanae naturae proprietates attribuit Verbo divino, ut observat Cyrillus in Ep. 2. ad Nestor. in haec verba: *Sacra namque et magna illa Synodus tradit ipsum Unigenitum Dei filium naturaliter ex Deo Patre natum, Deum verum ex Deo vero, lumen de lumine, per quem Pater omnia condidit, descendisse incarnatum, et hominem factum, passum esse, tertia die resurrexisse, et ad caelos ascendisse*. Hilarius lib. 4. de Trin. scribit: *Qui erat, nascitur: qui indemutabilis est, crescit aetate: qui impassibilis, patitur*. Verba Cyrilli alex. cujus de Incarnatione doctrina plenis calculis approbata est ab Ecclesia, superfluum est recitare; passim namque idiomatum adstruit communicationem, et in suis praesertim Anathematismis. S. P. Augustinus lib. 2. cont. Maximin. cap. 20. *Si ergo*, inquit, *attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei de caelo descendit, Filius hominis crucifixus est: si unitatem personae, et Filius hominis descendit de caelo, et Filius Dei est crucifixus*. Eadem habet lib. cont. serm. Arian. cap. 7. in Ep. ad Dardanum, et alibi saepe. Theodoretus ipse qui Nestorio aliquando adhaesit, in Dial. 3. tradit, *Unitatem communia facere nomina*. Maximus martyr in Disp. cum Pyrrho ait communicationem attributorum fieri, *Quando illa quae utrivis Christi parti naturaliter competunt, vicissim alterius propria redduntur propter inexplicabilem unitionem, nulla unius in alteram secundum naturalem rationem mutatione confusioneque facta*. Reliquorum testimonia Patrum brevitati consulens omitto. III. Quae hactenus exposita sunt, confirmari quoque possunt ratione. Nam inter divinam in Christo humanamque naturam unio est hypostatica et substantialis, ut ex demonstratis apparet. Ast unio duarum naturarum substantialis secum fert promiscuam proprietatum attributionem in *concreto*, ut ab hominis patet exemplo: in quo quum duae sint substantialiter conjunctae naturae in unitate personae, quae animae conveniunt enunciantur in con-

creto etiam de corpore, et vicissim; atque hinc verae sunt hae propositiones, *Petrus est corporeus*, *Petrus est rationalis*; *Humana substantia est materialis*, *Humana substantia est spiritalis*, si intelligantur in concreto. Desumpta haec ratio est ex Cyrilli anathematismis, et ex Augustini Ep. ad Dardanum.

CONCLUSIO II.

Ex communicatione idiomatum non sequitur humanitati Christi in abstracto *consideratae communicatam fuisse immensitatem. Idem esto de ceteris attributis judicium.*

Prob. 1. Scripturis. Johan. cap. 11. v. 21. Maria sic Christum alloquitur: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Et Christus ad discipulos conversus, ibid. v. 14. dixerat: *Lazarus mortuus est: et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi*. Apud eumdem Evangelistam cap. 6. legitur: *Cum vidisset turba, quia Jesus non esset ibi*. Matth. cap. 26. sic Dominus loquitur: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*. Et haec quidem de Christo sacrae literae narrant ante resurrectionem. De illo autem dum in beato esset immortalitatis statu narrat Matthaeus cap. 28. Angelum dixisse mulieribus: *Non est hic: surrexit enim, sicut dixit* etc. Lucas vero cap. 24. *Recessit ab eis, et ferebatur in caelum*. Jam vero qui dum uno est in loco non est in alio, non gaudet immensitate per quam occupantur et implentur omnia, juxta illud Dei per Jeremiam, *Caelum et terram ego impleo*. Ast Christi humanitas tam ante quam post resurrectionem dum uno erat in loco non erat in alio, ut ex recitatis textibus patet. Non gaudet ergo immensitate.

Prob. 2. PP. Hippolytus portuensis Fragm. 3. docet *Divinitatis operationem mansisse* (in Christo) *extra naturae circumscriptionem omnem, tametsi per carnem natura terminatam peracta fuerit*. Athanasius a Theodoreto Dial. 2. citatus illa Psalmi verba, *Sede a dextris meis*, interpretatur de corpore Christi, negans aptari posse Deo. *Nam*, inquit, *si, ut loquitur Jeremias, Deus omnia continet, Caelum et terram ego impleo, quonam in throno sedebit? Itaque corpus est cui dicit, Sede a dextris meis*. Gregorius nazianzenus in Ep. 1. ad Cledonium tradit Christum esse *corpore circumscriptum, incircumscriptum spiritu, eumdem terrenum et caelestem*. Hilarius lib. 10. de Trin. affirmat non de carne, sed de divinitate intelligendum esse quod Christus ait, Se esse in caelo. Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 4. *Neque enim*, inquit, *Deus de loco ad locum transit qui ubique semper est, ut homo est qui vadit, ipse qui venit. In eo ergo vadit et venit, quod est commune nobiscum*. S. P. Augustinus in Ep. ad Dard. scribit: *Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem con-*

sequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus. Leo M. serm. 3. de Ascens. *Ineffabili modo per ascensionem coepit esse divinitate praesentior, qui factus est humanitate longinquior*. Et ne singulos commemorem PP. sive graecos sive latinos, S. Fulgentius lib. 2. cap. 17. ad Trasimund. ita scribit: *Unus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre. Unus idemque secundum humanam substantiam, absens caelo, cum esset in terra: et derelinquens terram, cum ascendisset in caelum. Secundum divinam vero immensamque substantiam, nec caelum dimittens, cum de caelo descendit: nec terram deserens, cum ad caelum ascendit*. Quid hisce Patrum testimoniis proferri potest clarius ad Lutheranorum commentum refellendum?

Prob. 3. ratione. I. si Christi humanitati in abstracto consideratae communicari potest immensitas, cur communicari non poterunt reliqua divina attributa? Eadem quippe est singulorum ratio. Verum juxta Lutheranorum sententiam non omnia humanitati Christi communicari possunt divina attributa. Non enim Christi humanitas dici potest v. g. aeterna. II. si Lutheranorum admittatur opinio, sequitur ambas Christi naturas fuisse confusas, ut delirabant Eutychiani. Nam si humanitati communicata est immensitas quae est divinitatis proprietas, humanitas ergo evasit divinitas. Id autem impium deputant etiam Lutherani. III. caussa cur id Lutherani nonnulli excogitarunt, futilis est et ridicula. Ideo scilicet affirmarunt Christi humanitati communicatam fuisse omnipraesentiam, ut contra Calvinistas realem in Eucharistia Christi praesentiam ostenderent: quod ridiculum est. Neque enim Christi corpus est in Eucharistia sensibili ac visibili modo, sed modo mirabili et per miraculum, ut agentes de Sacramentis demonstrabimus.

Scrupuli Lutheranis eximuntur.

Videndum modo est quid contra 2. hanc thesim Lutherani proponant. Nam ad ea quae Nestoriani adversus priorem opponere solent, quasdam ad capitis hujus calcem regulas trademus.

Obj. itaque 1. Legitur in Psal. 109. *Sede a dextris meis*: atque idipsum de Christo secundum humanitatem dicitur Matth. 22. et Marci 16. Dextera porro Dei est ubique. II. non repugnat Christo ut homini datam a Patre fuisse omnipotentiam, quum Matth. cap. postr. Christus ipse dixerit, *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*. Quapropter nec repugnat datam Christo ut homini fuisse immensitatem; eadem quippe est utriusque attributi ratio. III. verba haec Jeremiae cap. 23. *Caelum et terram ego impleo*, significant Deum esse immensum. Ast etiam de Christo homine ait Apostolus ad Ephes. cap. 4. *Ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia*. IV. inquit Christus Matth. cap. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*. Et rursus: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. En Christi humanitas immensa. V. si qua esset ratio cur Christi

humanitati non communicetur immensitas, maxime esset quia est illa divinitatis attributum. Id autem minime officit, quoniam discrimen est inter divinas proprietates. Æternitas v. g. infinitas, independentia, sunt proprietates incommunicabiles alteri. Non ita tamen immensitas. Antequam enim locus conderetur, numquid Deus omnia implebat? VI. demum inter humanam divinamque Christi naturam unio intercedit hypostatica et substantialis: proindeque ubi una est, et altera existere debet; alioquin dissociari possent. Quum autem Christi divinitas per immensitatem sit ubique, sua sponte fluit ubique esse debere et humanitatem etiam in abstracto consideratam.

Resp. ad 1. Cum de Christo inquiunt Scripturae quod sedeat a dextris Dei, non de Christi humanitate in abstracto considerata, sed de Christi persona quatenus Filius Dei est naturalis proculdubio loquuntur. Ea quippe phrasi significare solent eodem honore dignitate ac potestate qua aeternus fruitur Pater, gaudere quoque Christi personam. Hinc Christus ipse Matth. cap. 22. in hunc finem Psalmistae laudata in argumento verba allegat, ut se verum esse Deum ostendat Patri suo aequalem. Et Apostolus in Ep. ad Hebr. cap. 1. ex iisdem Psalmistae verbis ostendit Christum esse Deum dicens: *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit*: *Cui enim dixit aliquando Angelorum ... Sede a dextris meis, quoadusque ponam* etc. Sed audiamus Augustinum nostrum qui cont. serm. Arian. cap. 34. *Secundum quam formam*, inquit, *suscepti hominis, et ad dexteram Patris sedet vel stat, et orat, et gratias agit, et sacerdos est, et minister est, et supplex est, et subditus est: secundum autem formam Dei, in qua aequalis est Patri, unigenitus est et gignenti coaeternus*. Quibus in verbis S. Pater per dexteram Dei caelestem intelligit gloriam, ibique manere affirmat Christi humanitatem, juxta illud Apostoli: *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis*.

Ad 2. Non repugnat datam à Patre fuisse omnipotentiam et potestatem Christo homini hypostatice unito divinitati, bene vero repugnat datam fuisse mero putoque homini. Nam eodem modo de se Christus inquit, *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*, ac de se dicat, *Ego et Pater unum sumus*. Verba haec intelliguntur de Christo homine hypostatice conjuncto divinitati: cur non et illa? Hinc Lutherus ipse apud Hessiandrum ita verba illa exponit: *Et ipso momento quo divinitas et humanitas in unitatem personae conjungi coeperunt, homo filius Mariae, est et dicitur omnipotens et aeternus Deus cujus est summa potestas, quia omnia creavit et sustentat per communicationem idiomatum, quatenus una cum Deo persona est: de hac potestate loquitur Matthaeus capite ultimo: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*. Dici etiam potest cum communiori Theologorum judicio potestatis nomine in allatis Christi verbis Ecclesiae intelligi regimen, quatenus Christus est caput Ecclesiae suae.

Ad 3. Christus ascendit in caelum ut impleret omnia non per im-

mensitatem humanitati in abstracto communicatam, sed per dona sua super-caelestia Ecclesiae communicanda. Ibidem quippe hortatur Apostolus Ephesios ad unitatem, quoniam charismata omnia quibus Fideles abundant, collata a Christo fuere in aedificationem Ecclesiae. Hinc ante allata verba scribit: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus*. Et immediate post subjungit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas* etc. Sunt qui reponant loqui ibi Apostolum de complemento vaticiniorum et figurarum; quum post ascensum in caelum completa revera fuerint omnia quae in V. Testamento in figura contingebant.

Ad 4. Loquitur ibi Christus de praesentia sua non corporali, sed per auxilium gratiae: quod spondet Apostolis quos alloquitur ejusque successoribus, ne in fidei morumque definitionibus ferendis decipiantur.

Ad 5. Discrimen quod inter divinas intercedit proprietates, est in obliquo, non in recto, ut suis locis observavimus. Nam divinae proprietates in recto consideratae, nil aliud sunt quam ipsa divina essentia. In obliquo autem, sunt eadem divina essentia prout objectum hoc terminat vel illud. Immensitas ergo ante mundi productionem erat utique in Deo, sed quoniam loca non existebant, nihil tunc connotabat: quemadmodum providentia nonne erat in Deo antequam creaturae existerent quas gubernaret? Quum ergo immensitas sit ipsa divina essentia quae est incommunicabilis alteri; fit ut communicari nequeat Christi humanitati in abstracto consideratae.

Ad 6. Ubi est humanitas Christi, ibi quoque existere debet divinitas propter indissolubilem unionem. Sed non ubi est divinitas, ibi quoque existere debet humanitas; quoniam haec natura sua circumscripta quum sit ac limitata, nequit per hypostaticam unionem naturales amittere proprietates; alioquin fieret naturarum confusio, ut volunt Eutychiani.

Regulae ad quas idiomatum communicatio exigi debet.

I. regula. Proprietates duarum naturarum tribui uni personae debent. Ratio est quoniam duae naturae hypostatice ac physice conjunctae sunt. Hinc verae sunt hae propositiones, *Christus est Patri aequalis*, *Christus est Patre minor*. Æqualitas scilicet secundum divinam, inferioritas autem secundum humanam naturam uni Christi competit personae.

II. tota persona ab una tantum natura vel illius proprietatibus potest denominari. Hujus quoque regulae ratio hypostaticae innititur unioni propter quam unius ejusdemque personae sunt duae naturae. Patet id palmari exemplo. Nam ob allatam rationem vera est in humanis haec propositio, *Petrus est rationalis*, *Petrus est corporeus*: adeoque optime dici potest, *Christus est Verbum*, *Christus est homo*.

III. nomina abstracta divinae naturae praedicari utique possunt de Christi persona, non autem nomina abstracta naturae humanae: propterea quod Verbi persona idem realiter est cum natura divina, non vero

cum natura humana. Itaque haec propositio, *Verbum est ipsa divinitas, est ipsa omnipotentia*, vera est et catholica: haec autem alia, *Verbum est ipsa humanitas, ipsa mortalitas*, falsa est et haeretica.

IV. nomina abstracta unius naturae tribui alteri naturae nequeunt; alioquin naturarum sequeretur confusio. Ita haereticae sunt hac propositiones, *Humanitas est divinitas*, *Divinitas est humanitas*. Excipe tamen casus illos in quibus abstracta sumuntur pro concretis; ut si cum Vigilio lib. 4. adv. Eutych. dicas, *Divinitas habet nomen humanitatis*, clarum est hic abstractum sumi pro concreto, ac sensum esse, *Deus habet nomen hominis*.

V. nomina concreta si substantiva sint, naturam videlicet exprimentia, tamquam formam cum subjecto possunt de Christo ad se invicem praedicari: nam ejusmodi concreta nomina proprie exprimunt subjectum. Quamobrem verae sunt hac propositiones, *Deus est homo*, *et homo est Deus*.

VI. eadem tamen concreta nomina si subjectum inferant creatum, nequeunt ad se invicem de Christo praedicari; errorem enim possent tunc exprimere. Ut si quis innuendo Christum diceret, *Hic homo factus est Deus*, insinuare videretur Christum Dominum factum temporis decursu fuisse Deum.

VII. nec praedicari de eodem Christo queunt eadem concreta nomina *reduplicative*, ut inquiunt; quoniam reduplicatio formam potius exprimit quam subjectum. Hac de caussa falsa est haec propositio, *Deus quatenus Deus, in Christo est homo*.

VIII. item praedicari talia nomina de Christo non possunt, si occasionem praebeant errandi. Sic dici non debet, *Christus est creatura*, quoniam favere videtur Arianis.

IX. nomina concreta adjectiva ex substantivis derivata, non ita proprie de Christo praedicantur ut adjectiva nomina absoluta: et ratio est quoniam illa non integram, haec vero integram significant naturam. Hujus regulae vi non recte dicitur, *Deus factus est humanus*, aut, *homo factus est divinus*, *dominus*, *deifer* etc. E contra catholice dicitur, *Deus factus est mortalis*, *passus* etc.

X. nomina adjectiva quae proprietates aut actiones non exprimunt, sed passiones atque defectus, tribui nequeunt Christo aut Verbo. Ita ex quo Christi humanitas sit in Incarnatione mutata, dici non potest, *Verbum mutatum est in Incarnatione*. Plures aliae traduntur a Theologis regulae, et praesertim a Petavio lib. 4. de Incarn. cap. 16. Sed ad eas quas modo tradidimus reduci facile possunt. Consulas tamen laudato loco Petavium, Berti, Sylvium, Juvenin, Witasse, alios.

CAPUT XVIII.

An contra Eutychianos duae admittendae sint in Christo distinctae naturae.

Claudet libri hujus 23. lucubratiunculas euthychiani systematis refu-

tatio. Sed principio pessimae haeresis hujus initia, progressus et capita sunt exponenda. Eutyches ergo ecclesiae C-P. presbyter et amplissimi monasterii abbas seu archimandrita, in Ephesino concilio acerrimus fuit catholicae fidei contra Nestorium propugnator. Ast non multo post absolutum Concilium illud, intra monasterii ambitum crebris coram suis familiaribus sermonibus affirmare ausus est, teste Liberato, *Ante adunationem duas fuisse in Christo naturas; post adunationem vero unam factam esse*. Cum ad aures id pervenisset Eusebii Dorilaei episcopi, Eutychetis amicissimi, saepe illum ne talia blasphemaret admonuit, sed frustra. Hinc apud Flavianum C-P. patriarcham eum accusavit, qui eo tempore, anno videlicet 448. 22. episcoporum C-P. celebrabat Concilium. Monitus ab initio Eutyches fuit ab illius concilii Patribus. Quum tamen minime resipisceret, rationem fidei suae reddere coactus est, atque in errore perseverans sacerdotio privatus fuit, et a monasterii dejectus administratione. Concilii hujus acta probata fuere a Leone M. tunc Romano Pontifice celeberrima illa epistola ad S. Flavianum data, in qua catholicum dominicae Incarnationis dogma eruditissime exponit.

Eutyches interim Chrysaphii eunuchi quem e sacro fonte susceperat potentia fretus, ad Theodosium imperatorem appellavit, ab eoque ut caussa in generali Concilio iterum discuteretur obtinuit, quod Augustus haberi jussit Ephesi an. 449. Obstitit S. Leo, sed quum difficile esset Imperatorem a consilio revocare, misit Ephesum legatos suos Julianum episcopum et Hilarium diaconum qui Summi Pontificis vices gererent. Praefuit Concilio Dioscorus in alexandrina sede Cyrilli successor, qui utpote doctrina et amicitia Eutycheti conjunctissimus, primo e PP. consessu ejecit Theodoretum cyrensem episcopum et Eusebium dorilaeensem quem exauctoravit. Deinde introduci jussit Barsumam quemdam syrum archimandritam, sicarii potius quam monachi nomine dignum. Prohibuit praeterea ne R. P. epistola legeretur. Ac denique S. Flavianum non judicis, sed rei locum habere voluit, et per se ipsum et Barsumam pugnis et calcibus adeo multavit, ut paullo post apud Epiparn dum in exilium pelleretur mortem oppetierit; unde synodus illa latrocinium ephesinum appellari merito solet.

Haec in caussa fuerunt ut post Theodosii obitum, quo connivente tot acciderant mala, Marcianus religiosissimus princeps Theodosii successor Concilium oecumenicum 520. vel ut alii scribunt 630. episcoporum haberi voluit Chalcedone, in quo latrocinalis synodi acta rescissa fuere, Eutyches damnatus, exauctoratus Dioscorus, iterum proscriptus Nestorius, Theodoretus ac Ibas restituti. Verum Concilii hujus definitioni Eutychiani non modo non acquieverunt, sed caedibus ac turbis universam implerunt Ecclesiam in duas divisi sectas, Theopaschitarum nimirum et Acephalorum. Caput illorum fuit Petrus Gnaphaeus; Acephali autem, ut nomen ipsum praesefert, erant sine capite. Sed hi postea divisi sunt in *Corrupticolas* duce Severo monacho, et *Incorrupticolas*

praeeunte Juliano Helicarnassaeo. In quo horum consisteret error, jam alibi diximus.

Videndum modo breviter est quid de dominica Incarnatione senserit Eutyches. Sed melius id exprimi non potest quam Liberati diaconi verbis qui in Breviar. cap. 11. scribit: *Eutychem asseruisse D. N. J. C. consubstantialem nobis non esse secundum carnem, sed de caelo corpus habuisse. Rursusque varians dicebat, ante adunationem duas fuisse in Christo naturas, post adunationem vero unam factam esse.* Ex quibus colligitur duos fuisse praecipuos Eutychetis errores; unum quod Christi caro esset e caelo delapsa, alterum quod duae Christi naturae confusae fuerint atque permixtae post unionem. Qua autem ratione interpretari ista valeant, quum numquam Eutyches adduci potuerit ut mentem suam aperiret, difficile admodum est. Utcumque autem intelligi illa debeant, certe in utroque erravit turpissime. Atque primum erroris sui caput refutatum a nobis est in superioribus, ubi contra Valentinianos aliosque Phantasiastas disputavimus. Nunc fas est ut et alterum refellamus. Quare sit

CONCLUSIO

Duae sunt in Christo etiam post hypostaticam unionem distinctae et impermixtae naturae.

Prob. 1. sacris literis. De una eademque Christi persona sacrae Scripturae innumeris in locis apertissime affirmant quod sit perfectus Deus, ac perfectus homo. Ideoque duae in eo esse debent ad se invicem distinctae naturae, divina nempe et humana; alioquin quomodo esset perfectus Deus, si naturam non haberet divinam? Quomodo perfectus homo, si humana natura a divina fuisset absorpta? Quod autem eadem Christi persona sit perfectus Deus, omnia illa Scripturae loca demonstrant quibus in libris de Trinitate adversus veteres recentioresque Arianos probavimus Verbum esse Patri consubstantiale. Quae enim de Verbo enunciantur, ob idiomatum communicationem dicuntur etiam de Christo. Quapropter ubi in Scripturis tribuuntur Christo eadem nomina quae soli vero Deo competunt, eaedem divinae proprietates, operationes divinae, aequalitas cum Patre, existentia in caelis cum adhuc versaretur in terris etc. ubi haec, inquam, de Christo narrantur, absque ulla ambiguitate verborum significatur Christum perfectum esse Deum. Quod vero sit perfectissimus homo, ex iis locis evincitur in quibus contra Phantasiastas et Apollinaristas ostendimus esse in eo verum ac reale corpus animamque rationalem. Cum Christus Filius dicitur hominis, factus ex muliere, ex semine David secundum carnem; cum describitur a satellitibus comprehensus, caesus flagellis, spinea corona transfixus, crucifixus, vulneratus etc. nonne haec omnia significant perfectum fuisse hominem? Est itaque Christus perfectus Deus, perfectus homo: atque idcirco duas habet inter se distinctas naturas, divinam et humanam.

Prob. 2. ex SS. PP. Ignatius martyr in Ep. ad Ephes. ita ad rem nostram scribit: *Verbum caro factum est, incorporalis in corpore, impassibilis in corpore passibili, immortalis in corpore mortali*. Hilarius lib. 20. de Trin. *Nescit plane vitam suam, nescit qui Christum Jesum ut verum Deum, ita et verum hominem ignorat*. Gregorius nazianzenus Orat. de Nativ. *Missus est quidem, sed ut homo; per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo*. S. P. Augustinus lib. 2. cont. Maximin. cap. 10. *Christus una persona est geminae substantiae, quia et Deus et homo est*. S. Leonis verba superfluum est adducere, quum data opera catholicum hoc propugnaverit dogma in Ep. ad Flavian. Sed quoniam validissimas ibi tradit ad Eutychianos refellendos rationes, non abs re erit excerptum aliquod ex illa depromere. Inter cetera itaque haec habet: *Nativitas carnis manifestata est humanae naturae, partus Virginis divinae est virtutis indicium: infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum: magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est redimentis hominem quem Herodes impius molitur occidere: sed Dominus est omnium quem Magi gaudentes veniunt suppliciter adorare. Cum ad Praecursoris sui baptismum venit ne lateret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de caelo intonans dixit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Sicut hominem diabolica tentat astutia: sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire, evidenter humanum est: quinque panibus quinque millia hominum saturare, largiri Samaritanae aquam vivam, sine ambiguitate divinum est. Non ejusdem naturae est flere miserationis affectu amicum mortuum, et eumdem remoto quadriduanae aggere sepulturae ad vocis imperium excitare redivivum, aut in ligno pendere, et in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere: aut clavis transfixum esse, et paradisi portas fidei latronis aperire. Non ejusdem naturae est dicere: Ego et Pater unum sumus, et dicere: Pater major me est*. Habes in prolixa hac Leonis sententia et auctoritatis praesidium et invictum contra Eutychianos argumentum.

Prob. 3. auctoriate Conciliorum. Allatis Scripturae Traditionisque momentis S. Flavianus C-P. antistes in Concilio quod approbatum postea fuit a S. Leone, damnavit Eutychetem tamquam haereticum. Idipsum biennio post praestitit Anatolius in altero C-P. concilio. Et caussa denique in oecumenica synodo Chalcedonensi finita est.

Prob. 4. theolog. ratione. Si duae non essent in Christo post unionem distinctae naturae, falso crederetur humanum genus fuisse redemptum. Nam quamnam retinuit Christus post unionem naturam? Divinam vel humanam? Vel enim divina conversa est in humanam, vel humana absorpta fuit a divina. Si divinam, haec impassibilis et immutabilis erat. Quomodo igitur Christus sanguine suo nos redemisset? Si humanam dumtaxat, haec per se finita quum sit ac limitata, infinitum pretium ad satisfaciendum irato Numini solvere non potuit. Quod si cum catholica Ecclesia dicamus duas fuisse hypostatice conjunctas in Christo naturas, opti-

me redemptionis cohaeret oeconomia: passio nempe fuit humanitatis, redemptionis vero meritum divinitatis humanitati substantialiter conjunctae. II. admittenda est plane in Christo unio hypostatica, ut contra Nestorium definivit Ecclesia pro cujus fide Eutyches ipse in Ephesino concilio adversus Nestorium strenue dimicavit. Verum Eutychetis admissa sententia, non esset in Christo unio hypostatica, sed naturarum confusio atque permixtio. III. si post unionem unica in Christo remansit natura, id accidisset vel quia divinitas conversa est in carnem, quod apertissime repugnat, quum divinitas sit immutabilis et inconvertibilis; vel quia humanitas absorpta est a divinitate et in divinitatem conversa, et hoc etiam est contra rationem, quum simplex creatura fieri nequeat essentialiter immutabilis; vel quia per mixtionem duae naturae coaluerunt in unam, quo nil dementius potest excogitari, quum ejusdemmodi mixtio Deo tribuat mutabilitatem, et immutabilitatem creaturae. Fit itaque ut post unionem duae remanserint in Christo distinctae naturae hypostatice conjunctae in unitatem personae.

Deliramenta Eutychianorum refutantur.

Obj. 1. Johan. cap. 1. v. 14. legitur: *Et Verbum caro factum est:* Verbum itaque, inquiunt, conversum est in carnem. II. et sane eadem utitur Evangelista phrasi hac in sententia, ac ubi cap. 2. v. 9. convivium describit in Cana Galilaeae habitum, in quo narrat *Aquam vinum factam*. Imo eodem modo dicitur, *Verbum caro factum est*, ac Gen. cap. 19. *Et facta est columna salis*. Vel Exo. cap. 4. v. 3. *Et facta est serpens*. Vel Matth. cap. 26. v. 26. *Hoc est corpus meum*. Porro aqua facta est vinum, uxor Loth facta est statua salis, virga Moysis facta est serpens, panis eucharisticus fit Christi corpus; et haec omnia per veram realemque unius substantiae in aliam conversionem. Hoc itaque modo etiam Verbum factum est caro. III. quae expositio priscorum Patrum confirmatur auctoritate. Nam Justinus martyr in Apol. 2. ait eo modo Verbum factum esse carnem quo eucharisticus panis corpus fit Domini; sic enim scribit: *Quemadmodum per Verbum Dei caro factum J. C. servator noster et carnem et sanguinem salutis nostrae caussa habuit; ita etiam eam in qua per preces verbi ejus ab ipso perfecti gratiae sunt actae, alimoniam ... incarnati illius Jesu carnem, et sanguinem esse docti sumus*. IV. ac denique non pauci sanctorum Patrum dominicam Incarnationem appellarunt *mixturam* seu *mixtionem*. Tertullianus videlicet in Apologet. cap. 21. *Nascitur*, inquit, *homo Deo mixtus*. S. P. Augustinus in Ep. 137. alias 3. ad Volusianum n. 11. pariter ait: *In hac persona* (Christi) *mixtura est Dei et hominis*. Eamdem phrasim adhibuere Irenaeus lib. 2. cap. 21. Maximus taurinensis episcopus Hom. 4. de Nat. Dom. Leo M. Serm. 3. de Christi Nat. aliique.

Resp. ad 1. argumentum hoc non omnibus favere Eutychianis; probat namque divinitatem conversam fuisse in carnem; quum Eutyches e

contra docere videretur humanitatem ità fuisse a divinitate absorptam ut divinitatis induerit naturam, nec in Christi persona remanserit nisi ad instar umbrae ac phantasmatis secundum externam dumtaxat speciem. Sed utut sit, Verbum per Johannem factum est caro per illius assumptionem vel unionem, non per realem conversionem. Quis enim adeo desipiet ut persuaderi possit divinitatem quae immutabilis est posse propriam amittere, et aliam in infinitum a se distantem induere naturam? Res per se loquitur. Dicitur ergo Verbum carnem factum per assumptionem seu unitionem: atque sententiae hujus genuinus sensus est, Verbum assumpsit vel sibi hypostatice univit humanam naturam, nomine carnis per synechdochen ab Evangelista expressam. Ita Johannis verba semper intellexit Traditio. Ignatius namque ut nonnullos commemorem, in Ep. ad Trallian. *Vere genitus est*, inquit, *ex Deo et Virgine, non tamen eodem modo; nec enim idem sunt Deus et homo: vere corpus assumpsit, quia Verbum caro factum est*. Epiphanius Haer. 77. ait: *Quod apud Johannem dicitur, Verbum caro factum est: hanc sententiam habet ... caro factum est Verbum, non mutatum in carnem, sed quia carnem pro nobis suscepit, et factus est homo*. Ambrosius de Incarn. lib. 6. eodem modo explicat illa verba, aitque significare humanitatis assumptionem, quoniam statim subdit, *Et habitavit in nobis*. Quod animadvertit etiam Chrysostomus Hom. 2. in Johan. Simili modo ceteri loquuntur sancti Patres ubi laudata Johannis verba exponunt.

Ad 2. eadem utique phrasi Scriptura utitur hoc in loco, ac ubi sermo fit de vera alicujus substantiae in aliam conversione, quoad sonum verborum, non quoad verborum intelligentiam. Rem explico. Verbum γίνομαι graecum, ac latinum *fieri*, amplissimam habet significationem. Γίνομαι enim, ut Grammatici norunt, pro latino *fieri*, *accedere*, *uniri* etc. usurpatur. Eadem, imo latior est latini verbi *esse* vel *fieri* significatio. Non immerito igitur Johannis verba de divinitatis intelligimus conjunctione vel unione cum humana natura. Quod si quaeras cur aliis in laudatis locis Scripturae verbum γίνομαι, *fieri*, ad denotandam sumatur unius rei in aliam conversionem? Nempe, non quod necessario id verbi γίνομαι, vel *fieri*, importet significatio, est enim ut diximus indifferens, sed ita intelligimus ob rerum de quibus fit sermo naturam. In testimonio Johannis verbum illud indifferens, *fieri*, accipimus pro unione vel conjunctione, quoniam repugnat ut divina natura quae immutabilis est, in aliam convertatur naturam. In aliis autem Scripturae locis verbum idem ad conversionem usurpamus explicandam, quoniam nulla repugnantia est quod unum corpus virtute divina convertatur in aliud. Responsio est S. Cyrilli qui in Dial. de Incarn. postquam dixerat delirare eos qui in allati argumenti sensu verba sumunt Johannis, ita subjungit: *Censent enim, ut videtur, per hoc, Factum est, necessaria quadam ratione mutationem alterationemque significari. Ergo cum psallunt quidam, Et factus est mihi Dominus in refugium: et rursus, Domine, refugium factus es mihi, quid respondebunt? An Deus, qui hic decantatur, desinens esse De-*

us mutatus est in refugium, et translatus est naturaliter in aliud quod ab initio non erat? Cum itaque Dei mentio fit, si ab aliquo dicatur illud, Factus est, quo pacto non sit absurdum atque adeo vehementer absurdum existimare mutationem aliquam per id significari, et non potius conari id aliqua ratione intelligere, prudenterque ad id quod Deo maxime convenit accommodari?

Ad 3. comparat Justinus Incarnationem Eucharistiae sacramento quoad aliqua, non quoad omnia. Atque in hoc ea comparatio consistit, quod sicut Christus veram habuit humanitatem ab eo productam divinitus, ita Eucharistia continet Corpus et Sanguinem ejus vi verborum quae ab ipso fuere instituta.

Ad 4. SS. PP. Incarnationem appellarunt mixturam, et quandoque etiam conversionem, hisce similibusque nominibus perfectam intelligentes unionem, non conversionem unius naturae in alteram, vel duarum naturarum confusionem. Ita mixtionis nomen accepisse PP. qui ante Cyrilli tempora floruerunt, Cyrillus ipse testatur lib. 1. cont. Nestor. cap. 3. *Mixtionis nomem posuerunt etiam nonnulli Patres: sed quod metuere te dicis ne qua confusio contigisse existimetur ad instar liquidorum quae inter se mutuo commiscentur, libero te hoc metu ... Non sic illi senserunt: minime. Sed ea voce sunt usi cum summam unionem ostendere studerent*. Quod Augustinum spectat, satis mentem suam aperit in eadem ad Volusian. Ep. in qua sic loquitur: *Sicut in unitate personae anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personae Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animae et corporis; in hac persona mixtura est Dei et hominis: si tamen recedat auditor a consuetudine corporum qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam; quamquam et in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceatur*. Ridiculum autem est S. Leonis verba ad Eutychianorum trahere partes qui tam docte et eleganter Eutychetem suis epistolis refutavit. Solent Eutychiani celeberrima abuti S. Cyrilli sententia cum in epistola ad Successum tum alibi ab eo prolata: *Post unitionem non dividimus naturas a se mutuo, neque in duos secamus filios illum qui est unus et individuus: sed unum dicimus Filium, et quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam*. Sed quo sensu protulerit haec alexandrinus Praesul, jam cap. 16. libri hujus in scholio declaravimus, quem locum consulas. Sed sit libri XXIII. finis.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXIV.

DE VARIIS CHRISTI DOMINI TITULIS, NOMINIBUS, ET OFFICIIS.

Tametsi quae de idiomatum communicatione disserentes tradidimus satis sint ad recte accurateque de Christo Domino loquendum, iis enim semel probe intellectis, facile percipitur quid Christo prout Deus est, quidque illi prout est homo conveniat; nihilominus ad omnem in re tanti momenti sermonis tollendam ambiguitatem, atque ut aditum calliditati praecludamus nonnullorum qui vocum obscuritate abutuntur, vel ad veteres instaurandos vel ad novos invehendos in Ecclesiam errores, non abs re factum esse existimamus si hoc in libro de quibusdam titulis, nominibus, et officiis Christo Domino tribui solitis pertractemus. Nam ob pravam nonnullarum vocum intelligentiam factum est ut quidam crediderint Christum esse ac dici posse filium Dei adoptivum: alii non recte assecuti sunt quo sensu dici possit Filius Dei praedestinatus, vel servus Patris, vel creatura, vel homo dominicus, aut deifer: existimarunt alii solos Eutychianos Christum unum esse de Trinitate passum affirmare: complures circa sacerdotium, alii circa alia Christi munera et officia a veritate quam longissime aberrarunt; adeo necessarium arbitror de Christi Domini titulis, nominibus, et officiis aliquam instituere tractationem. Rem igitur bono animo aggrediamur.

CAPUT I.

An Christus Dominus dici possit filius Dei adoptivus.

Octavo ad finem vergente saeculo Felix et Elipandus non sermone dumtaxat, sed editis quoque dissertationibus spargere in vulgus coeperunt Christum secundum humanitatem esse et appellari debere filium Dei adoptivum. Et Felix quidem qui erat Urgelis episcopus id persuadere conatus est Septimannis, Germanis, Gallis. Elipandus vero episcopus toletanus erroribus suis imbuere sategit Astures atque Callaicos. Sed ut superis placuit, infelici successu: quoniam illico haeresis Caroli Magni cura et diligentia compressa est. Principis enim hujus studio et auctoritate Felicis et Elipandi caussa in Forojuliensi concilio an. 791. habito cui Paulinus aquilejensis praesedit, primum ad examen revocata sententia de Christi adoptione, tamquam haeretica damnata est. Tum anno sequenti 792. proscripta fuit in concilio Ratisponensi coram Carolo M. Eodemque anno Romae in synodo sub Adriano celebrata, et an. 794. in concilio Francfordiensi. Tradunt Felicem errorem suum non semel ejurasse, atque ad illum rediisse; donec obfirmatus in haeresi obiit: Elipan-

dum vero sero quidem, sub finem scilicet vitae, sed sincere resipuisse. Duo hi episcopi celeberrimos habuere adversarios, Paulinum nempe aquilejensem, Flaccum Albinum alcuinum, beatum Asturiensem presbyterum, Heterium episcopum uxumensem, aliosque viros gravissimos: qui editis libris omni argumentorum genere demonstrarunt Christum neque secundum humanitatem appellari posse filium Dei adoptivum.

Quae licet ita se habeant, non desunt tamen inter Theologos eruditi complures qui autumant Felicem et Elipandum Christum Dei filium adoptivum appellasse in sensu catholico. Quapropter institui quaestio solet, an Felix et Elipandus Christum dixerint filium Dei adoptivum in sensu nestoriano, hoc est, cum filiationis naturalis exclusione. Negativam partem tuentur Vasquesius, Juvenin, Witasse, Tournely; affirmativam vero Surius, Petavius, Natalis Alexander, Berti, aliique. Quae critica controversia ut intelligatur, animadvertendum est Scotum quoque et Durandum scholasticos praeclarissimos, ad illud Theologorum principium non attendentes quod filiatio non cadit in naturam sed in personam, docuisse Christum spectata illius humana natura a divinitate praecisa, appellari posse filium Dei adoptivum, quamvis propter haereticos nomen illud caute sit usurpandum. Quod si quis objiciat damnatam ab Ecclesia eam sententiam fuisse in Felice et Elipando, Theologi laudati respondent factum id esse merito, quoniam duo illi episcopi appellandum esse docebant Christum filium Dei adoptivum in sensu nestoriano, cum filiationis videlicet naturalis exclusione. Disciputi vero Durandi addunt Felicem et Elipandum errasse, quod ei propositioni, *Christus est filius Dei adoptivus*, hanc non addiderint cautionem, *secundum humanam naturam*. Quoniam igitur a nonnullis etiam Catholicis Christi adoptio defenditur, hinc orta quaestio est an Felix et Elipandus in sensu catholico vel haeretico defenderint Christum esse filium Dei adoptivum. Duplex ergo erit nostri hujus capitis disquisitio. 1. inquiremus in mentem Felicis et Elipandi. 2. in dogma ipsum, an scilicet aliquo sensu Christus dici possit Dei filius adoptivus.

Sed antequam rem aggrediamur, operae pretium duco nonnulla animadversione digna praenotare. 1. Filiatio quaecumque ea sit sive naturalis sive adoptiva, convenit personae, non naturae, ut optime docet S. Thomas. Natura quippe nec gignit nec gignitur, ut agentes de Trinitate observavimus. 2. Filius naturalis est ille qui de substantia gignitur patris in similitudinem naturae; proindeque appellari potest filius patris proprius, suus; et si unicus est, dici potest ac debet unigenitus vel primogenitus. 3. Filius autem *adoptivus dicitur cui nihil a patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur*, inquit Paulinus aquilejensis in Sacrosyllabo. Hinc deducitur filium adoptivum non esse proprium, sed extraneum vel alienum; ab uno enim gignitur, ab alio adsciscitur seu adrogatur. Adoptio siquidem definiri vulgo solet, *Legitimus actus naturam imitans, quo liberos nobis quaerimus*. Colligitur etiam filium adoptivum esse filium voluntate gratia et beneficio, non natura aut jure nativitatis: *Abusive namque*, subdit Paulinus, *et non essentialiter ado-*

ptivus est filius dictus , sicut Moyses in filium adoptatus est a filia Pharaonis alienus ab ea et generatione et sanguinis affinitate . Hoc ideo posuimus ut patenter daretur intelligi , eum dici adoptivum , qui nondum prius fuerat proprius filius adoptatus . His observatis sit

CONCLUSIO I.

Felix et Elipandus docuerunt Christum esse filium Dei adoptivum in sensu nestoriano .

Prob. 1. Nestorius ut Christum Dominum in duos dispesceret filios impudentissime docebat eumdem Christum secundum divinitatem esse Dei filium Patri coaeternum et consubstantialem non adoptione , sed genere : secundum humanitatem vero esse quidem Dei filium , sed adoptione, non genere; gratia, non natura . Porro haec eadem Felix et Elipandus de Christo dogmatizarunt , quod ex illorum fidei confessione quae in actis habetur concilii Francfordiensis manifestissime apparet . Inquiunt ibidem : *Confitemur et credimus Deum Dei filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum , coaeternum , et consubstantialem, non adoptione , sed genere* . Haec de Christo secundum divinitatem . De eodem vero secundum humanitatem , inquiunt : *Confitemur et credimus eum factum ex muliere , factum sub lege , non genere esse filium , sed adoptione ; non natura , sed gratia* . Ex hoc sua sponte fluit aliam esse in Christo divinam , aliam humanam personam : quod tradebat Nestorius .

Prob. 2. Praecipuum Nestorii principium ad denegandam in Christo unionem hypostaticam erat quod Verbum divinum humanam non assumpserit naturam in primo suae conceptionis instanti , ut Catholici credunt affirmantes nullum fuisse vel minimum temporis punctum in quo Verbum hypostatice unitum non fuerit humanitati . Ast haec eadem quae Nestorius , tradiderunt quoque Felix et Elipandus teste Albino diacono in Ep. ad Monachos graecos , ubi postquam affirmavit se habere prae manibus Felicis libellum quem refutandum susceperat , subdit : *Haec considerantes diligentius , et animo tenete firmiter , et constanter praedicate unum Filium et unum Deum eumdem proprium et verum et perfectum esse , quia omnis veritas in Christo est et nullum figmentum , et tota plenitudo divinitatis , et nulla minoratio nec defectio , nec unum sicut in libello praefati Felicis lectum est baptismo indiguisse , sed mox sine peccato et sine labe peccati Spiritu sancto conceptum esse Deum verum et hominem verum* . Hoc idem testatur adv. Felicem Alcuinus lib. 2. inquiens : (Christum) *baptismo indiguisse dicebat, volens , ut videtur, eum in baptismo adoptari in filium , sicut et nos* . Talis erat Nestorii error .

Prob. 3. testimonio Scriptorum et Francfordiensis concilii . Paulinus aquilejensis in Sacrosyllabo ita de Felice loquitur : *In duobus vocabulis , proprii scilicet et adoptivi , verique et nuncupativi filii, unicum eumdemque Dei filium dividere fronte impudentissima non formidat* . Alcuinus

lib. cont. Felic. *Non sibi sufficiebat*, inquit, *tantummodo Christum qui de Virgine natus est, negare proprium esse filium Dei: sed novo et inaudito S. Ecclesiae nomine, nuncupativum Deum nominare illum non timet, dividens Christum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum*. Agobardus in libro adv. dogma Felicis edito narrat haec dixisse Felicem: *Deum Dei Patris filium nullatenus dici debere passum aut crucifixum: sed ab eo hominem assumptum hoc nitentem exemplo Isaac qui a Patre ductus est ad immolandum, non ipse, sed aries pro eo est immolatus; tamquam in Isaac sit figuratus filius Dei, et in ariete filius hominis*. Concludit deinde Agobardus: *Et dum timet permixtionem Eutychetis, incurrere corruit in divisionem Nestorii*. Similia habent Scriptores alii qui Felicis et Elipandi tempore floruerunt, illorumque haeresim data opera confutarunt. Accedit his francfordiensium auctoritas Patrum qui in Ep. synodica scribunt tam Nestorium nomine copulationis, quam Felicem nomine adoptionis negasse Christum esse unam personam, et B. Virginem Deum genuisse. Addunt: *Nonne olim haeresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata est etiam et damnata?* Quod Patribus adeo persuasum erat, ut ad Felicis et Elipandi refutandos errores non aliis usi sint argumentis quam illis eisdem quae S. Cyrillus et Ephesinum concilium et Theologi omnes adhibere solent ad haeresim refutandam Nestorii. Nec alius certe melius Felicis et Elipandi mentem perspectam habere potuit, quam Francfordiense concilium ad illos damnandos specialiter convocatum.

CONCLUSIO II.

Christus nec etiam secundum humanam naturam filius Dei adoptivus appellari potest.

Prob. 1. sacris literis. Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 32. de Deo Patre loquens, ita scribit: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Gabriel Angelus Virginem alloquens Luc. cap. 1. v. 32. ait: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur ... ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*. Johannes Baptista Johan. cap. 3. sic inquit: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium: et omnia dedit in manu ejus*. Petrus Matth. cap. 16. v. 16. ait: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Et apud eumd. cap. 3. Pater sic Christum alloquitur: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Et iterum Johan cap. 1. *Unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Ac denique Christus ipse in ejusd. Johan. Evang. cap. 20. inquit: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum: Deum meum, et Deum vestrum*. Infinitus fierem si omnia ad rem hanc pertinentia Scripturae testimonia vellem in medium afferre. Interim nec est nec dici potest filius adoptivus, sola etiam humanitate inspecta, qui est absolute fi-

lius Dei proprius; qui absque ullo addito appellatur simpliciter Dei Filius, et quidem Unigenitus; qui denique diverso modo ac homines justi sint, est Filius Dei. Nam filius adoptivus non est proprius, sed extraneus; appellari nequit filius simpliciter et absque ullo addito; cumque filii Dei adoptivi multi sint, nemo illorum dici potest unigenitus; ac demum qui adoptivus Dei filius est, a ceteris hominibus justis in filiatione non discrepat. Ast vero Christus etiam secundum humanitatem dicitur in Scripturis, ut vidimus, Filius Dei proprius, simpliciter Unigenitus, ac a ceteris hominibus in filiatione diversus: unde superest ut confiteamur dici non posse fiilium Dei adoptivum.

Respondent adversarii haec dicta esse de Christo secundum divinam, non secundum humanam naturam, atque adeo ad rem minime facere.

Sed decipiuntur. Nam quoad primum testimonium recte observat Adrianus R. P. prolatum esse de Christo qui mortem subiit: *Scimus enim*, inquit, *quia non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod homo erat*. In Angeli autem verba ita fatur Paulinus aquilejensis in Sacrosyll. *Non de sola excellentia majestatis tunc loquebatur Angelus, sed potius de incarnata divinitate; subdit enim: Dabit ei Dominus sedem David patris sui. Secundum carnem videlicet David filius dictus est, non secundum divinitatem*. De Christo homine accipienda quoque esse verba Johannis Baptistae vel ex eo patet quod loquatur de illo qui *verba Dei loqüitur*, et quem *oportet crescere*, dum se oportet *minui*. Petrus etiam loquitur de Christo cum Apostolis ambulante proque homine se gerente. Vox Patris quae in Johanne de caelo intonuit, *Ad hoc in baptismo super filium facta est, ut agnosceretur et crederetur verus esse Filius Dei, homo, qui ex substantia B. Virginis creatus est*, inquit Flaccus Albinus lib. 2. cont. Felic. Et Unigenitus ille quem commemorat Johannes cap. 1. non est ille idem de quo cap. 3. v. 16. scribit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret?* Unde optime Flaccus Albinus loco proxime citato: *Quis autem datus est pro mundi salute? Ille utique qui torcular calcavit solus, et sanguinis effusione rubicunda habuit vestimenta*. Christus denique ad Patrem suum et Patrem nostrum ascendebat non secundum divinam naturam cum qua fuit semper in sinu Patris, sed secundum humanam in qua oportuit pati, ut ita in gloriam suam ingrederetur. Frivolum ergo est quod adversarii opponunt.

Prob. 2. ex SS. PP. et in primis illorum praetermitto testimonia qui disertis verbis affirmant duos non esse in Christo agnoscendos filios; quales sunt Irenaeus, Athanasius, Epiphanius, Gregorius nazianzenus, Cyrillus alexandrinus, aliique innumeri a nobis contra Nestorium disputantibus allati. Si enim singulorum dicta in animo esset referre, in longum nimis abiret oratio. Illorum proinde contenti erimus auctoritate qui expresse affirmant non posse Christum appellari filium Dei adoptivum. Ac primus in aciem prodat Hilarius quem a partibus suis stare jactabant haeretici, quique lib. 6. de Trin. ita ad rem nostram fatur: *Filius suus*

est, filius ejus est: non adoptio ejus est, non creatura ejus est. Nomen naturam loquitur, veritatem proprietas enunciat, fidem confessio testatur; non intelligo quid addi possit ad naturam filii. Haec habet num. 44. num. autem sequenti prosequitur: *Numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens caritatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio filio suo docuit, non utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturae, sed pro alienis suo, pro nuncupandis proprio.* Complura alia Patris hujus testimonia eaque praeclarissima collecta vide apud Petavium lib. 7. de Incarn. cap. 2. Faustinus lib. cont. Arian. inquit: *Cum Deus dixit, Hic est Filius meus dilectus, adoptionis filios superavit, ut proprietas verae nativitatis in Christo solo Filio crederetur.* S. P. Augustinus Tract. 2. in Johan. fuse describit hominum morem naturales non habentium filios, qui alienos adoptare solent, et postea subdit: *Non sic Deus: Unicum eumdem ipsum quem genuerat, et per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius.* Et Tract. 7. in eumd. ait: *Oportebat ergo ut ille baptizaret qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici: Unicus habet potestatem, adoptati ministerium.* Patres africani in libello emendationis quem Leporio tradiderunt ita loquuntur: *In hoc maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum filium Dei, non adoptivum, sed proprium, non phantasticum, sed unum.* Gregorius M. lib. 18. Moral. cap. 27. ab Adriano Papa citatus ait: *Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse.* Et in fine ejusd. operis cap. 6. *Omnes qui in fide Deo nascuntur* (Christus) *superat, quia non ut ceteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat.* Paria his habet Idelphonsus toletanus in lib. de perp. S. Mariae virginit. quibus et Scriptores et Concilia capitis initio laudata addi possunt.

Prob. 3. rationibus. I. qui est filius adoptivus, esse necessario debet extraneus ei a quo adoptatur, ut ex adoptionis idea quam capitis initio tradidimus patet. Neque enim potest quis in filium adoptare quem genuit; unde adoptio fit *cum in alienam familiam*, inquit Agell. lib. 5. cap. 19. *inque liberorum locum extranei sumuntur*. Ast Christus Dominus spectata etiam humana natura non est Patri alienus seu extraneus, sed est vere et proprie filius ejus naturalis. *Unde in Dei filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus filius, semper Dominus; ac per hoc et post assumptionem hominis vere filii vocabulum non amisit qui numquam desiit verus esse filius*, ita Paulinus aquilejensis in Sacrosyllabo. II. quandonam dici debet Christus secundum humanitatem in Dei filium adoptatus? Non ante hypostaticam unionem, quoniam tunc Christi humanitas non existebat, nisi errare velimus cum Nestorio: sed neque

post unionem hypostaticam; tunc quippe vi illius unionis erat Filius Dei naturalis, jus habebat ad haereditatem, omnisque in eo existebat gratiae plenitudo. Numquam itaque fieri potuit ejusmodi adoptio. *Aut in utero Virginis eum suspicantur, quod dicere nefas est, quia de B. Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem; aut certe eum purum hominem sine Deo natum, quod cogitare impium est, necesse est fateantur: ac per hoc postea quasi indiguerit adoptione, a Patre in filium sit adoptatus*, ita Paulinus in Sacrosyll. argumentatur. III. qui filius est adoptione, filius est voluntate et affectu, non natura ac generatione ut est filius naturalis. Christus autem spectata etiam humana natura non est filius Dei affectu et voluntate, sed natura et generatione; fuit namque humana natura hypostatice unita personae Verbi. Hoc quoque argumentum urgetur a Paulino aquilejensi in Sacrosyll. ubi sic inquit: *Omnis adoptio ex affectu ducit vocabuli sui originem, quamquam etymologiae suae non videatur trahere similitudinis sonum. Habet namque ex utraque parte Utinam vocabulum eleganter insitum, ut si dicas: Utinam merear in filium adoptari, ex affectu quidem* etc. IV. omnis filiatio convenit personae, non naturae. Quaenam ergo Christi pars adoptari in filium a Deo debuit? Non natura humana, quoniam filiatio in naturam non cadit. Non persona Verbi, quoniam Verbum filius Dei est naturalis. Adoptio itaque locum in Christo nequit habere.

CAPUT II.

In quo difficultates proponi solitae adversus statutas propositiones resolvuntur.

Obj. 1. cont. 1. thes. Felix et Elipandus nihil aliud docuisse videntur quam quod Scotus ac Durandus circa Christi adoptionem tradiderunt, quorumque doctrina nestoriana non est. Nam duo hi episcopi et ipsi dicebant, ut mox citati Theologi, Christum esse filium Dei adoptivum secundum humanam naturam, ut ex propria illorum confessione ad Carolum Magnum missa, ex Adriani Papae Ep. ad episcopos Hispaniae, ex Jona aurelianensi, ac ex Francfordiensi concilio liquido patet. II. et re quidem vera si laudati duo episcopi adhaesissent Nestorio, duplicem profecto admisissent in Christo personam. Sed unicam semper fassi sunt in fidei confessione ad Carolum M. ubi ita loquuntur: *Homo interior in una eademque Dei et hominis persona deglomeratus, filius adoptivus humanitate, et non adoptivus divinitate mundum redemit*. III. hinc ab Imperatore fidenter postularunt ut Beati ac Etherii sententia velut haeretica damnaretur: quod plane ausi non fuissent si Dei filium adoptivum in sensu credidissent nestoriano. IV. atque haec eadem ratio est quod Patres francfordienses duos illos episcopos damnaverint ob vocum novitatem; inducunt enim illos sic catholicum virum interrogantes: *Quid times adoptivum Christum Dominum nominare*? V. quibus accedit quod

si Felicis et Elipandi sententia nestoriana erat, jam damnata fuerat in Ephesino concilio; proindeque superfluum fuisset novum ad illam eliminandam convocare concilium.

Resp. ad 1. Non parvum discrimen est inter Scoti et Durandi, ac Felicis et Elipandi sententiam. Illi autumabant Christum Dei filium adoptivum appellari posse spectata dumtaxat humana natura, prout natura est, omni expoliata subsistentia. In quo plane decepti sunt; quum filiatio sive naturalis sive adoptiva in personam cadat, non in naturam. E contra vero Felix et Elipandus affirmabant Christum esse filium Dei adoptivum secundum humanitatem non secus ac Nestorius: cum quo ajebant Christum ut filius fieret Dei, indiguisse baptismo; filium ex Virgine natum non esse Dei filium genere atque natura; et B. Virginem purum genuisse hominem. Relege quae superiori capite diximus.

Ad 2. Etiam Nestorius anathema intorsit in eos qui unam non confiterentur in Christo personam. Quid proinde? Subdole loquebatur haereticus intelligens unam personam unione morali, hoc est unitate affectus et voluntatis. Hac eadem usi sunt Felix et Elipandus calliditate in fidei confessione optimo Imperatori exhibita. Nam integra confessio ita se habet: *Homo interior in una eademque hominis persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus, quia non per eum qui natus est de Virgine, visibilia et invisibilia condidit, sed per illum qui non est adoptione, sed genere, neque gratia, sed natura: et per istum Dei simul et hominis filium adoptivum humanitate, non adoptivum divinitate, mundum redemit.* Si filius qui de Virgine natus est non est ille idem per quem Deus visibilia et invisibilia condidit: si ille qui filius est adoptione et gratia, ab eo differt qui filius est genere atque natura, et hoc Felix et Elipandus in fidei tessera confessi sunt; nonne duas admiserunt Nestorianorum more in Christo personas, unamque illam ad fucum faciendum simplicibus appellant, unitatis nomine unitatem moralem intelligentes? Res per se loquitur. Neque est quod communicationem admiserint idiomatum. Nam neque Nestorius communicationem illam reformidabat: sed moralem intelligebat, non veram ac realem. Ac denique qui asserit filium natum de Virgine alium ab eo esse qui condidit mundum, potest ne veram admittere idiomatum communicationem?

Ad 3. Etiam Nestorius nimia confidentia ad Principum provocavit simulacra, ad Romani Pontificis auctoritatem, ad generale concilium quo S. Cyrilli doctrina velut haeretica proscriberetur. An ne proinde excusandus est ab errore? Eodem modo se gessit Felix urgelitanus episcopus: idque omnibus commune est haereticis, ut sibi adulentur proprii erroris patronos invenire.

Ad 4. Non ob vocum dumtaxat novitatem, sed ob pravitatem etiam doctrinae in Francfordiensi concilio damnati fuerunt Felix et Elipandus: quapropter addunt Patres illi istorum sententiam antiquum esse errorem in concilio Ephesino damnatum, atque illis Scripturae oraculis contrarium quibus haeresis confutatur nestoriana.

Ad 5. Etiam nestoriana haeresis damnata quondam fuit ab Ecclesia in Ebione, Photino, aliisque priscis haereticis, nec proinde superfluum fuit generale convocare concilium. Quare? Quoniam diverso sub aspectu errores suos contra dominicam Incarnationem disseminavit. Simile quidquam Felici et Elipando accidit. Horum error damnatus jam fuerat in concilio Ephesino: sed quoniam ad idem pravum instaurandum dogma, non *copulationis*, ut Nestorius, sed *adoptionis* vocabulum usurparunt, necesse fuit ut novum concilium convocaretur.

Obj. 2. cont. alt. thes. ex Scripturis et Patribus. 1. Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 29. inquit: *Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Quae verba significant Christum esse fratrem nostrum primogenitum, nosque Dei filios adoptivos; atque adeo et Christum filium Dei adoptivum. II. Irenaeus lib. 3. adv. Haer. cap. 21. *Propter hoc enim*, inquit, *Verbum Dei homo, et qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, fiat filius Dei*. En per Irenaeum Christum filium hominis adoptionem percipientem, ut fiat filius Dei. III. Marius Victorinus lib. 1. cont. Candidum arian. ita scribit: *Non sic filius quemadmodum nos. Nos enim adoptione filii, ille natura. Etiam quadam adoptione filius et Christus, sed secundum carnem*. Etsi Marius considerata divina natura Christum dicat filium Dei naturalem, non dubitat tamen illum appellare filium Dei adoptivum secundum naturam humanam. IV. S. Hilarius lib. 2. de Trin. de Christo verba faciens inquit: *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Hic etiam adoptionem de Christo secundum humanitatem praedicat. V. Cyrillus alexandrinus in Dial. 3. Arianos Christum verum esse Deum negantes refellens, post fusam concertationem ita scribit: *Constat igitur ... consentaneum esse, ut tunc datum esse existimemus Filio nomen illud quod est super omne nomen, quando formam nostri similem subiens, tamquam unum ex nobis in filium adscriptus est Dei, adoptatus nobiscum, et propter nos ille verus ac germanus, ut et nos etc*. VI. Auctor disputationis cum Ario sic habet: *Arius dixit, Utrumnam alius est filius? Athanasius respondit. Filius quidem verus Dei unus est, Verbum et Deus. Est et tamquam alius filius adoptatus per templum ipsius corporis D. N. J. C.* Haec luculenter adstruunt in Christo adoptionem. VII. denique in ecclesia Toletana paullo ante Elipandum, tempore scilicet Idelphonsi et Juliani illius ecclesiae antistitum, ita in missa *de Coena Domini* legebatur: *Qui per adoptivi hominis passionem etc.* nec non in missa *de Ascensione: Hodie Salvator noster post adoptionem carnis, sedem repetivit deitatis etc.*

Resp. ad singula. et ad 1. Christus est frater primogenitus, non quod sit adoptivus Dei filius per gratiam sicuti nos sumus, sed aliis de caussis. Et 1. quidem quoniam prior est omnibus creaturis honore ac dignitate, quum Deus sit Patri consubstantialis. 2. quoniam cum ille genitus sit ab aeterno, creaturae vero in tempore, dicitur merito primogenitus,

hoc est, ante omnia genitus. 3. nonne Christus princeps est regum terrae, et caput Ecclesiae quam acquisivit sanguine suo? Jure itaque hac etiam de caussa primogenitus appellatur. 4. et quoniam antiquitus primogenitus haeres erat paternorum bonorum qui fratribus haereditatem distribuebat, sub hac quoque ratione Christus vocatur primogenitus, quum sit haeres universorum, atque homines ab eo haereditatem capiant salutis. Neque enim est aliud sub caelo nomen praeter nomen Jesu, in quo aeternam quis consequi valeat salutem. Vox itaque *Primogeniti* Christo crebro tributa non demonstrat esse filium Dei adoptivum ut sunt homines.

Ad 2. Hoc sibi vult Irenaeus, quod Verbum divinum adoptator, ut ita dicam, filiorum fuerit, non ipsum filius adoptivus. Quum enim divinum Verbum hypostatice sibi univerit humanam naturam, ut per merita illius homo justificetur, merito suo infinito evadit homo Dei filius adoptivus. Unde adoptio *passive* considerata, non ad Christum, sed ad homines refertur. Ad Christum autem refertur *active*, quatenus per ipsum homines adoptantur in filios Dei. Rem ita se habere, tum ex antecedentibus tum ex consequentibus Irenaei verbis apparet. Nam ante allatum in argumento testimonium, illos qui Christum purum hominem a Josephi semine genitum credunt redarguens, ait non intelligere qui id affirmant *munus adoptionis*. Post allatum vero testimonium subdit: *Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem participare, nisi adunati fuissemus incorruptelae et immortalitati*. Christus ergo quod humanam assumpserit naturam, factus est adoptator. Homines vero facti sunt adoptati per Irenaeum.

Ad 2. Marius victorinus appellat Christum filium Dei adoptivum secundum humanitatem, adoptione lato non stricto ac rigoroso sensu accepta. Adoptio autem lato modo intellecta, idem est ac humanae naturae assumptio. Quum enim gratis et absque ullis praecedentibus meritis Verbum divinum nostram assumpserit naturam, aliquo sensu dici potest Christum secundum carnem esse filium Dei quadam adoptione, juxta illud Augustini in lib. de Praed. SS. cap. 15. *Est etiam praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse Salvator, ipse Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei praecedentibus meritis natura humana quae in illo est comparavit*? Hoc sensu Marius victorinus Christum filium Dei adoptivum appellat secundum carnem. Hinc consulto ait Christum esse filium *quadam adoptione*, ut insinuet se loqui de adoptione improprie accepta, nempe de assumptione carnis humanae.

Ad 3. Hilarium quoque loqui de adoptione improprie dicta observat S. Thomas 3. p. q. 23. a 4. ad 1. ita ut S. Patris verborum sensus sit, *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum assumitur humilitas carnis*. Quae expositio satis apta videtur, tum quoniam loquitur Hilarius de carnis humilitate, non de Redemptoris persona; tum etiam quia nimis luculenter adoptionem proprie dictam a Christo Domino pluribus in locis excludit, et praesertim lib. 6. de Trin. Vide quae ex Hilario capite su-

periori recitavimus. Praeterea eruditi complures contendunt Hilarii textum fuisse corruptum, et pro, *adoptatur*, legendum esse, *adoratur*; idque demonstrant et ex veterum testimonio et ex antiquis codicibus. Vide Johannem Laurentium Berti lib. 27. de Incarn. cap. 4.

Ad 4. Eodem modo explicandus est quoque Cyrillus; adoptionis videlicet nomine carnis assumptionem, non veram ac realem intelligit adoptionem. Quod ex verbis illis patet, *Constat igitur consentaneum esse, ut tunc datum existimemus fuisse filio nomen illud quod est super omne nomen, quando formam nostram assumpsit*, non post mortem tantummodo, ut contendebant Ariani. Quinimmo eodem in Dialogo aperte declarat Christo *substantialem et naturalem tribuendam esse filiationem non in sola Patris voluntate positam, sicut nimirum in nobis etiam conceditur*. Porro qui Christum non esse filium sola voluntate Patris, ut sunt homines affirmat, negat plane illum esse filium Dei adoptivum.

Ad 5. Allata in argumento cum Ario disputatio revera non est Athanasii; tum quia ab illius stilo ratiocinandique vi quam longissime dissidet, tum quia deest in antiquis codicibus operum S. Athanasii. Sed quisquis sit disputationis illius auctor, non admittit profecto in Christo veri nominis adoptionem. 1. quia auctor ille docet ibidem non esse dividendum Christum in duos filios, quorum unus sit invisibilis filius Dei, alius autem visibilis; unus incorporeus, corporeus alter; unus immortalis, alter mortalis. 2. affirmat quoque non esse unum Dei filium propter humanam naturam seorsim nominandum. 3. quoniam auctor ille sibi demonstrandum proponit quae vilia et infirma de Christo praedicantur in Scripturis, non de eodem Christo secundum divinitatem, sed secundum humanam naturam esse intelligenda. Inducit deinde Arium interrogantem num alius sit filius cui vilia et infirma adscribantur. Cui interrogationi sub Athanasii nomine respondet Catholicus unum esse Filium Dei, sed hunc naturam habere humanam assumptam propter quam multa humana et infirma de Filio Dei enuntiantur. Hanc autem humanae naturae assumptionem exprimit per illa verba, *Est et tamquam alius filius adoptatus per templum ipsius corporis*. Ac si dicat non sub unico tantum, sed sub duplici respectu considerari debet Christus, quia duplicem habet naturam: et secundum divinam naturam inquit, *Ego et Pater unum sumus*: et secundum humanam, *Pater major me est*.

Ad 6. Patres concilii Francfordiensis Felici haec objicienti ita in Ep. synod. responderunt: *Et melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ildephonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in missarum solemniis, quales universalis et sancta Dei Ecclesia non habet. Et si Ildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster vero Gregorius Pontifex Romanae Sedis clarissimus toto orbe doctor in suis orationibus semper eum Unigenitum nominare non dubitavit*. Ceterum liturgicae illae Toletanae ecclesiae preces explicari commode possunt de assumptione humanae carnis a Verbo factae.

Obj. 3. a ratione. I. sicut in Christo est divina natura, ita est et hu-

mana: Propter naturam divinam est filius Dei naturalis: Propter humanam ergo appellandus est filius Dei adoptivus. II. qui gratiam habet sanctificantem est filius Dei adoptivus; hic namque est effectus gratiae sanctificantis, ut filii Dei nominemur et simus. Cumque Christus secundum humanam naturam gratiam habuerit sanctificantem, sequitur fuisse filium Dei adoptivum. III. non repugnat Christum ratione humanitatis dici crucifixum, mortuum, Patris servum etc. Cur ergo repugnat dici secundum humanitatem filium Dei adoptivum? IV. humanitas Christi genita proculdubio non est a Deo Patre. Qua igitur ratione appellari poterit secundum humanam naturam filius Dei naturalis? V. duae sunt in Christo filiationes, aeterna qua genitus est a Patre, et temporalis qua natus est ex Virgine; ac proinde prior filiatio est naturalis, altera vero adoptiva.

Resp. ad 1. Argumentum laborat, ut inquiunt, falso supposito. Supponit videlicet filiationem sive naturalem sive adoptivam cadere in naturam, quod falsum esse demonstravimus capite antecedenti, ex quo natura non generet nec generetur, sed persona. Proinde etiam si duae sint in Christo naturae, quum tamen unica sit in illo persona eaque divina, unica quoque admitti in illo debet filiatio eaque naturalis.

Ad 2. Duo sunt praecipui gratiae sanctificantis effectus, animi nempe decor divinaeque participatio naturae qui effectus primarius est, ac jus ad haereditatem qui effectus est secundarius. Habuit itaque Christus ratione humanitatis gratiam sanctificantem quae suum in eo produxit effectum, sed primarium dumtaxat, non secundarium. Quare? Quoniam gratia sanctificans quando descendit, jam invenit in eo jus ad haereditatem per hypostaticam unionem, adeoque filiationem naturalem etiam secundum humanitatem acquisitam.

Ad 3. Nomina haec, *crucifixus*, *mortuus*, *servus*, et hujus generis alia, nomina sunt quae conveniunt naturae, et personae Christi tribuuntur ratione humanitatis quae in divina persona subsistit. Ast filiatio quaecumque ea sit, proprietas est personae immediate conveniens: quae cum in Christo filius Dei sit naturalis, filiationem non admittit adoptivam.

Ad 4. Humana Christi natura non est quidem a Patre genita, bene vero ab eo genita est persona Verbi quae per hypostaticam unionem dat humanae Christi naturae subsistentiam. Filiatio cadit in personam: Persona est filius Dei naturalis: Igitur Christus etiam secundum humanam naturam est filius Dei naturalis, non adoptivus.

Ad 5. Unica agnoscenda est in Christo filiatio eaque aeterna, sicuti unica est in Christo persona eaque divina. Duas tamen habet filiatio illa *habitudines*, unam aeternam ad Patrem a quo secundum divinitatem genitus est, alteram temporalem ad matrem ex qua natus est secundum humanitatem in tempore. Sed de difficili controversia satis: gressum faciamus ad reliqua.

CAPUT III.

Quo sensu de Christo dicat Apostolus, Qui praedestinatus est Filius Dei.

Quandoquidem certum sit Christum Dominum appellari posse filium Dei praedestinatum, sic enim de illo scribit Apostolus ad Rom. cap. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem: qui praedestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri;* oritur inter Theologos dubium an dici possit etiam filius Dei adoptivus, quum praedestinatio sit donum et gratia. Cumque a nobis statutum jam sit nullo modo Christum appellari posse filium Dei adoptivum, exponendum modo est qua ratione dicatur ab Apostolo filius Dei praedestinatus. Sed initio praecipuae paulini textus tradendae sunt expositiones ut nonnullorum dubium evanescat.

CONCLUSIO I.

Plerique graeci Patres non immerito in laudato Apostoli textu legerunt, Qui declaratus est Filius Dei. *Et recte etiam Patres latini legerunt*, Qui praedestinatus est Filius Dei.

Prob. prior thesis pars. Illa lectio non immerito a SS. PP. praefertur quae cum litera, cum versionibus, cum scopo textus congruit. Porro ita se habet apostolica de qua loquimur lectio. Et 1. congruit cum litera. Nam ubi nostra Vulgata habet, *Qui praedestinatus est Filius Dei*, in graecis codicibus legitur, τοῦ ὁρισθέντος Υἱοῦ Θεοῦ: cum autem ὁρίζειν veniat a themate ὅρος, *terminus*, *limes*, *finis*, *definitio* etc. explicari commode potest pro termino, limite, ac praedefinito tempore quo placuit Deo in signis et prodigiis et virtutibus ostendere illum quem Judaei putabant filium fabri, esse revera filium suum genitum ante omnem creaturam. Quo posito dicendum est, τοῦ ὁρισθέντος verti jure optimo posse pro, *declarati* ac *demonstrati*. 2. congruit ea lectio cum versionibus. Syriaca namque legit, *Et agnitus est filius Dei in virtute*. Æthiopica vero habet, *Quem declaravit esse filium Dei*. 3. congruit cum textus apostolici scopo. Ibi enim Apostolus demonstrare videtur eum qui veram ex semine David progenitam carnem assumpsit, variis argumentis fuisse declaratum filium Dei, *in virtute*, nempe miraculorum; *secundum spiritum sanctificationis*, per evidentia signa fidelibus suis impertitum; *ex resurrectione mortuorum*, quando scilicet tertia die redivivus apparuit.

Prob. altera pars. I. probabile admodum est in graeco textu lectum olim fuisse non ὁρισθέντος, sed προορισθέντος, quae vox idem est ac, *praedestinati*. Et revera ita legit Irenaeus lib. 3. cap. 18. Epiphanius Haer. 16. et Origenes lib. 2. Peri-Archon cap. 4. II. in sacris Scripturis verbum ὁρίζειν, quam saepissime sumitur pro, *praedestinare*, ut videre est Luc. cap. 22.

v. 22. Act. 2. v. 23. et Act. 10. v. 42. quibus in locis et aliis quamplurimis, ὁρίζειν idem valet, ac προορίζειν, *praedestinare*. III. non solum Scripturarum phrasi, sed apud exoticos etiam scriptores verbum, ὁρίζειν, sumitur pro *statuere*, *definire*, *praedestinare*, ut Guilelmus Budaeus erudite demonstrat. Non male itaque latini Patres in apostolica sententia legunt, *Qui praedestinatus est Filius Dei*.

SCHOLION.

Tametsi graecorum latinorumque Patrum lectio diversa sit, non proinde est contraria, nec una alteri repugnat. Neque enim repugnat ut quod ab aeterno praefinitum est et praedestinatum, in tempore declaratum ac manifestatum sit: atque idcirco graecorum latinorumque Patrum expositionem conciliando, apostolici textus sensus erit, Christum ab aeterno praedestinatum, novissimis temporibus declaratum fuisse filium Dei.

CONCLUSIO II.

Christus, verborum servato rigore, dici utique potest praedestinatus filius Dei, quidquid sentiat Durandus.

Prob. 1. ex allato Pauli testimonio in quo Christus expresse dicitur *praedestinatus filius Dei in virtute etc.* Neque enim cum Durando dicendum est Apostolum appellare Christum praedestinatum *improprie* ac lato sensu. Nam etsi graeci PP. legant, *declaratus filius*, PP. tamen omnes latini legunt, *praedestinatus filius Dei*; nec una lectio est alteri contraria, ut proxime ajebam.

Prob. 2. auctoritate Augustini qui Tract. 105. in Johan. scribit: *Quisquis igitur Dei Filium praedestinatum negat, hunc eumdem filium hominis negat*. Et de Praed. SS. cap. 15. *Qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei praecedentibus meritis natura humana quae in illo est comparavit?* Et saepe adversus Pelagianos repetit Christum caput esse omnium Praedestinatorum.

Prob. 3. manifestissima ratione ab eodem tradita Augustino. Christum factum Dei filium fuisse per unionem hypostaticam, adstruit S. Pater loco mox laudato, in lib. 1. Op. imperf. repetitque Tract. 82. in Johan. ubi declarans Christum gratis factum fuisse filium Dei, inquit: *Neque enim illam susceptionem hominis ulla merita praecesserunt, sed ab illa susceptione merita ejus cuncta coeperunt*. Quid autem est praedestinatio nisi eorum quae per gratiam fiunt in tempore, ab aeterno facta determinatio? Paucis. Ille servato verborum rigore dicitur praedestinatus de quo praefinitum est ab aeterno ut esset in tempore: Ast ab aeterno fuit praefinitum ut Christus cum assumpta humanitate diceretur et esset in tempore filius Dei: Itaque etc.

SCHOLION.

Ut recte intelligatur haec propositio, *Christus praedestinatus est filius Dei*, observandum est quodnam sit praedestinationis subjectum, et quinam terminus. Subjectum ergo praedestinationis ea in propositione est persona Verbi; non prout Verbum est et in se subsistit, hoc quippe modo nihil Christo titulo gratiae concedi potuit, sed prout subsistit in humana natura quae mera creatura quum sit, poterat a Deo unionis hypostaticae recipere gratiam. Atque hoc sensu S. P. Augustinus Tract. 105. in Johan. inquit: *Recte dicitur non praedestinatus secundum id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim praedestinaretur, cum jam esset quod erat, sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem praedestinandum erat, quod nondum erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora praedestinatum erat ut fieret*. Terminus vero illius praedestinationis fuit divina filiatio, ita ut ab aeterno decretum ac praefinitum fuerit Verbum futurum in tempore filium Dei. Non quod Verbi persona Dei non fuerit filius ab aeterno, sed quatenus Verbum cum unita sibi humanitate coepit tantum in tempore esse filius Dei. Terminus alter veluti secundarius illius praedestinationis fuit intuitiva Dei visio, et aliquo sensu etiam humana natura. Quare sit

CONCLUSIO III.

Christus praedestinatus fuit ad intuitivam Dei visionem, et humana Christi natura prout natura est, praedestinata fuit ad unionem hypostaticam, non autem ad divinam filiationem.

Prob. prior thes. pars brevissime. Christus praedestinatus fuit, eo quo hactenus diximus modo, ad divinam filiationem. Ex divina autem filiatione necessario sequitur intuitiva Dei visio, ut per se patet. Hoc eodem argumento demonstratur etiam Christum praedestinatum fuisse ut esset sacerdos, mediator, Ecclesiae caput, rex etc. profluunt namque hi tituli ab unione hypostatica, ut in sequentibus dicemus.

Prob. pars alt. prop. ex S. P. Augustino qui Ench. cap. 40. *Profecto*, inquit, *modus iste quo natus est Christus de Spiritu sancto ... insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis in ipso exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Deo copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset filius Dei qui filius hominis*.

Prob. tertia pars. Filiatio sive humana sive divina cadit in personam, nec cadere potest in naturam quae nec gignit nec gignitur; adeoque humana natura prout natura est, praedestinari ad divinam filiationem non potuit. Hinc S. Thomas 3. p. q. 24. ar. 1. in Corp. *Esse filium Dei*, inquit, *non convenit humanae naturae: est enim haec propositio falsa, Humana natura est filius Dei; nisi forte quis velit sic exponere uni-*

tatem personae, Qui praedestinatus est, ut humana natura uniretur filio Dei in persona.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Verbum divinum nequit esse aeternae praedestinationis subjectum; quoniam est filius Dei Patri aequalis ab aeterno generatione atque natura, non gratia et electione. II. multo minus subjectum praedestinationis esse potest humana natura in quam filiatio non cadit; et Apostolus eum appellat praedestinatum, *qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. III. divinum Verbum fuit ab aeterno filius Dei. Quomodo ergo praeordinari potuit per gratiam ad filiationem divinam? IV. terminus ad quem quis praedestinatur, posterior esse debet subjecto praedestinationis. Verum divina filiatio non est persona Verbi posterior etiam in humana natura subsistente. V. si admittamus aliquo sensu in Christo praedestinationem ad filiationem divinam, cogimur confiteri Christum esse filium Dei adoptivum. Si namque Christus ad divinâm praedestinatus est filiationem, jam Dei filius erit per gratiam. Talis autem filiatio est adoptiva, non naturalis: quod est contra ea quae antecedenter statuimus.

Resp. ad 1. Divinum Verbum dicimus subjectum praedestinationis non quatenus est Verbum, sed quatenus Verbum caro factum est: et sensus propositionis est, Eum qui ab aeterno est Dei filius in se subsistens, praedestinatum fuisse ut filius Dei esset etiam in assumpta humana natura; ita ut praedestinatio cadat in Verbi personam in humana natura subsistentem.

Ad 2. Totum concedendum est argumentum; quoniam quum natura nec generet nec generetur, capax non est filiationis. Recole quae paullo ante diximus.

Ad 3. respondeo divinum Verbum fuisse filium Dei ab aeterno absque humana natura, fuisse autem per gratiam praeordinatum ad divinam filiationem cum humana natura; sicque praeordinatio secundum gratiam connotat naturam humanam, non divinam personam.

Ad 4. Terminus praedestinationis non semper debet esse posterior realiter subjecto ejusdem praedestinationis, sed aliquando sufficit ut sit posterior per mentem. Hinc etsi divinum Verbum numquam revera absque divina filiatione extiterit etiam in humana natura, a primo enim instanti quo haec existere coepit conjuncta fuit hypostatice Verbo, proindeque Christus semper fuit filius Dei; nihilominus per mentem nostram concipimus prius prioritate naturae extitisse humanitatem, deinde evectam illam ad divinam fuisse filiationem. Quod in hoc recidit: Verbum videlicet divinum ab aeterno praedestinatum fuisse ut humanam in tempore naturam assumeret, cum qua subsistens, diceretur et esset filius Dei naturalis.

Ad 5. Praedestinatio ad filiationem divinam cadit tamquam in subjectum in personam divinam prout copulata est humanitati. In hanc

quoque cadit praedestinatio, sed ad unionem hypostaticam, non ad filiationem quae personae propria est, ut centies diximus, non naturae. Cumque ex hypostatica unione necessario sequatur filiatio Dei naturalis, fit ut Christi persona praedestinata fuerit ad filiationem Dei naturalem, non adoptivam. Optime S. P. Augustinus in lib. de Praed. SS. cap. 15. inquit ab aeterno decretum fuisse, *ut ille homo a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus, filius Dei unigenitus esset*.

CAPUT IV.

An Christus appellari possit et deceat, creatura, homo dominicus vel deifer, Deique servus.

Nihil familiarius Arianis fuit quam Christum Servatorem nostrum appellare creaturam. Quum enim in proloquium penes ipsos transiisset impia illa propositio, *ex non extantibus fuit*. Et, *fuit aliquando tempus quando non erat*, idque de divino Verbo quatenus Verbum est intelligerent, mirari non subit quod tam fidenter Christum appellaverint creaturam. E contra vero nemo fere ex SS. PP. Christum dicere creaturam reformidavit, nec illis exceptis qui adversus Arianos diu multumque dimicarunt, ut Athanasius, Gregorius nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, aliique. Sed arduum non est divinare discrimen quod Arianos inter illorumque adversarios sanctos Patres intercedebat, ubi utrique Christum creaturam appellabant: Ariani videlicet creaturae nomen non ad assumptam dumtaxat humanitatem, ut Sancti Patres, sed ad Verbum etiam divinum prout Verbum est referebant.

Nestoriani quoque propria habebant aequivoca vocabula ad suum incrustandum errorem: et ubi sermonem de Christi titulis instituebant, saepe illum appellabant hominem *dominicum* vel *deiferum*. Quum enim nullam aliam inter Verbum humanamque naturam agnoscerent unionem nisi moralem quae est per gratiam collationemque donorum, necessario appellare debebant Christum hominem *dominicum* vel *deiferum*, ut homo dominicus vel deifer quilibet appellari potest justus. In quo veterum PP. putabant usurpare locutiones. Sed praeterquam quod paucissimi inter catholicos tractatores inveniuntur qui Christum hominem dominicum dixerint vel deiferum, diverso plane sensu a Nestorianis nomina haec adhibuerunt.

Felix denique et Elipandus in proprii erroris patrocinium Christo Domino tribuebant titulum *servi*. Si namque, ajebant, Christus ut homo servus Dei est, nequit esse filius Dei naturalis; naturalis siquidem filiatio et servitus invicem pugnant, proindeque appellandus est filius Dei adoptivus. Ut autem de Christo ut homine servitutem enunciarent, confugiebant ad Patres atque Scripturas, non animadvertentes aut animadvertere nolentes quo sensu sacrae literae et Patres Christum Dei servum appellent. Haec omnia itaque modo exponenda sunt: proinde sit

CONCLUSIO I.

Non repugnat Christum secundum humanitatem appellari creaturam, hominem dominicum vel deiferum.

Prob. prior thes. pars 1. sacris Scripturis. Apostolus in Ep. ad Rom. cap. 1. v. 3. de Christo inquit: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Ad Gal. cap. 4. v. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Esse factum idem est ac esse creatum, ut per se patet. Cum autem Christus ut homo in sacris Scripturis dicatur factus ex semine David, factus ex muliere, factus sub lege, jure dici potest secundum humanitatem esse creaturam. II. ex PP. Hilarius lib. 12. de Trin. num. 45. *Ultimae dispensationis*, inquit, *sacramentum est, quo etiam creatus in corpore, viam se Dei operum est professus: creatus autem est in vias Dei, a saeculo, cum ad conspicabilem speciem subditus creaturae habitum creationis assumpsit*. Et num. 48. *Filius itaque suus est, qui est in homine, et ex homine factura; neque factura tantum, sed et creatura*. Athanasius Orat. 2. cont. Arian. *Dummodo*, inquit, *factum eum hominem esse concedatur, nihil sane interest si de eo dicatur, sive factus est, sive effectus est, sive creatus est*. Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 15. *Creatura nostra Dominum confitetur, caritas Patrem novit. Itaque quis ignoret quia ob caussam incorporationis hoc dicitur? In eo igitur se creatum dicit, in quo et hominem testificatur*. Hieronymus in cap. 2. Ep. ad Ephes. inquit: *Nos libere proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem, et hominem, et crucifixum, et maledictionem tota spei nostrae fiducia profitemur*. S. P. Augustinus in Ep. ad Dard. scribit: *Quod ad Verbum attinet, creator est Christus: Omnia enim per ipsum facta sunt. Quod vero ad hominem, creatus est Christus: Factus est enim ex semine David secundum carnem*. Similia habent complures alii Patres quorum testimonia vide apud Petavium. III. theologica ratione. Humanitatem Christi esse creaturam nemo sanae mentis inficiari potest. Ob idiomatum communicationem quae vel divinae vel humanae competunt naturae possunt de Christo enuntiari. Itaque de Christo prout homine, dici potest quod sit creatura.

Prob. altera pars. I. hisce nominibus appellarunt quandoque Christum ratione assumptae humanitatis sancti Patres. Nam Basilius appellat Christum hominem deiferum in Exp. Psal. 45. et 59. et in lib. de Spiritu sancto; unde Theodoretus Dial. 2. inquit: *Deiferi hominis vocabulum ... a pluribus sanctorum Patrum usurpatum non repudiamus, inter quos numerandus est Basilius M. in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium*. Eustasius antiochenus apud Gelasium in lib. de duabus naturis scribit: *Homo Deum ferens mortis passionem sponte censuit sustinere*. Athanasius in Exp. Fidei ait: *Praecursor in caelum introivit Dominicus homo*. Et apud Theodoretum Dial. 3. *Dominicus homo*, in-

quit, *nec ex morbo, nec invitus mortem subiit*. Epiphanius in Anchor. *Sic in carne passus est Christus in ipso, inquam, homine dominico, quem ipsemet effinxit de caelo veniens factus Deus, et Verbum*. S. P. Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in mont. cap. 6. *Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cum ejus Unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de caelo venerit judicaturus vivos et mortuos*. II. dummodo hominis nomine intelligatur in Christo humana natura, concreta sumendo pro abstractis ut non raro sancti Patres faciunt, non video cur nequeat Christus homo deifer vel dominicus appellari. Nonne humanitas Christi divinitatem sibi hypostatice unitam ferebat? Nonne Verbum quod subsistentiam homini Christo dedit, hoc est Christi humanitati, Deus ac Dominus erat? Potest ergo sensu non malo appellari Christus homo deifer vel dominicus.

CONCLUSIO II.

Christus secundum humanitatem potest etiam appellari Dei servus, *dummodo de servitute non legali, sed naturali intelligatur*.

Antequam propositionem hanc demonstrare aggrediamur, animadvertendum existimo duplicem ab accuratioribus Theologis distingui servitutem. Alia nimirum est servitus naturalis, alia vero legalis. Servitus naturalis est illa per quam alter alteri quoquomodo subjectus est, et servus dicitur a serviendo, hoc est obtemperando; ac potest qui ita servus est liber esse et ingenuus. Hoc modo filii servi sunt parentum, quoniam sub eorum sunt potestate; unde Eccli. cap. 3. legitur: *Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet eis*. Idque multo magis si filii non sint emancipati, ut observat Apostolus in Ep. ad Gal. cap. 4. v. 1. *Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo*. Et mulieres serviunt viris juxta illud Tullii Orat. pro Mur. *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt*. Hoc eodem sensu creatura omnis est serva Dei, quoniam ab eo dependet, eique servire tenetur et obtemperare. Servitus autem legalis definitur a Justiniano Inst. de Jure pers. lib. 4. §. 1. de statu hom. *Constitutio juris gentium qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Servi autem*, pergit Justinianus lib. 229. de verb. signif. *ex eo appellati sunt quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, non occidere solent: qui etiam mancipia dicti sunt eo quod ab hostibus manu capiuntur*. Quam nominis etymologiam tradiderat jam Augustinus lib. 19. de C. D. cap. 15. et alibi. Juxta hanc significationem servus opponitur libero et ingenuo, quoniam non sui juris est, sed alieno subjicitur dominio. Porro cum affirmamus nos Christum secundum humanitatem servum esse servitute naturali non legali, de servitute loquimur prout hactenus eam explicavimus. Itaque

Prob. 1. thes. ex sacris literis. Psal. 85. v. 16. legitur: *Da impe-*

rium tuum puero tuo , et salvum fac filium ancillae tuae . Psal. 115. v. 7. *O Domine , quia ego servus tuus : ego servus tuus , et filius ancillae tuae* . Isaiae cap. 42. v. 1. *Ecce servus meus , suscipiam eum : electus meus , complacuit sibi in illo anima mea* . Zach. cap. 3. v. 8. *Adducam servum meum orientem* . Matth. cap. 12. v. 18 digitum intendens ad Isaiae vaticinium , *Ecce puer meus* , inquit , *quem elegi* . Apostolus ad Philip. cap. 2. v. 7. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens* . Omnia autem oracula haec intelligenda esse de Christo testes sunt locupletissimi SS. PP. Nam de Christo loqui Psalmistam affirmat Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 8. De Christo accipit Zachariae vaticinium Dionysius alexandrinus in Ep. cont. Paulum samos . Atque de Christo loqui Paulum in Ep. ad Ephes. per se manifestum est . Neque enim laudata Scripturae oracula de Christo secundum divinitatem possunt interpretari , aut quod servus fuerit servitute legali quae est contra naturam . Superest ergo ut Christus secundum humanitatem dici possit servus servitute naturali , sensu a nobis exposito .

Prob. 2. ex SS. PP. Athanasius Orat. 3. cont. Arian. *Quatenus in confesso est* , inquit , *illum hominem esse factum , nihil interest si dicatur , ut et dictus est , sive esse factus , sive creatus ... sive servus , sive filius ancillae* . Gregorius nazianzenus Orat. 36. demonstrat Christum appellari posse creaturam ; tum subdit : *Cujus porro velut consectarium est , ut et servus audiat tamquam multis bene serviens , et ut magnum illi sit appellari puerum Dei . Nam revera servivit carni , et generationi , et passionibus nostris libertatis nostrae gratia* . Gregorius nyssenus in Opusc. Fidei ad Simplicium ita scribit : *Igitur et qui in utero Virginis formatus est , ut Propheta dixit , servus est , non dominus : hoc est , is qui secundum carnem homo est , in quo Deus manifestatus est* . Cyrillus alexandrinus in Resp. ad Theodoreti reprehensiones inquit : *Docebat discipulos suos se et vere esse filium et in forma servi propter carnem, quamvis secundum propriam naturam liber esset tamquam ex Deo et Deus : ita ut servi formam velut propriam obtineret propter exinanitionis modum , et ita tributorum exactoribus quod jussum erat pendebat . Quo circa si quis ipsum servum esse nominatum Prophetarum voce dixerit, offendi neminem oportet* . Theodoretus in Ezech. *Tamquam homo ipse servus est , idque secundum naturam , non secundum dignitatem* . Et infra : *Servus igitur vocatus est ut homo , et hoc , sicut dixi , non secundum dignitatem* . Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 3. *Nam et secundum generationem divinam Deo Patri aequalis est Filius : et secundum susceptionem corporis Deo Patri servus est ; quia formam servi, inquit, accepit* . Hieronymus in Isaiam : *Nec mirum si servus vocetur, factus ex muliere , factusque sub lege: qui cum in forma Dei esset, humiliavit se formam servi accipiens , et habitu inventus ut homo* . S. P. Augustinus lib. 18. de C. D. cap. 34. *Ezechiel quoque more prophetico per David Christum significans , quia carnem de David semine assumpsit, propter quam formam servi, qua factus est homo , etiam servus Dei*

dicitur idem Dei filius. Vide et Hilarium lib. 11. de Trin. aliosque complures.

Prob. 3. rationibus. I. ob idiomatum communicationem utriusque naturae proprietates attribui Christi personae debent. Naturalis autem servitus proprietas est humanae naturae, quae utpote creatura a Deo dependet, et naturali jure subjecta. Hinc Apostolus ad Gal. cap. 4. v. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*. Et in 1. ad Cor. cap. 15. v. 28. *Ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia*. II. Christus appellari potest Dominus, quoniam formam habet et naturam Dei: Ast habet quoque formam et naturam servi, dicente Apostolo ad Philip. cap. 2. v. 7. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens:* Adeoque dici etiam potest servus. III. nomina haec, *servus*, *dominus*, respiciunt naturam non personam; alioquin si domini nomen connotaret personam, quum tres sint in divinis personae, tres quoque essent in divinis Domini. Verum nonne nomina connotantia naturam enuntiari, ut diximus, de Christi persona possunt?

CONCLUSIO III.

Non decet appellare Christum Redemptorem nostrum, creaturam, hominem dominicum vel deiferum, et servum.

Prob. prior prop. pars multis argumentis. I. eo nomine Christum appellare non decet quo haeretici ad proprium firmandum errorem abutuntur, quodque ansam eis praebere potest errandi, nisi accuratissima apponatur expositio. Ast ubi fit sermo de Christo, creaturae nomine abutuntur Ariani ad propriam tuendam pertinaciam; volunt quippe Christum etiam secundum divinitatem, meram esse creaturam ex non extantibus factam: nomenque illud ansam praebere potest errandi, nisi accurata adhibeatur expositio, quod nempe creaturae nomen ad naturam referatur humanam, non ad hypostasim. Quare tutius est ab eo nomine abstinere. II. iidem SS. PP. qui Christum appellari posse affirmant creaturam, aliis in locis negant esse eo nomine nuncupandum, quum sit omnium effector atque creator. Ne itaque asseramus sibi contradixisse, credendum est docuisse, quod etsi Christus sub uno aspectu appellari possit creatura, sub alio tamen non deceat tam vili nomine eum designare. III. *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis ... Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit* etc. inquit Apostolus ad Rom. scribens cap. 8. vv. 20. 21. et 22. Porro de Christo dici non potest quod vanitati fuerit subditus, quod liberari indiguerit a servitute corruptionis, et quod sub lege peccati ingemuerit. Quapropter non decet illum appellare creaturam, nisi per longiores sermonis anfractus omnem ab humana illius natura segregemus imperfectionem.

Prob. altera pars. I. Nestorius ut duas in Christo personas adstrue-

ret, nil frequentius habebat in ore quam Christum hominem esse dominicum vel deiferum. Ut igitur omnis praecludatur Nestorianis erroris occasio ab hisce nominibus temperemus. II. ea de caussa Cyrillus alexandrinus hunc edidit anathematismum: *Si quis dicere audet Christum non esse verum Deum, sed hominem tantum deiferum ... anathema sit*. III. non solum inter Patres paucissimi appellarunt sensu a nobis superius exposito Christum hominem dominicum vel deiferum, sed has voces plerique ut improprias rejecerunt. IV. qui est dominicus non est dominus, sed ad dominum pertinens. Qui est deifer non est Deus, sed Dei veluti bajulus; atque hoc modo homo dominicus vel deifer quilibet appellari potest justus.

Prob. 3. prop. pars, Innumeri fere Patres negant Christum esse ac dici posse servum: inter quos numerandi veniunt etiam illi qui aliquo sensu, eo nempe quem supra diximus, fassi sunt Christum dici posse servum. II. non decet nominare servum quem Ecclesia Jesum Salvatorem appellat; unde Adrianus in vehementi illa Ep. quam ad Hispaniarum episcopos scripsit, inquit: *Adoptivum eum filium, quasi purum hominem calamitati humanae subjectum, et, quod pudet dicere, servum eum, impii et ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini ... illum servum nuncupare qui vos de servitute diaboli liberavit?* Eadem paullo infra repetit. III. nec decet servum appellare illum de quo Pater in sacris literis inquit, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: et, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. IV. maxima denique esset hominum ingratitudo servum nuncupare eum qui nos dignatus est non servos, sed amicos vocare: *Jam non dicam vos servos ... Vos autem dixi amicos*. Johan. cap. 15. v. 14.

COROLLARIUM.

Si quando ergo SS. PP. negant Christum esse creaturam, vel de Christo prout Verbum est loquuntur agentes contra Arianos Servatorem nostrum ad creaturarum sortem detrahentes, vel supponunt *Christi* nomen accipi non pro humana natura, sed pro hypostasi: quo in casu falsa est haec propositio, *Christus est creatura*. Vel etiamsi nomen, *Christus*, supponat pro humana natura, non decet adhuc creaturam dicere eum per quem facta sunt omnia.

Similiter ubi PP. et certe plerique sunt, affirmant non dici Christum hominem dominicum vel deiferum, intelligendi sunt quod loquantur contra Nestorianos voces illas in pravum sensum detorquentes; vel quod in ea propositione, *Christus est homo dominicus vel deifer*, vox, *homo*, supponat pro hypostasi, non pro humana natura; vel denique quod eo nomine non deceat vocare Servatorem nostrum quod justis omnibus est commune.

Idem dicendum de Patribus illis qui vetant Christum appellandum esse servum: vel enim agunt contra Felicem et Elipandum nomen illud

arripientes ad nestoriana portenta renovanda; vel putant enunciari de Christo servitutem secundum hypostasim, non secundum humanitatem; vel denique quoniam existimant eo titulo designari Christum qui Dominus est Deique Unigenitus et verus Deus, qui nos a daemonis liberavit servitute. Haec recte assecutus SS. PP. testimonia quae contra statutas a nobis theses opponi solent, facillime quis explicare potest.

CAPUT V.

An haec propositio, unus de Trinitate passus ac mortuus est, *vera sit et orthodoxa.*

Propositio haec, *secunda de S. Trinitate persona secundum carnem passa ac mortua est*, vera plane est atque catholica. Nam hac propositione statuitur non Patrem, ut Patripassiani, neque Spiritum sanctum, ut Manichaei delirabant, sed Filium qui est secunda Trinitatis persona, passum esse ac mortuum; et quidem secundum humanam naturam, ut Catholici docent, non secundum divinitatem, quae blasphemia est Arianorum; neque in una natura ex duabus confusa atque permixta, quae est haeresis Eutychianorum. Ast haec propositio, *unus de Trinitate passus ac mortuus est*, non est adeo clara atque perspicua ut haereticum pati non possit sensum. Quum enim subjectum simpliciter enuntietur, per τὸ *unus*, posset quis cum Arianis et Apollinaristis unam intelligere de Trinitate personam in propria natura passam fuisse ac mortuam; vel certe cum Eutychianis existimare passam fuisse unam de Trinitate personam in natura ex humana atque divina confusa et permixta; ne dicam induci eadem propositione posse errorem quoque Patripassianorum ac Manichaeorum, quum subjectum illius sit indeterminatum nec exprimat an ad Patrem vel Filium vel Spiritum sanctum referatur.

Et posse quidem eam propositionem ad eutychianum inflecti haereticum sensum ostendit rei eventus. Nam anno circiter 451. tempore scilicet Chalcedonensis concilii, Dorotheus et Carosus monachi Eutychetis sectatores, quod S. Proclus C-P. contra Theodori mopsuesteni seu Nestorii discipulos asseruerit, approbante etiam Johanne Antiochiae antistite, *unum de Trinitate incarnatum*; arrepta inde occasione pleno ore clamabant credere se in Christum, *Hunc*, addentes, *ex Trinitate esse fatemur: credimus ergo illum passum ex Trinitate esse*. Narrat id Dioscorus Hormisdae Legatus in Ep. seu suggestione ad eumdem Pontificem.

Eadem usus est animi vafritie Petrus Gnaphaeus seu Fullo antiochenae sedis invasor, secta et ipse eutychianus; sub Procli nempe C-P. pulchriori larva haereticam occulere tentavit turpitudinem, addens Trisagio: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis*, appendicem illam, *qui passus es pro nobis*, subintelligens, *in natura deitatis* quae naturam humanam penitus absorbuerit, ut Felix 3. in Ep. ad Zenonem Augustum testatur, dicens: *Ajebat Fullo unum de Trinitate passionem pro nobis*

pertulisse in substantia deitatis. Fullone vita functo impietatem ejus renovavit Anastasius Augustus Zenonis successor, qui teste Victore turonensi in Chronico, synodum congregavit in qua damnati sunt Diodorus tarsensis, Theodorus mopsuestenus, Theodoretus cyrensis, *aliique ceteri qui in Christo duas praedicabant naturas duasque formas, et qui non confitentur unum de Trinitate crucifixum*. Percusso ab improviso fulmine Anastasio, successit ei Justinus militum praefectus, qui utpote maxime orthodoxus religioni reparandae catholicae operam illico dedit, in primisque acacianum schisma comprimere curavit. Quamobrem literas ad Hormisdam R. P. dedit, a quo quinque missi sunt ad Imperatorem C-P. Legati, Germanus videlicet Capuae, ac Johannes episcopi, Blandus presbyter, Felix diaconus, et Dioscorus in Alexandrina ecclesia ordinatus ac graecae linguae peritissimus. Horum opera pax orientalem inter ac occidentalem ecclesiam inita est die 31. Martii an. 519. Verum pacis serenitas a Pontificis Legatis allata, obumbrari statim coepit a monachis quibusdam scythis qui ante romanos Legatos ad imperialem urbem advenerant ut caussam, nescio quam, contra paternum Scytharum Metropolitanum dicerent coram Johanne patriarcha C-P. Hi paullo ante Legatorum adventum, acrem habuerant cum Victore quodam diacono, *de uno de Trinitate crucifixo, et de Christo composito, et de aliis capitulis disceptationem*, nempe de gratia et libero arbitrio juxta mentem Augustini adversus libros Fausti rejensis. Sed quoad Incarnationem controversiae summa haec erat, an effatum illud, *unus de Trinitate passus ac mortuus est*, tamquam necessarium supplementum Chalcedonensi synodo esset adjiciendum. Negabat id licitum esse Victor diaconus ne ansa praeberetur Eutychianis. Monachi scythae affirmabant ad reliquias extinguendas Nestorianorum. Legati Romani Pontificis coram Johanne C-P. patriarcha reposuerunt: *Quod non est in quatuor conciliis definitum, nec in epistolis B. Papae Leonis, nec nos dicere possumus nec credere*. Caussa proinde ad Hormisdam delata est, quem monachi scythae convenerunt. Sed quum quaestiones hujusmodi in Occidente ignotae essent, Summus Pontifex prudentissime decrevit caussae illius cognitionem ad Legatorum reditum esse differendam. Annuerunt initio monachi, sed diuturnioris in Urbe morae impatientes ac dissidiorum amatores, a longinquis episcopis suppetias advocarunt, ac denique ex Urbe clam discesserunt, spreto Hormisdae praecepto quo sub libera custodia eos detineri jusserat usque ad Legatorum ex Oriente reditum. Quae in caussa fuere ut S. Pontifex acriter admodum in eos animadverteret in Ep. ad Possessorem africanum episcopum exulem C-P. commorantem. Inconsulta haec scytharum monachorum agendi ratio occasionem praebuit eruditis non paucis, quos inter principem locum obtinet cl. Annalium parens Baronius, suspicandi deterritos eos fuisse ab Eutychetis erroribus, contrarium tamen tuentibus rerum antiquarum peritioribus.

Sed ut controversiae hujus historicam prosequamur narrationem, an. 527. cum solus regnare coepisset Justinianus imperator, insignem ad Jo-

hannem II. Rom. Pont. misit legationem ut contra monachos acoemetas haereticos nestorianos illorum monachorum scytharum, de quibus diximus, aemulatores, inter fidei definitiones propositionem referret, *unus ex Trinitate passus et crucifixus est*. Honorifice admodum excepti sunt a Romano Pontifice Legati Imperatoris, et synodo coacta, non modo definivit *unum ex S. Trinitate Christum esse*: sed praeterea monachos acoemetas qui Romam ad dicendam caussam advenerant, ecclesiastica communione privavit tamquam haereticos nestorianos. Atque haec est, ut ita dicam, fortuna quam celebre illud effatum antiquitus subiit.

Interea ex hactenus narratis apparet propositionem illam, *unus de Trinitate passus ac mortuus est*, posse ab hominum malitia ad haereticum sensum detorqueri, quamvis secundum verba in se spectata, vera sit et orthodoxa. Duo itaque hoc in capite statuemus, 1. propositionem illam, *unus de Trinitate passus*, veram esse atque catholicam, in quo consentientes habemus theologicarum rerum tractatores omnes. 2. monachos scythas imprudenter quidem ac tumultuose se gessisse, immunes tamen fuisse ab haeresi eutychiana, contra quam sentiant complures eruditi. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Propositio haec, unus ex Trinitate passus est ac mortuus, *est propositio omnino catholica*.

Prob. 1. ex sacris literis. Apostolus ad Rom. cap. 8. de Deo inquit: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Idem in Ep. 1. ad Cor. cap. 1. *Nos autem praedicamus Christum crucifixum ... Dei virtutem, et Dei sapientiam*. Duo haec Pauli testimonia speciminis ergo dedimus. Ceterum innumera sunt sacrarum literarum oracula in quibus Christus crucifixus, Dei filius, Verbum Dei, Unigenitus Patris etc. appellatur. Vide quae superius a nobis tradita sunt adversus Nestorianos aliosque haereticos. Ast Dei filius, Verbum Dei, Unigenitus Patris etc. nonne est unus de Trinitate?

Prob. 2. ecclesiasticis definitionibus. Johannes II. Rom. Pont. per legatos Imperatoris Hippasium ac Demetrium interrogatus, *Utrum unus ex Trinitate Christus Deus noster dici possit, hoc est, una de tribus personis sanctae Trinitatis sancta persona*, convocato Romae synodali conventu respondit, *unum ex S. Trinitate Christum esse*. Et paullo post repetit, *Atque igitur Christum Dominum nostrum unum esse, ut saepe diximus, sanctae Trinitatis ex duabus naturis cognoscendum* etc. Tum monachos acoemetas contrarium pronuntiantes tamquam nestorianos rejicit, et ab ecclesiastica removet communione: *Acoemetas vero qui se monachos dicunt, qui nestoriani evidenter apparuerunt, Romana eos damnat Ecclesia*. Justinianus idem imperator iterum ab Agapito Johannis II. successore petiit quid de ea propositione, *unus de Trinitate passus etc.* sentiret, et Agapitus in Ep. testatur se illam tamquam ple-

ne catholicam amplecti atque recipere. Pelagius I. in Ep. ad Childebertum latam ab illis duobus Pontificibus praedecessoribus suis definitionem amplectitur atque confirmat. Hoc idem praestitit et Agatho Papa cujus Epistolam V. generale Concilium approbavit action. 4. in cujus can. 10. haec ad rem nostram occurrunt: *Si quis non confitetur D. N. J. C. qui crucifixus est carne, Deum esse verum et Dominum gloriae, et unum de S. Trinitate, talis anathema sit*. Eadem propositio consecrata subinde fuit a Patribus Synodi VI. action. 4. et 18. ac Synodi VII. action. 3. Vide ecclesiasticas alias definitiones apud Petavium lib. 1. cap. 18. et lib. 2. cap. 2. et 3. nec non Norisium nostrum in peculiari de hoc argumento dissertatione.

Prob. 3. ex SS. PP. S. Proclus C-P. apud Maxentium damnat Nestorianos, *Quia et unus est qui de Trinitate passus est, et Trinitatis natura impassibilis mansit*. Ac subinde: *Si autem quod incarnatum est, crucifixum est: Pater autem et Spiritus sanctus non est crucifixus: unus ergo de Trinitate est crucifixus. Divinitatem vero qua communicat Patri et Spiritui sancto, servavit impassibilem*. S. P. Augustinus Ench. cap. 38. unam Trinitatis personam appellat Unum trium, dicens: *An et quando Unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur*? Et lib. de Dono Persev. cap. 24. de duabus loquens Christi naturis inquit: *Ita ut qui suscepit, et quod suscepit, una esset in Trinitate persona*. S. Fulgentius in lib. de Fide ad Petrum unum ex monachis scythis cap. 12. scribit: *Firmissime tene, et nullatenus dubites unam ex Trinitate personam, idest, Deum filium, qui de natura Dei patris solus natus est ... Verbum carnem factum*. Et in lib. de Incar. cap. 10. *Una ex Trinitate persona, Christus Dei filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus, et natus est de ventre Virginis matris*. His accedunt Ferrandus diaconus in Ep. ad Anatolium, Dionysius Exiguus Praes. in Ep. Pauli, Facundus hermianensis lib. 1. de tribus capitulis, qui citatis in locis non affirmant modo, sed argumentis pluribus demonstrant effatum illud, *unus de Trinitate passus*, catholicum esse et orthodoxum.

Prob. 4. ratione. Si qua caussa esset cur admitti illa propositio non debeat, maxime esset quod ad nestorianum vitandum errorem in haeresim incidimus eutychianam. Verum propositio illa recte intellecta nestorianam eutychianamque impietatem ex aequo refellit. Et primo haeresim refellit nestorianam. Nam si ille qui crucifixus ac mortuus est, unus dici debet de Trinitate, igitur humana divinaque in Christo natura unam in Christo constituunt personam. Sed impetit etiam Eutychianos. Hi namque affirmantes passum Christum fuisse in natura deitatis, affirmare consequenter tenentur totam passam fuisse Trinitatem, quum natura tribus sit communis personis. At qui passum unum de Trinitate tenet, jam non totam Trinitatem affirmat fuisse passam. Neque dici potest locutionem illam aliquo sensu favere Arianis, tum ob allatam proxime rationem, quia scilicet divinitas toti communis est Trinitati; tum maxime quod τὸ *Unus*, si absolute ponatur, proprie significat personam; quum ad exprimendam

naturam vox, *unum*, in neutro genere, vel *unus*, cum addito naturam denotante adhiberi soleat, ut, *unus Deus*, *unus Dominus* etc. Multo minus pronunciato illo, haeresis induci potest Apollinaristarum asserentium passam in Christo fuisse loco animae divinitatem. Proloquium quippe illud significat unum de Trinitate passum fuisse ac mortuum secundum carnem anima praeditam rationali, carnis nomine perfectam humanitatem intelligentes; ut et Johannes, dum inquit, *Verbum caro factum est*.

CONCLUSIO II.

Monachi scythae imprudenter quidem ac tumultuose se gesserunt, attamen ab eutychiana labe immunes omnino fuerunt.

Prob. 1. thes. pars ex iis quae initio capitis de horum monachorum inconsulta agendi ratione narravimus. Neque enim Hormisdae Summo Pontifici, ut spoponderant, obtemperarunt quo Legatorum reditum expectarent. Antequam controversiam S. Pontifex ad quem ipsi appellaverant definiret, longinquos episcopos ad proprias trahere partes conscriptis libellis procurarunt. Provocarunt denique ad principum auctoritatem, populum romanum inopportunis clamoribus concitare conati sunt, et inscio Summo Pontifice Roma se subduxerunt. Nonne isthaec agendi ratio inconsulta est, imprudens, temeraria ac tumultibus plena?

Prob. alt. prop. pars ex ipsis scytharum monachorum verbis. Johannes Maxentius inter illos monachos insolentissimus, in profes. fidei quam omnium nomine edidit, quaeque legitur tom. IV. Bibl. PP. ita scribit: *Nos Deum Verbum unigenitum filium Patris D. N. J. C. qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis unius divinitatis esse credimus*. Paullo post addit, *Unum ex Trinitate esse Christum qui pro nobis passus est carne*. Et in 4. anathematismo, *Si quis*, inquit, *non acquiescit confiteri Christum unum de Trinitate etiam in carne propria qui pro nobis passus est in carne, quamvis secundum carnem non sit de substantia Trinitatis, anathema sit*. Petrus diaconus et ipse de monachis scythis unus, et quidem doctissimus, in lib. de Incarn. ad episcopos Africae in Sardinia exules cap. 4. scribit: *Hac de caussa Trinitas etiam post Incarnationis mysterium, Trinitas mansit, quia idem Deus Verbum, etiam cum propria carne unus est ex Trinitate: non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est unus ex Trinitate ... Quapropter et Deum Verbum passum carne, et crucifixum carne, sepultum carne, secundum B. Cyrillum profitemur, dicentem: Si quis non confitetur Deum Verbum passum carne, crucifixum carne, et mortem carne gustasse ... anathema sit*. Conferatur modo doctrina haec cum illa Eutychianorum. Hi affirmabant unum de Trinitate passum in substantia deitatis, non carne quam in Incarnatione a divinitate absorptam autumabant. Scythici monachi e contra docebant unum de Trinitate passum, non in substantia deitatis, sed carne, ut ex recitatis ap-

paret. Absque injuria ergo nequeunt hi monachi eutychianis haereticis accenseri. II. episcopi africani quorum os et lingua erat ruspensis antistes S. Fulgentius, accepto Petri diaconi libello in quo quae hactenus recitavimus legebantur, ita respondent lib. de Incarn. cap. 1. *Vestram simul alacres et fidem cognovimus et salutem, immo in agnitione fidei vestrae nostra salus innotuit*. Illa eadem propositio inter fidei definitiones relata fuit a Johanne II. instante Justiniano Augusto, et in Ep. ad Avienum et Liberium senatores illud idem confirmat: quod ab aliis quoque Romanis Pontificibus factum est. Nemo sane dixerit aut africanos Patres aut Summos Pontifices eutychiana fuisse tinctos fuligine. III. Dioscorus alexandrinus qui, ut diximus, legatione pro Romano Pontifice fungebatur C-P. quamvis satis adverso animo esset erga monachos scythas, in suggestione nihilominus ad Hormisdam eos novitatis quidem, impudentiae, ac temeritatis, non autem haereticae accusat pravitatis. Haec enim recitat monachorum verba: *Nos synodum Chalcedonensem suscepimus: hoc speramus, ut jubeatis eam nobis exponi, quia non sufficit sic, quomodo est exposita, contra haeresim nestorianam*. Justinianus in Ep. ad Hormisdam testatur monachos illos asseruisse semper unum de S. Trinitate passum fuisse carne. Hormisdas ipse in Ep. ad Possess. notat illos temerariae novitatis, contumaciae, superbiae, inobedientiae, non vero haeresis eutychianae. Concludendum propterea non fuisse illos eutychiana labe infectos.

Adversariorum argumenta eliduntur.

Obj. 1. cont. 1. thes. Propositio illa, *unus de Trinitate passus est*, damnata fuit in concilio Chalcedonensi, ut patet ex Dioscoro ad Justinum imperatorem Legato, et Tripholio, affirmantibus propositionem illam in Chalcedonensi synodo fuisse revera proscriptam, quod in ore Dorothei et Carosi eutychianorum versaretur. II. et revera si ea propositio catholica esset, chalcedonenses PP. inserere illam debuissent fidei definitionibus; maximi quippe ponderis fuisset ad refellendos Nestorianos quorum non pauci erant in concilio. III. si catholica est ea propositio, catholica quoque fuerit additio illa a Petro Fullone facta Trisagio, *Qui crucifixus es pro nobis*. Haec autem damnata fuit a Felice III. Romano Pontifice. IV. hinc orientales episcopi *henotico* Zenonis subscribere renuerunt, quoniam legebatur ibi, *Trinitas mansit Trinitas, incarnato uno de S. Trinitate Dei Verbo*.

Resp. ad 1. Dioscorum Romani Pontificis Legatum numquam affirmasse propositionem illam a Chalcedonensi synodo fuisse damnatam, sed ait dumtaxat usurpatam fuisse a Dorotheo et Caroso haereticis eutychianis: qui certe damnati sunt non quod faterentur *unum de Trinitate passum*, sed quoniam id pronunciabant in sensu eutychiano. En Dioscori verba in Suggest. ad Hormisdam: *Istud et Eutychetis discipuli in synodo Chalcedonensi proposuerunt*. Tripholium quod spectat, videtur is parum in hac controversia exercitatus, ut ex frigidis illius objectionibus quas paullo post

referemus deprehendi potest. Illud firmum ratumque sit, Dorotheum et Carosum damnatos utique in Chalcedonensi concilio fuisse, sed quod eutychiani essent, ajebant enim de Eutychete, *orthodoxus est homo*, *et fit ei calumnia*; et quod sub obtentu defendendae a Proclo prolatae olim propositionis docerent unum de Trinitate in natura deitatis passum ac mortuum fuisse. Ceterum tantum abest eam propositionem absolute prolatam a Concilio fuisse rejectam, ut Facundus hermian. in lib. 1. cap. 3. de trib. cap. Ephremius antiochenus et Vigilius Papa crediderint laudatam synodum approbando tomum seu epistolam Procli ad Armenos, consecraverit tamquam fidei dogma pronunciatum illud, *unus de Trinitate* etc. quamvis ego existimaverim Procli epistolam summis laudibus exceptam a Concilio fuisse, quod in ea damnaretur Theodorus mopsuestenus, ut narrat Liberatus in Breviario cap. 10. Vide cl. Norisium.

Ad 2. Noluerunt chalcedonenses Patres effatum illud suis inserere definitionibus, propterea quod eo abutebantur Eutychiani contra quos praecipue coactum Concilium fuerat: quemadmodum antiquitus antiocheni Patres non approbarunt vocem ὁμοούσιον, quamvis summe orthodoxam, quoniam abutebantur ea Samosatenses.

Ad 3. Damnata fuit additio facta Trisagio non absolute, sed in sensu Fullonis. Quo autem sensu is clausulam illam Trisagio addiderit, ac proinde quo sensu fuerit a Felice III. damnata, jam dictum est supra, et luculenter declarat idem S. Pontifex in Ep. 2. ad ipsum Fullonem his verbis: *Etenim alias dixisti Trinitatem pro nobis esse crucifixam, non autem Christum: alias immortalem spiritum, Manichaei secutus errores: alias vero hujusmodi liberatus opinionibus Christum post immortalem spiritum passionem sustinuisse dixisti*, *non aliter ac Paulus samosatenus et Nestorius, qui unum filium in duos partiuntur*. Hic est sensus quo in Fullonis ore clausula illa damnata est. Ceterum si ea additio ad unam dumtaxat, videlicet secundam Trinitatis referatur personam, catholica proculdubio est et orthodoxa. Hinc Calendio tertius a Fullone antiochenus antistes ut populum ei additamento assuetum ab errore revocaret, Trisagium cum clausula Fullonis canebat, addens tamen, *Christe rex qui crucifixus es pro nobis* etc. Et Epiphanius vir insigniter catholicus apud Photium totum Trisagium de solo Christo intelligens, canebat in Ecclesia sua: *Qui crucifixus es* etc.

Ad 4. dico noluisse orientales Zenonis *henotico* subscribere quoniam tria tantum in eo nominabantur Concilia, omisso in gratiam Eutychianorum Chalcedonensi, et quia ad Imperatorem non pertinet dogmata fidei definire. Hinc Zeno apud nonnullos tamquam haereticus audiit.

Obj. 2. cum Tripholio de quo supra. I. si qui dicunt unum de Trinitate passum, non sunt Ariani, dicant de quibus tribus unus passus est, de tribus Patribus, de tribus Filiis, aut de tribus Spiritibus sanctis. II. Apollinarius negat Christum animam et intellectum habuisse, et pro anima et intellectu inquit, *Deus ei fuit*; ideo dicit unum de Trinitate passum carne. III. Trinitas et unus de Trinitate quatuor sunt, sicut dicit

Nestorius; filius Mariae associatus est filio Dei, et factus est communis Trinitati, et passus est unus de Trinitate. IV. sicut Eutyches commiscet naturas Dei et hominis, et jam nec Deus nec homo, nec Pater nec Filius nec Spiritus sanctus, sed est ille unus de Trinitate. Quatuor alia habet Tripholius argumenta adeo insulsa, ut indigna commemoratione adeoque et solutione videantur.

Resp. ad 1. de tribus personis Patre nimirum Filio ac Spiritu sancto passum esse Filium non quidem in natura deitatis, ut Ariani comminiscuntur, sed in carne quam in tempore assumpsit. Consimili Tripholii interrogationi ita respondit olim S. P. Augustinus Tract. 39. in Johan. *Non mihi calumniator respondeat, Quid ergo tres? Si enim tres, ait, oportet dicas quid tres. Respondeo. Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ecce, inquit, tres dixisti, sed quid tres exprime. Imo tu numera: nam ego compleo tres, cum dico Pater et Filius et Spiritus sanctus.* Interim inquirens Tripholius quis ex tribus Patribus aut ex tribus Filiis aut ex tribus Spiritibus passus sit, supponit novem esse in divinis personas. Interrogare potius debuerat an ex tribus personis Pater passus sit vel Filius vel Spiritus sanctus. Sed Tripholius erat rerum theologicarum penitus ignarus.

Ad 2. Hoc est inter nos et Apollinaristas discrimen in illa admittenda propositione, *unus de Trinitate passus est*, quod hi passionem Verbo tribuant divino quatenus vices animae gerebat in Christo; nos vero affirmemus unum de Trinitate passum in carne, intelligentes carnis nomine perfectam humanitatem ex corpore et anima compositam. *Quia nimis stultum est carnem sine anima a Judaeis credere crucifixam, restat ut caro animata Dei a Judaeis crucifixa credatur, quod est proculdubio homo*. Ita Maxentius lib. 2. Dial.

Ad 3. respondeo cum Ferrando diacono in Ep. ad Anatol. cap. 16. *Hoc ergo dicit qui unum de Trinitate passum dicit: non est quarta persona qui passus est, sed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei filius impassibilis secundum divinitatem, per susceptionem naturae passibilis passioni subjacuit.*

Ad 4. Eutychiani proprium errorem allata propositione tuebantur, quatenus τὸ *unus* ad naturam referebant divinam quae humanam absorbuerit; Catholici autem τὸ *unus* referunt ad secundam Trinitatis personam prout assumpta carne, hoc est humanitate, in ea passus est. Atque ita ab omni errore immunis est propositio illa etiam absolute ac simpliciter pronuntiata.

Obj. 3. cont. 2. prop. discipuli praesertim Ludovici Molinae, quibus admodum displicet monachos scythas existimasse tamquam multis haeresibus scatentes libros Fausti rejensis, quos damnari ac confutari curarunt a S. Fulgentio ruspensi episcopo, quae tamen confutatio temporum injuria periit, de qua revise Norisium. 1. itaque monachi scythae, inquiunt, a pontificiis Legatis C-P. degentibus rejecti fuerunt tamquam eutychiani. Quod ex illorum suggestione ad Hormisdam in fine luculenter apparet,

ubi sic legitur: *Et qua solet Dominus noster vigilantia, cogitetis et quomodo suspendendi sunt, quia a nobis taliter recesserunt, et a nostra communione fuerunt sejuncti etc. quia eos omnes C-P. exhorret ecclesia*. Porro qui suspendendi sunt et horrori a catholica Ecclesia habentur, nonne sunt haeretici? II. et adeo verum est pontificios Legatos monachos illos habuisse tamquam haereticos, ut summus Pontifex haec de illis ad Possessorem scripserit: *Nunquam apud eos caritas novo commendata praecepto, numquam pax dominico relicta discessu, una pertinacis cura propositi rationi velle imperare non credere, contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quaestionum ... eousque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternae, si suae viderint cedere nolle sententiae*. Characteres hac in epistola descripti nonnisi haereticis competere sane possunt. III. accedit denique quod hi monachi Hormisdae epistolam conviciis maledictisque proscindere ausi sunt: quod ut liberius facerent, epistolam illam Hormisdae esse negarunt.

Resp. ad 1. Pontificii Legati scythicos monachos redarguerunt dumtaxat ob inconsultam temeritatem et quod novitatis atque dissidiorum essent amatores, non quod haeretici essent. Eo namque audaciae devenerant ut a Legatorum se subduxerint communione, quamvis nil aliud illi decreverint nisi nihil addendum esse concilii Chalcedonensis definitionibus. Ita enim se respondisse scribunt ad Hormisdam coram Imperatore et senatu, monachis scythis petentibus addi ad synodum Chalcedonensem propositionem, *unus de Trinitate* etc. *Extra synodos quatuor, extra epistolas Papae Leonis nec dicimus nec admittimus. Quidquid non continetur in praedictis synodis, aut quod non est scriptum a Papa Leone non suscipimus*. Et rursus: *Nobis quod visum est scripsimus, in vestra libertate est deliberare quod vobis Deus imperaverit*. Allata autem in argumento verba significant tantum monachos scythas a Legatorum communione absque ulla rationabili caussa se submovisse, non vero eadem communione a Legatis fuisse privatos: quamvis ea communionis privatio mera fuerit ex parte monachorum dissociatio, sermonis videlicet eulogiarum aliorumque societatis signorum intermissio, non vero ab Ecclesiae corpore separatio, quum nullum intercesserit anathema vel interdictum vel dirarum ulla imprecatio. Nec quemquam movere debet phrasis illa, *Quomodo suspendendi sunt* etc. quoniam praeterquamquod in Cod. Vaticano num. 3786. ut observavit Norisius legatur, *quomodo suscipiendi sunt*; adeo tumultuarie et imprudenter monachi illi se gesserant abstinendo se nulla interveniente supremo judicis sententia a Legatorum communione, ut merito haberi potuerint non quidem ut haeretici, sed ut pacis infractores atque schismatici. Hac de caussa non quod eutychiani essent exhorruit eos C-P. ecclesia; nisi forte Dioscori phrases sint exaggeratae, averso enim animo erat ab illis monachis.

Ad 2. Imo quae Hormisdas ad Possessorem scripsit, aperte demon-

strant fuisse quidem scythas monachos inconsultae temeritatis, imprudentiae, audaciaeque reos, non autem haereticae pravitatis. Nam si haeretici fuissent, eos haereticos utique Hormisdas appellasset.

Ad 3. Non omnes scythici monachi, sed solus Johannes Maxentius qui se abbatem nominat, stilum contra Hormisdae epistolam insolentissime acuit. Neque tamen ex eo infertur eumdem Maxentium fuisse haereticum, sed ad summum schismaticum. Nam haeretici Romani Pont. judicio aperte contradicunt; Maxentius autem negavit judicium ab Hormisda fuisse latum. Haeretici ajunt Romanum Pontificem nisi in eorum descendat opinionem, a fide aberrare; Maxentius vero numquam posse ajebat Rom. Pont. a fide catholica deviare. Ubi ergo est inter haereticos ac monachos scythas similitudo? Vide Norisium saepe laudatum.

CAPUT VI.

De Christi Domini sacerdotio.

Quamvis nullus hactenus, quem sciam, in dubium revocaverit Christum fuisse sacerdotem, nimis enim aperte continetur id in Scripturis, multi tamen circa modum et tempus sacerdotii Christi turpissime errarunt. Ariani siquidem autumantes Christum qua Verbum est, inferioris esse ordinis a Patre, affirmabant proinde fuisse sacerdotem secundum divinitatem, non ratione humanae naturae. Origenes prava imbutus opinione, ut testis est Hieronymus Ep. 59. ad Avitum de reditu corporum in nihilum, existimavit extinguendam esse aliquando etiam Christi humanitatem, atque idcirco futurum tempus in quo Christus non erit amplius sacerdos. Hoc idem Marcellus quoque ancyranus docuit, tempus sacerdotii Christi ad hoc restringens saeculum usque ad extremam judicii diem, quando tradet se regnumque suum Patri: de quo legendus Eusebius lib. 3. de eccl. Theol. Sociniani censent tum primum Christum constitutum fuisse sacerdotem apud Patrem ad interpellandum pro nobis, quando in caelum assumptus est: idque ut sacrificium a Christo in ara crucis pro nobis oblatum, fuisse redemptionis nostrae lytrum ac pretium facilius negarent. Calviniani denique ut errorem contra realem Christi in Eucharistia praesentiam tueantur, fatentur quidem Christum fuisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech ob multas ab Apostolo traditas in Ep. ad Hebr. cap. 7. rationes, inficiantur tamen sacerdotem dici secundum ordinem Melchisedech, quod in oblatione panis ac vini a Melchisedecho facta praefiguratum fuerit sacratissimum Eucharistiae sacramentum.

Catholici e contra unanimi consensione docent 1. Christum fuisse sacerdotem, in quo neminem experiuntur adversarium. 2. fuisse sacerdotem secundum humanam naturam hypostatice conjunctam divinitati. 3. inauguratum fuisse sacerdotem a primo conceptionis instanti. 4. sacerdotium ejus perduraturum post judicii diem in aeternum. 5. fuisse denique sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quod in panis ac vini oblatione praefiguratum fuerit Eucharistiae sacramentum. Unde sit

CONCLUSIO I.

Christus revera sacerdos fuit secundum humanitatem hypostatice unitam divinitati.

Prob. prior prop. pars 1. ex Scripturis. Psal. 109. legitur: *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*: quae verba intelligi de Christo testatur Apostolus in Ep. ad Hebr. cap. 5. v. 5. dicens: *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*. II. ex Traditione quae constanter ac perpetuo credidit Christum fuisse sacerdotem. Plura Patrum testimonia dabimus paullo inferius. III. ratione. Ut quis veri nominis sit sacerdos, tria juxta B. Thomam requiruntur. 1. ut divina doceat populum. 2. ut populi vota ac preces ad Deum deferat. 3. ut offerat sacrificia. Jam vero tria haec explevit Christus; populo nempe tradidit divina juxta illud Johan. cap. 17. v. 16. *Notum feci eis nomen tuum, et notum faciam*. Populi vota et preces detulit ad Deum, ut Johan. in 1. Ep. cap. 2. v. 1. inquit: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*. Sacrificia denique pro nobis obtulit, scribente Paulo in Ep. ad Hebr. cap. 9. v. 12. *Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta*.

Prob. altera thes. pars. 1. non fuit Christus sacerdos secundum solam divinitatem. Nam qui est sacerdos, inferioris esse debet conditionis ab eo penes quem pontificatum exercet, ut ex sacerdotis muneribus supra recensitis patet. Christus vero ratione divinitatis non est inferioris a Patre conditionis, quum sit ei consubstantialis. II. neque sacerdos fuit ut merus homo: sacrificium siquidem ab eo oblatum infiniti fuit valoris; vere enim per illud a daemonis nos redemit servitute, pro peccatis nostris perfecto modo satisfecit Patri, ad quae purus homo non sufficit.

CONCLUSIO II.

Christus inauguratus fuit sacerdos in primo suae conceptionis instanti, et sacerdotium ejus perdurabit in aeternum.

Prob. prima pars. Tunc Christus inauguratus fuit sacerdos, quando a Patre missus est ad seipsum offerendum in cruce cruentum pro peccatis nostris sacrificium, atque ad offerendum item seipsum pro nobis sacrificium incruentum in Eucharistia; duo enim haec sunt munera sacerdotis. Ast vero Christus ad duo haec obeunda munera missus intelligitur a primo suae conceptionis instanti in utero Virginis; tunc quippe dixit ei Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quae verba de Christi accipienda sunt sacerdotio, ut Apostolus docet ad Hebr. cap. 5. v. 7. 11. Si Christus inauguratus fuisset sacerdos cum primum ascendit in caelum,

ut Sociniani delirant, ipse minime nos in ara crucis redemisset. Redemit autem per sanguinem suum a peccatis nostris, et quidem in ara crucis in qua fuit pro nobis sacrificium et victima: dicente Apostolo in Ep. ad Ephes. cap. 5. v. 2. *Sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis*: qua sententia et sacrificium et sacerdos sacrificium offerens exprimitur ac designatur ipse Christus. Nam προσφορά, *oblatio*, et rem oblatam et offerendi significat actum: quod clarius adhuc explicat in Ep. ad Hebr. cap. 7. v. 27. de Christo scribens: *Hoc enim fecit semel* (in ara scilicet crucis) *seipsum offerendo*.

Prob. altera pars. Psal. 109. de Christo dicitur: *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*: quae verba de Christi dicta esse sacerdotio affirmat Apostolus ad Hebr. cap. 5. ut supra monuimus. II. sacerdotium Christi resultat ex hypostatica inter divinam humanamque naturam unione; ac ideo quamdiu unio hypostatica stabit, tamdiu Christus erit sacerdos; numquam enim dimisit aut dimittere potuit quod semel assumpsit. Hypostatica autem unio stabit in aeternum, ut in superioribus demonstravimus. Quare illius quoque sacerdotium perdurabit in aeternum.

CONCLUSIO III.

Christus est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, quod in hujus oblatione panis et vini praefiguratum Eucharisticum fuerit sacramentum.

Prob. 1. Christus, ipsis fatentibus Calvinistis, est sacerdos secundum ordinem Melchisedech; hoc est, sacerdotium Melchisedechi figura sacerdotii Christi fuit. Ast non aliam ob caussam sacerdotium Melchisedechi Christi praefiguravit sacerdotium, nisi quia uterque panem ac vinum obtulit. 1. quoniam sacerdotem esse secundum ordinem alicujus idem est ac esse sacerdotem secundum ritum illius: Ritus autem sacerdotii Melchisedech fuit oblatio panis et vini: Adeoque in hoc Christus sacerdos assimilatus est sacerdoti Melchisedecho. 2. nequit Christus assimilari Melchisedecho ob cruentas victimas offerri solitas antiquitus, tum quia nescimus an Melchisedech ejusmodi victimas umquam obtulerit, tum quoniam ea de caussa dictus fuisset Christus sacerdos secundum ordinem Abel, Noë, et Levitarum qui viva obtulerunt animalia. 3. neque dictus est Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech ob alios characteres ab Apostolo in Ep. ad Hebr. enumeratos: ii enim characteres ostendunt Melchisedechum fuisse Christi figuram, sicut et Abel, et Noë, et Abraham, et Moyses; non autem esse sacerdotem secundum ritum ac similitudinem Melchisedechi: qui ritus, qui ordo similitudinem importat in re oblata. Remanet igitur ut Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quoniam sicuti Melchisedech obtulit panem et vinum, ita et Christus sub panis ac vini speciebus obtulit Eucharisticum sacramentum.

Prob. 3. ex SS. PP. Clemens alexandrinus lib. 4. Strom. inquit: *Melchisedech rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiae*. Cyprianus Ep. 13. ad Caecilium scribit: *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens, Ante Luciferum genui te: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo hic utique est de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit*. Chrysostomus hom. 35. in Gen. de Melchisedecho ait: *Protulit panem et vinum. Videns typum, cogita, oro, veritatem, et admirare Scripturarum accuratam diligentiam, quomodo superioribus saeculis, et ab initio futura praesignata sint*. S. P. Augustinus lib. 4. de Doctr. chr. cap. 21. *In sacerdote Melchisedech*, inquit, *Dominicum sacramentum praefiguratum videmus secundum quod Scriptura divina testatur, et dicit, Et Melchisedech Rex Salem protulit panem et vinum*. Haec eadem tradunt singuli fere Patres a quorum recitandis testimoniis brevitati studens abstineo.

Adversariorum objectiones solvuntur.

Obj. 1. cont. 2. thes. Apostolica Pauli sententia ad Hebr. cap. 5. v. 5. *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, non demonstrat Christum inauguratum fuisse sacerdotem in utero Virginis. Sententia quippe illa de Christo a mortuis excitato intelligitur ab auctore Act. Apost. cap. 13. v. 33. II. et revera Paulus idem paullo post, nempe cap. 7. v. 26. allata Psalmistae verba usurpat ad innuendum Christum constitutum fuisse pontificem confessionis nostrae post gloriosam suam resurrectionem; ait enim: *Talis enim decebat, ut esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus*. Verum segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus est post resurrectionem quando in caelum ascendit. III. imo in cap. 8. ejusd. Ep. ad Hebr. negat Apostolus Christum in terris degentem fuisse sacerdotem; ait namque: *Si ergo esset super terram, non esset sacerdos*. IV. ac denique ibid. cap. 2. v. 17. scripserat debuisse Christum *per omnia fratribus assimilari, ut pontifex fieret*. Assimilatus est autem in omnibus per mortem.

Resp. ad 1. Verba illa Psalmi, *Filius meus es tu* etc. intelligi debent de Christi generatione divina, de ejusdem generatione humana, et de illius resurrectione. Priori sensu exponunt Gregorius nyssenus, Athanasius, Cyrillus alexandrinus. Altero, idem Athanasius, Euthymius, Fulgentius. De resurrectione accipiunt Origenes, Hilarius, Chrysostomus et Ambrosius. Nec una interpretatio alteri repugnat, quinimmo una alteram confirmat. De divina generatione accipienda esse illa verba liquet vel ex ea phrasi, *Ego hodie genui te*, Vox enim, *hodie*, significat aeternitatem: et ita sumitur ab Apostolo in Ep. ad Hebr. cap. 1. Quod vero

accipienda sint etiam de generatione temporali nihil est quod id impediat. Nam etiamsi Pater humanam non genuerit naturam, quando tamen Verbum subsistentiam dedit humanitati in utero Virginis genitae, filius hominis jure dictus est filius Dei naturalis ob hypostaticam unionem. Hoc eodem sensu Psalmistae verba sumuntur de resurrectione, quoniam videlicet cum redivivus propria virtute apparuit, ostendit vere se esse filium Dei. Quum ergo Psalmographi textus intelligi etiam de temporali Christi generatione debeat, et Apostolus eumdem textum ad Christi sacerdotium demonstrandum usurpet, reliquum est ut dicamus Christi sacerdotium coepisse a primo suae conceptionis instanti in utero Virginis.

Ad 2. Falsum est Apostolum loqui ibi de tempore quo Christus inauguratus est sacerdos, sed narrat dumtaxat Christum post peractum sacrificium in caelum ascendisse; sumpta comparatione a pontifice veteris Testamenti qui post oblata sacrificia, sanguinem hircorum et taurorum intra velum Sanctuarii inferebat. Sic et Christus, inquit, post oblatum in redemptionis nostrae pretium proprium sanguinem, ingressus est in Sancta segregatus a peccatoribus et caelis excelsior factus est. Hinc in cap. sequenti totus est Apostolus ut discrimen assignet inter sacerdotium Christi ac sacerdotium leviticum: *Non enim*, inquit, *in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*. Quae clare demonstrant Christum ante ascensum ejus in caelum semetipsum obtulisse in sacrificium, ac proinde pontificatum gessisse.

Ad 3. Illorum verborum sensus hic est. Si Christus de genere illorum esset qui super terram offerunt Deo sacrificia, non esset sacerdos; quoniam erant illi de tribu Levi, Christus autem de tribu Juda. Hinc e vestigio Apostolus subdit, *Cum essent qui offerrent secundum legem munera*. Vel dici potest non fore Christum sacerdotem si esset super terram, quoniam sacrificia quae offerret non haberet; animalia quippe viventia offerebantur a tribu Levi. Insuper Christus seipsum obtulit *semel* pro hominibus moriendo: atque adeo si in caelum non ascendisset, sed remaneret super terram, modo non applicaret hominibus mortis suae pretium, neque adhuc esset Sacerdos. Unde Oecumenius in hunc Pauli locum scribit: *Si mortuus non fuisset, neque resuscitatus assumptus fuisset, nec sacerdos quidem esset. Essent enim alii, et jam seditio esset in hac re*.

Ad 4. Apostolus non loquitur de tempore quando Christus inauguratus est sacerdos, sed de caussa cur factus sit pontifex misericors. Nam quo infirmitatibus nostris tamquam misericors pontifex compati posset, debuit per omnia nobis assimilari atque tentari per similitudinem absque peccato; ut cap. 4. v. 15. ait idem Apostolus.

Obj. 2. cont. alt. ejusd. prop. part. Qui sacrificium non offert, non est sacerdos: Christus post extremam judicii diem sacrificium non amplius offeret; neque enim erunt tunc peccata quae expientur: Ergo etc.

Resp. aliud esse sacrificium expiationis, et aliud sacrificium gratia-

rum actionis. Christus post extremam judicii diem quum non amplius futura sint peccata quae expientur, non offeret certe sacrificium expiationis, offeret tamen sacrificium gratiarum actionis et laudis seu consummationis; quoniam seipsum et Ecclesiam quam acquisivit sanguine suo, tradet Patri in perpetuum sacrificium.

Obj. 3. adv. 3. thes. Oblatio panis ac vini a Melchisedecho Abrahamo facta, non fuit actio sacerdotalis, sed mere civilis et politica. Nam si ea actio fuisset sacerdotalis, ubi in lib. Gen. cap. 14. v. 18. describitur, verbum legeretur denotans sacrificium, puta, *offerens*, vel, *obtulit*. Non legitur autem. In nostra siquidem Vulgata habetur, *Proferens panem et vinum*. In hebraico textu occurrit verbum הוציא *hotsi*, quod cum veniat a יצא *jatsà exivit*, significat *exire fecit* panem et vinum. Et in graeca 70. Interpr. versione: ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτον καὶ οἶνον *Protulit illi* (Abramo, non Deo,) *panem et vinum*. II. et quod Melchisedechi actio fuerit mere civilis testatur etiam Josephus rerum Gentilium suorum peritissimus in lib. 1. Antiq. cap. 10. in haec verba: *Iste autem Melchisedech militibus Abrahami justa dedit hospitalia, iisque omnia ad usus vitae necessarios abunde suppeditavit*. Et hoc quidem fecit Melchisedech juxta receptum penes antiquos morem, quo duci alicui cum copiis e bello redeunti solebant finitimi reges cibaria exhibere. III. praeterea ratio cur ita Gen. verba accipimus est, quoniam post panis ac vini commemorationem legitur, *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*. Quae ratio nulla est, quum in hebraico textu non caussalis sed copulativa habeatur particula, hoc modo: *Et ipse erat Sacerdos* etc. ac insuper incertum sit an τὸ *Sacerdos*, ad Melchisedechum vel potius ad Abrahamum referatur. IV. ac denique si res ita se habet, ut Catholici volunt, cur Apostolus in Ep. ad Hebr. comparans Christum Melchisedecho in multis quos recenset characteribus, ne verbum quidem habet de panis ac vini oblatione?

Resp. ad 1. In sacro textu non legitur quidem verbum denotans, sed legitur verbum supponens sacrificium. Actio namque illa qua Melchisedech panem ac vinum protulit, fuit proculdubio sacerdotalis. Nam sacra Scriptura caussam afferens cur panem ac vinum protulerit ait: *Erat enim Sacerdos*. Deinde nullibi in sacris literis legitur Melchisedechum sacerdotium suum viventia offerendo animalia exercuisse. Quapropter sacrificia ab eo offerri solita fuisse necesse est panis ac vini. Cumque Christi sacerdotium assimilatum sacerdotio Melchisedechi fuerit, similitudo non in alio consistere potest quam in panis et vini oblatione. Neque enim salvari ea similitudo potest in eo quod Melchisedech fuerit *rex pacificus* et *justitiae*, quoniam haec indifferenter se habent ad Sacerdotium. Ideo autem in libro Genesis non legitur verbum *offerens* vel *obtulit*, quoniam quum Melchisedech nuncium de reportata ab Abrahamo victoria accepisset, statim in gratiarum actionem panis ac vini obtulit Deo sacrificium, tum obviam ivit Abrahamo ejusque copiis ut illis sanctificatum panem vinumque libaminum distribueret. Hinc omnes SS. PP. ipso fatente Koërbero §. 23. tradunt Melchisedechum porrexisse Abrahamo panem non sim-

plicem, sed sanctificatum. Sicque verbum illud, *protulit*, *exire fecit*, supponit panem et vinum fuisse a Melchisedecho oblata in sacrificium. Unum addam circa Interpr. versionem, videlicet quod etiamsi in eo Geneseos versiculo habeatur pronomen, αὐτῷ, nihil inde colligi potest; sensus enim est: Melchisedech exhibuit illi, nempe Abrahamo, panem quem paullo ante obtulerat Deo in sacrificium. Sed revera in codicibus melioris notae, puta in oxoniensi, vaticano, et waltoniano pronomen illud desideratur.

Ad 2. Fl. Josephus narrat utique Melchisedechum, exhibuisse cibaria Abrahamo suisque militibus, sed numquid praecedens excludit sacrificium? Melchisedech rex erat simul et sacerdos. Ut sacerdos panis ac vini sacrificium in gratiarum actionem obtulit Deo. *Sacra fecit victoriae caussa*, inquit Philo apud Grotium in Genesim. Ut rex autem sanctificata Abrahamo ejusque militibus exhibuit cibaria, juxta illud Prudentii Praef. Psicomachiae: *Donat sacerdos ferculis caelestibus*. Regiam ergo describit Josephus in ea Melchisedechi actione consuetudinem non excludens sacrificium quod ut sacerdos idem Melchisedech obtulerat.

Ad 3. Hebraica particula, ו *Ve*, transferri recte potest per, *enim*. Sic Gen. cap. 20. v. 3. *Et habet virum*, reddi debet, *habet enim virum*. Ibid. cap. 30. v. 27. *Et benedixit mihi Deus*, idem valet, ac *benedixit enim mihi Deus*. Innumera sunt rei hujus exempla. Quamobrem Vulgatus interpres merito vertit, *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*: praesertim cum in samaritano textu ita versiculus ille legatur, *Protulit panem et vinum*, *quia ipse erat Sacerdos Dei altissimi*: et R. Samuel Ben-Nahuman transtulerit, *Erat enim ipse Melchisedech sacrificans panem et vinum*. Deinde dato etiam particulam, *Ve*, reddendam esse pro copulativa, *et*, stat nihilominus verborum vis cum catholico sensu: ideo quippe post panis vinique commemorationem Melchisedech dicitur sacerdos, ut intelligamus offerre consuevisse illius generis sacrificia. Quod autem in argumento additur vocem כהן *cohen*, *sacerdos*, referri posse ad Abrahamum, insipidum omnino est: sequeretur enim Christum sacerdotem fuisse secundum ordinem Abraham; atque adeo hunc fuisse sine patre sine matre sine genealogia: quod est vim facere textui, et allatae ab Apostolo interpretationi, prout legitur in Ep. ad Heb.

Ad 4. Non commemorat Paulus panis ac vini oblationem, quoniam de praeexcellentia sacerdotii Christi, non de ordine secundum quem sacerdos erat loquitur. Et sane Judaei quos ibi alloquitur Paulus, adeo aaronicis addicti erant sacrificiis, ut in iis salutem aeternam locarent. Conatur itaque Apostolus illis suadere longe sublimius esse sacerdotium Christi, utpote quod sacerdotio assimiletur Melchisedechi: qui fuit sine patre sine matre sine genealogia, rex pacis atque justitiae qui decimas acceperat ab Abrahamo eique benedixerat. Ceterum affirmat ea in epistola Paulus alia in Melchisedecho latere mysteria quae Judaeorum mens adhuc portare non poterat; intelligens plane sacratissimum panis ac vini Sacramentum; unde cap. 5. v. 11. inquit: *De quo vobis grandis sermo, et*

ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Reliqua ab haereticis afferri solita, facilem habent ex dictis solutionem. Pergamus ad alia.

CAPUT VII.

De dignitate capitis et regis in Christo, ejusque oratione.

Ut quis capitis polleat dignitate, tria requiruntur. 1. ut omnibus membris superemineat. 2. ut intimam cum iisdem membris suis habeat connexionem. 3. ut vitalem quamdam vim in eadem membra diffundat. Quaeremus itaque an et quomodo Christus capitis dignitatem habuerit.

Quoad regiam dignitatem nemo inter Theologos est qui ambigat Christum dum in terris nobiscum vitam ageret fuisse revera regem. Sed magna contentione disputatur an regnum quod habuit Christus in hoc mundo fuerit spirituale dumtaxat, an vero spirituale simul et temporale: affirmantibus aliis Christi regnum nullo modo fuisse de hoc mundo; aliis vero dominium ejus respexisse spiritualia non minus quam temporalia; et nonnullis arbitrantibus dominium illius in temporalia fuisse indirectum. Nolo ego arbiter in difficillima controversia sedere; ac proinde id statuemus hoc loco quod in confesso est apud omnes, Christum scilicet fuisse regem, atque ob idiomatum communicationem jure appellari posse regem regni temporalis.

Tametsi Christus capitis ac regis polleret dignitate, erat nihilominus sacerdos, ut capite antecedenti demonstravimus: atque idcirco conveniebat et orare, quum oblatio sacrificii species quaedam sit orationis. Inquiremus itaque etiam et hoc, an et quomodo Christo conveniret orare, et num oratio illius fuerit semper a Patre exaudita. Incipiamus ergo a primo controversiae capite.

CONCLUSIO I.

Christus est caput omnium hominum fidelium, et praeterea non solum ut Verbum, sed etiam ut homo caput est Angelorum, et quidem multiplici titulo, nusquam vero ob primae gratiae largitionem.

Prob. 1. thesis pars. Apostolus ad Ephes. cap. 1. v. 22. *Omnia*, inquit, *subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*. Ibidem cap. 5. v. 23. subdit: *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae*. Et ad Colos. cap. 1. v. 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiae*. Laudata hactenus Scripturarum oracula aperte testantur Christum esse caput Ecclesiae. Cumque Ecclesia coetus sit fidelium, fit consequens Christum esse caput omnium hominum fidelium. II. adstipulatur et theologica ratio. Nam tria illa quae requiri di-

ximus ad capitis dignitatem, mirifice in Christo Domino verificantur. Nam 1. supereminet fidelibus omnibus hominibus tum hypostaticae unionis ratione, tum ob plenitudinem donorum. 2. arctissimam habet ipse cum fidelibus colligationem; unde in Scripturis corpus Christi et corpus Ecclesiae promiscue usurpantur juxta illud Pauli ad Cor. 1. cap. 12. *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus*. 3. denique vim vivificam Christus in membra sua, hoc est in fideles perfundit, quia *de plenitudine ejus*, ut ait Johan. cap. 1. *omnes nos accepimus*; nequit videlicet obtineri a fidelibus meritum nec ipsa fides nisi in nomine Jesu. Quamobrem dubitari non potest quin Christus caput sit omnium hominum fidelium.

COROLLARIUM.

Sequitur ex dictis non eodem modo Christum esse caput omnium fidelium. Justorum quippe caput est perfectius quam impiorum. Illi Christo junguntur per charitatem perfectam, hi autem per imperfectam tantummodo, hoc est per gratiam fidei et quidem mortuae. Quando vero justi pervenient tandem in patriam, tunc Christus caput erit illorum perfectissimum, quoniam ipsi perfectissimam consummatamque habebunt charitatem. Insuper ex dictis sequitur etiam Christum esse caput illorum infidelium qui fidem sunt aliquando habituri, quoniam aliquando habebunt per Christi gratiam fidem.

Prob. altera pars. Idem Apostolus in laudata ad Colos. Ep. cap. 2. v. 10. affirmat Christum constitutum esse a Patre supra omnem principatum et potestatem: *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis*. Idque jure aeternae generationis; est quippe verus Deus Patri consubstantialis. II. ex Patribus quorum unum sufficiat afferre Chrysostomum, qui Hom. in Ep. ad Ephes. *Omnibus*, inquit, *posuit caput Christum Angelis et hominibus; sed hominibus Christum secundum carnem, Angelis vero quatenus est Deus Verbum*. III. ratione. Nam Christus supereminet Angelis, ut per se patet: cum iis colligatus est in caelesti Jerusalem per charitatem consummatam ac perfectissimam: atque prout Deus est, vim vivificam per lumen gloriae in illos diffundit.

Prob. tertia pars. 1. Apostolus ad Ephesios scribens, declarat Christum ut hominem esse caput Angelorum dignitate; ait enim cap. 1. v. 20. *Constituens* (illum Christum) *ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro*. II. Christus ipse Matth. cap. 28. v. 18. affirmat se potestatem omnem habere etiam super Angelos: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*. Testatur Petrus in 1. sua Ep. cap. 3. v. 22. Christum esse caput Angelorum auctoritate: *Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur: profectus in caelum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus*. Multiplici ergo titulo Christus ut homo caput est Angelorum.

Prob. 4. pars. Si Christus ut homo caput esset Angelorum ob primae gratiae largitionem, dicendum foret Angelos consecutos fuisse essentialem gloriam per merita Redemptoris: quod plane falsum est. 1. quoniam gratia Angelis et Adae innocenti collata, fuit adjutorium non Salvatoris, sed Conditoris, ut Augustinus docet. 2. quoniam Christus in humana carne venit ut homines, non Angelos salvos faceret, dicente Apostolo ad Hebr. cap. 11. v. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus assimilari*. 3. hinc si Adam non peccasset, Filius Dei humanam naturam non assumpsisset, ut suo loco demonstravimus.

SCHOLION.

Perceperunt tamen Angeli ex Christi meritis gloriam accidentalem; quatenus conspicientes occupari ab hominibus sedes a malis angelis olim vacuas relictas gavisi sunt; quatenus consortio fruuntur hominum beatorum; et quatenus filii Dei nomen sive in caelis sive in terris est exaltatum. Quo sensu Paulus ad Ephes. cap. 3. v. 10. scribit se Christum evangelizare, *Ut innotescat principatibus, et potestatibus, in caelestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei*.

CONCLUSIO II.

Christus quando nobiscum versabatur in terra, erat vere rex: et ob idiomatum communicationem fuit rex utriusque regni spiritualis nempe et temporalis.

Prob. prima pars 1. ex Scripturis. Psal. 71. v. 8. de Christo legitur: *Et dominabitur a mari usque ad mare*: et Psal. 2. v. 6. de seipso Christus dicit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Jerem. cap. 23. *Et regnabit rex, et sapiens erit*. Et Zachar. cap. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi*. Non minus luculenter legitur id in novo quoque Testamento; Lucae enim cap. 1. de Christo dicitur: *Regnabit in domo Jacob in aeternum*. Matth. cap. 2. v. 2. ita Magi interrogaverunt Hierosolymitanos: *Ubi est qui natus est rex Judaeorum?* Et Johan. cap. 18. v. 37. sic Christus Pilato interroganti an ipse esset rex, respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego*.

Prob. 2. ex SS. PP. Clemens alexandrinus lib. 2. Strom. de Christo ait: *Rex autem et a pueris imperitis, et a non credentibus Judaeis et ignorantibus vocatus, et ab ipsis Prophetis praedicatus ostenditur*. S. P. Augustinus in Psal. 149. *Reges autem*, inquit, *ungebantur et sacerdotes: ille vero* (Christus) *unctus est et rex et sacerdos: rex pugnavit pro nobis, sacerdos obtulit se pro nobis*. Ab aliorum Patrum sententiis abstineo, quoniam res nimis per se manifesta est.

Prob. pars altera. Ob communicationem idiomatum quae competunt

divinitati praedicari in Christo possunt etiam de humanitate. Cum autem divinitati Christi competat utrumque, regnum spirituale nimirum ac temporale, humanitati quoque hoc idem competere dicendum est.

CONCLUSIO III.

Christus quatenus homo, quando vivebat in terra oravit, et adhuc orat pro nobis in caelis, et oratio ejus semper exaudita fuit a Patre.

Prob. prima pars. Lucae cap. 6. v. 12. habetur: *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei*. Johan. cap. 17. v. 1. Et sublevatis oculis in caelum dixit: *Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Et v. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt etc.*

Prob. pars altera. Johan. Ep. 1. cap. 2. scribit: *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum*. Paulus ad Hebr. cap. 7. inquit de Christo: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Prob. tertia pars. Christus quatenus Verbum, Patri suo est consubstantialis, proindeque eamdem habet cum Patre virtutem operandi ad extra, juxta illud ejusdem Christi apud Johan. *Ego et Pater unum sumus ∴ Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Ast orare idem est ac ab eo ad quem preces diriguntur virtutem petere operandi. Adeoque Christus non oravit nec orat Patrem quatenus Verbum, sed quatenus homo est.

Prob. pars quarta. Johan. cap. 11. v. 22. Martha ita Christum alloquitur: *Sed et nunc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*. Ibid. v. 42. inquit Christus ad Patrem: *Sciebam, quia semper me audis*. Paulus ad Hebr. cap. 5. v. 7. loquens de Christo inquit: *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Accedit Scripturarum auctoritati ratio S. Thomae: *Secundum autem voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit nisi quod scivit Deum velle. Et ideo omnis absoluta voluntas Christi etiam humana fuit impleta, quia fuit Deo conformis; et per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita.*

SCHOLION.

Multas afferunt SS. PP. caussas cur Christus oraverit. Chrysostomus Hom. 38. in Matth. affirmat Christum orasse ut nobis exhiberet exemplum. Epiphanius Haer. 69. ait id fecisse ut omnia referret ad Patrem. Hilarius lib. 10. de Trin. ut nobis demonstraretur diversam esse Filii a Patre personam; et ut capitis atque mediatoris ac sacerdotis munere Filius fungeretur, ut tradunt S. P. Augustinus in Psal. 85. et Damascenus lib. 3. de Fide cap. 24.

Difficultates aliquae enodantur.

Obj. 1. adv. 1. thes. Apostolus ad Ephes. cap. 1. v. 10. scribit Deum instaurasse *omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt*. Ast quae in terris sunt instauravit per primae gratiae largitionem; atque adeo etiam quae sunt in caelis. II. idem Apostolus ad Colos. cap. 1. v. 20. ait: *Complacuit ... per eum reconciliare omnia ... sive quae in terris, sive quae in caelis sunt*. Et Bernardus serm. 22. in Cant. *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur*.

Resp. ad 1. Deus in Christo instauravit omnia quae in caelis sunt sufficiendo in locum Angelorum desertorum homines eos redimendo, non largiendo angelis malis primam gratiam: alioquin pepercisset angelis malis quemadmodum misertus est lapsorum hominum: quod nemo somniaverit. Atque hoc laudatis in argumento verbis exprimere voluit Apostolus.

Ad 2. per Christum reconciliavit Deus omnia etc. pacem Angelos inter humanumque genus inducendo, non conferendo Angelis sicut et hominibus primam gratiam. Nam post Adae peccatum inimicitiae fuerunt non modo inter homines et Deum, sed etiam inter homines et Angelos. Christus ergo reconciliando per mortem suam omnia, fecit ut pacem inter se et Deus et homines, et homines et Angeli inirent. Ita Pauli verba exponunt Chrysostomus, Augustinus aliique Patres.

Ad 3. Christus per Bernardum ut Deus, non ut homo stanti Angelo dedit ne laberetur. Quod Cyrillus quoque, Fulgentius, et Gregorius M. tradiderunt. Unde gratia Angelis collata dicitur a SS. PP. et praesertim Augustino, gratia Conditoris.

Obj. 2. cont. 3. prop. Si Christus revera orasset, sequeretur inferioris fuisse a Patre conditionis; orare enim est ab alio operandi virtutem postulare. II. hinc Paulinus aquilejensis in Sacrosyll. adv. Felicem, *Non sibi*, inquit, *nec pro se orabat, quia non est sibi natus, nec pro se passus vel mortuus, sed pro illis, idest membris suis orabat*. III. et etiamsi concederetur orasse Christum dum nobiscum versabatur in terra, non proinde dicendum est orare modo pro nobis in caelis; id quippe dedecere videtur illius majestatem, quum sedeat ad dexteram Patris. IV. nec allata superius Scripturarum oracula ostendunt Christum modo orare pro nobis. Nam complures Theologi post Rupertum abbatem lib. 15. de Div. Officiis, explicant illa de exhibitione a Christo facta Patri eorum quae passus est pro nobis.

Resp. ad 1. Diximus jam orasse Christum ut hominem, non ut Verbum divinum; adeoque ex illius oratione colligi nequit fuisse Patre minorem nisi secundum humanitatem, quod nemo inficiatur. Ceterum tantum abest ut ex Christi oratione haeresis sequatur Arianorum, ut oratione sua utrumque se esse manifestaverit, Deum videlicet et hominem. Unde Johan. cap. 17. ubi oravit pro praedestinatis, Christus inquit neminem rapere posse de manibus suis oves, sicut nemo illas rapere potest de manibus Patris, quia omnia quae sunt Patris sua sunt. Similiter quando oravit

ut discipuli ad invicem unum essent, addidit: *Sicut tu Pater in me, et ego in te*. Et sic porro aliis in locis saepissime. Quare Ambrosius lib. 4. de Fide cap. 5. scribit: *Rogat quando passurus ostenditur, imperat quando Filius Dei creditur*.

Ad 2. Paulinus negat Christum orasse, non absolute, sed oratione illa quae necessitatem supponit. Idque ex verbis ipsis allatis fit manifestum. Neque enim Christus peccatum habuit ut necessitatem haberet orandi; quemadmodum ex quo peccatum non habuit, non est natus pro se, nec passus nec mortuus. Quod Paulinus merito asserebat adversus Felicem qui ex Christi oratione inferebat posse appellari Filium Dei adoptivum.

Ad 3. Nihil est quod innuere valeat dedecere Christum ad dexteram Patris sedentem orare. Non unio certe hypostatica; alioquin nec decuisset illum oratio dum adhuc nobiscum versabatur in terra. Eamdem ob rationem nec obstat visio Dei intuitiva. Sed neque obstat status patriae quo fruitur; secus nec Angeli nec Sancti orarent pro nobis. E contra vero decet quam maxime Christum orare pro Ecclesia quam acquisivit sanguine suo, quum sit sacerdos in aeternum.

Ad 4. Melius verba illa interpretatur Augustinus qui Ep. 149. alias 59. ita scribit: *Nam et de ipso D. J. C. dictum est, quod interpellat pro nobis. Numquidnam interpellat, et non etiam postulat? Imo vero quia postulat, pro eo positum est, interpellat. Evidenter quippe alibi de eo dicitur, Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. Deinde Patres illi qui negare videntur Christum modo orare pro nobis in caelo, intelligendi sunt de oratione prout est in nobis hominibus in quibus fervor desideratur ut plurimum charitatis, firmitas fiduciae, proindeque et certitudo effectus: quae plane non desunt Christo.

Obj. 3. cont. eamd. thes. Petiit Christus dispensationem a calice passionis dicens, *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste*: quam tamen non obtinuit. Non omnis itaque oratio ejus exaudita est. II. etiam in vitae suae fine Christus oravit suis verbis: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*: nec oratio illa exaudita fuit, quum non omnibus infandum Deus dimiserit facinus.

Resp. ad 1. Christus non absolute, sed conditionate dispensationem petiit a passione, ut ex oratione ipsa patet. Orationem autem illam fuisse a ratione directam, ex verbis constat immediate sequentibus: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Ratio autem cur conditionate oraverit est ut humanam demonstraret infirmitatem; quum futurum praeviderit nonnullos carnis ejus negaturos veritatem.

Ad 2. Christus e cruce pendens Patrem pro crucifixoribus oravit, ut electis omnibus et reprobis generatim meritum pararetur sanguinis sui ad salutem aeternam obtinendam. Unde S. P. Augustinus serm. 175. de verb. Apost. *Ille autem*, inquit, *etiam cum occideretur, medicus erat; vapulabat, et curabat; patiebatur phreneticum, nec deserebat aegrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipie-*

bat, ridebatur, insultabatur ei, postremo audiebatur, damnabatur, ligno suspendebatur, undique circumfremebatur, et medicus erat. Agnoscis phreneticos, agnosce et medicum. Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt ... Non enim vere frustra dixit, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Orat Christianus, et exauditur; orat Christus, et non exauditur?... Prorsus exauditus est. Ibi erant, ibi saeviebant ... Erant in ipso populo, a quo ipse medicus occidebatur, et in ejus sanguine etiam ipsis antitodum parabatur. Si quis vero illam Christi orationem velit de meritorum passionis applicatione intelligere, liceat, sed tunc putandum non est protulisse Christum orationem illam pro omnibus ac singulis hominibus, sed pro electis dumtaxat, ut arbitratur Augustinus Tract. 31. in Johan. ubi ait: *Videbat quosdam suos inter multos alienos: illis jam petebat veniam, a quibus adhuc accipiebat injuriam.* Atque haec pro instituti nostri ratione dicta sufficiant de Christi Domini titulis nominibus ac officiis.

Finis Libri XXIV.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXV.

IN QUO PERTRACTATUR DE REDEMPTIONE PER CHRISTUM.

Nihil est in divinis Scripturis perspicuum magis ac manifestum, nihilque gratius hominum occurrere potest menti, quam Christum esse mediatorem Dei et hominum, qui semetipsum dedit redemptionem pro omnibus. Et nihil est quod inimici veritatis impetant magis et insectentur, quam dogma istud de hominum redemptione per Christum. Alii quippe solos praedestinatos, alii vero neminem uberrimum redemptionis pretium percepisse delirant. Sunt illi Calvinistae, hi Sociniani: quos hoc in libro catholicae fidei muniti praesidio refellere aggrediemur.

CAPUT I.

De necessitate redemptionis per Christum.

Multi multa somniarunt circa necessitatem Incarnationis Verbi divini. Wiclefus in primis, teste Bossuetio lib. 11. Variat. credidit fuisse illam necessariam simpliciter et absolute. In quo certe a veritate longe aberravit; quum in iis quae sunt ad extra Deus liberrimus sit, nullaque cogatur necessitate. Alii, ut Raymundus Lullus et Malebrankius, affirmarunt necessariam fuisse Incarnationem non quidem simpliciter et absolute, sed ex hypothesi quod Deus decreverit condere mundum; defuisset enim, inquiunt, pulcherrimo Dei operi sua perfectio, si Verbi defuisset Incarnatio. Sed praeterquamquod nullam habeat Incarnatio cum aspectabili mundo connexionem, quum per plura saecula sine illa perfectus in suo genere extiterit, Scripturae et Patres undique clamant Incarnationem maximum fuisse divinae misericordiae opus, nec assumpturum fuisse Verbum humanam carnem, si primus homo non peccasset. Melius ergo de Incarnationis loquuntur necessitate qui eam admittunt supposito humani generis lapsu.

Qua in re tres recensentur diversae Theologorum sententiae. Nonnulli post Richardum Victor. de Incarn. cap. 8. arbitrantur supposito humani generis lapsu necessarium fuisse ut Deus illud redimeret et quidem per Unigeniti sui mortem. Alii divinae consulentes libertati id negant, atque affirmant necessariam illam fuisse non solum ex hypothesi quod homines

peccaverint, sed ex hypothesi etiam quod Deus decreverit illos a peccato liberare. Neque enim, ajunt, alia via poterat Deus hominem a culpa sua redimere nisi per Christi sanguinem ac passionem. Plerique demum animadvertentes Deum liberum esse, tenent potuisse a peccato homines non redimere supposito etiam divino decreto. Deinde distinguentes inter accuratam ac imperfectam et inadaequatam satisfactionem, quum creatura quaevis impar sit ad perfecte satisfaciendum Deo pro humani generis peccatis, ajunt necessariam fuisse redemptionem per Christum facta hypothesi quod Deus decreverit velle pro peccatis nostris satisfactionem accuratam et perfectissimam. His praenotatis sit

CONCLUSIO I.

Non solum supposito hominum lapsu, sed supposito etiam quod Deus decreverit hominem a peccato liberare, necessaria non fuit redemptio per Christum.

Prob. prior thes. pars ex Scripturis. Isaiae cap. 54. v. 7. sic loquitur Deus: *In miserationibus magnis congregabo te ... et in misericordia sempiterna misertus sum tui; dixit redemptor tuus Dominus*. Johan. cap. 3. v. 16. *Sic Deus*, inquit, *dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Paulus ad Rom. cap. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo*. Mitto innumera alia. Pauca haec interim ostendunt humani generis redemptionem opus esse misericordiae divinaeque erga nos charitatis. Ubi est ergo necessitas? II. ex Augustino qui in lib. de Nat. et Grat. cap. 5. ita scribit: *Universa massa poenas dabat: et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste proculdubio redderetur*. III. ratione. Deus in operibus ad extra liber est: Redemptio autem a peccato est opus ad extra: Ergo libere Deus non necessario nos redemit; praesertim cum peccatum necessariam habeat connexionem cum damnatione, minime vero cum liberatione per Christum.

Prob. pars altera. I. potuit Deus gratis hominibus condonare peccatum, vel qualemcumque pro sibi illata injuria exigere compensationem: Nam Athanasius Orat. 3. cont. Arian. inquit: *Citra Incarnationem poterat Deus solummodo loqui, et maledictionem solvere*. Gregorius nazianzenus Orat. 9. *Haec Salvator quidem fecit; idque quum sola voluntate tamquam Deus salutem afferre posset; quemadmodum et universa solo jussu creavit*. Cyrillus alexandrinus in lib. de Incarn. apud Euthymium Tit. 13. ita scribit: *Ne corpore quidem egebat divinum Verbum:.. sed poterat imperio salutis nostrae negotium exequi*. Hilarius arelatensis Hom. 4. de Pasch. *Potuit*, inquit, *Filius Dei hostem humani generis et in caelis positus nutu ipso suae divinitatis eludere*. Potuit ergo Deus hominem a peccato multis modis liberare absque redemptione per Christum. II. multiplici ratiocinio. 1. Punire reum ac pro illius culpa sa-

tisfactionem repetere velle, est opus ad extra in quo nulla Deus necessitate tenetur. 2. Si homini lapso necessaria ex parte Dei fuisset Redemptio per Christum, Deo ob humani generis culpam ratio accessisset debiti per quam vindictam ac satisfactionem de peccato sumere debuisset. Ast nequeunt hominum peccata Deum debitorem constituere; ut accidit judicibus aliis qui superiorum custodire leges tenentur. 3. Potissima ratio quam contrariae sententiae afferunt assertores est, quod Deus odio habeat peccatum: quod verissimum puto. Verum ex eo odio non sequitur quod de peccato sumere necessario debeat vindictam, quum possit illud absque accurata satisfactione dimittere vel absolute condonare. 4. Nonne cuilibet homini licet de jure suo libere cedere? Cur id non licebit Deo liberrimo et omnipotentissimo?

CONCLUSIO II.

Quamvis Deus absolute potuerit condonare peccatum, in eo tamen semper fuit constans voluntas non remittendi peccati sine satisfactione: quae si perfectissima sit et accurata, a nulla creatura gratiae auxiliis sive destituta sive adornata nec pro suo nec pro alieno peccato Deo potest exhiberi: sed solus Christus poterat eam exhibere Patri.

Prob. prior thesis pars adversus Socinianos docentes Deum non solum potuisse, sed et voluisse hominibus absque ulla satisfactione semper condonare peccatum; ajentes solam fidem atque resipiscentiam necessariam esse peccatori ut ad Deum redeat; illos autem solos manere poenas qui ex hac vita in scelere obfirmati decedunt. Contra hos ergo stant 1. divinae Scripturae. Nam Psal. 5. legitur: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Prov. cap. 3. v. 32. *Abominatio Domini est omnis illusor*. Sap. cap. 14. v. 9. *Similiter autem odio sunt Deo impius, et impietas ejus*. Johan. cap. 3. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. Apostolus ad Rom. cap. 1. v. 18. *Revelatur ira Dei de caelo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent*. Idem ad Gal. cap. 3. v. 10. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*. II. rationibus. 1. Subditus est homo ignorantiae, concupiscentiae, morti, innumerisque aerumnis ac calamitatibus, ut infelici quadam experientia novimus. Hoc autem poenarum examen ab originali descendere peccato jam alibi a nobis demonstratum est. Ubi est ergo jactata a Socinianis poenarum immunitas? 2. Singuli homines illorum, propria teste conscientia, post admissionem punitionem expectant delictorum, sin minus timent. Verum conscientiae testimonium non ab alio est quam ab ipso Deo. 3. Non alio fine victimae et sacrificia fuerunt instituta, nisi ut in hominum reorum locum succe-

dendo bruta animantia, supremi numinis ira averteretur. Semper ergo voluit Deus ab hominibus pro illorum peccatis poenam exigere.

Prob. altera pars, quod nempe mera creatura gratiae auxiliis destituta, satisfacere non valeat Deo vel pro suo vel pro alieno peccato satisfactione perfectissima. Nam non ad accuratam modo satisfactionem, sed ad quodlibet etiam meritum de condigno requiritur ut creatura sit in statu gratiae sanctificantis, in quo statu sane non reperitur creatura omnibus gratiae auxiliis destituta. Praeterea satisfactio accurata et perfectissima Deo pro peccato sive proprio sive alieno exhibenda, est opus omnino supernaturale. Quis autem absque gratia opus perficere potest supernaturale?

Prob. pars tertia, quod neque creatura cum gratia id facere queat. Nam ad accuratam perfectissimamque satisfactionem tres requiruntur conditiones; scilicet ut sit ex propriis, et alias indebitis, et aequivalens. Porro nulla creatura etiam gratiae auxilio exornata, Deo exhibere potest vel pro proprio vel pro alieno peccato satisfactionem ex propriis, et alias indebitis, et aequivalentem. Non ex propriis, quoniam opera et modus operandi supernaturaliter ex Deo sunt: *Quid habes quod non accepisti*? inquit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 4. v. 7. Sed neque ex alias indebitis, quum quodlibet obsequium Deo debeat ratione supremi dominii, ratione religionis, justitiae, et grati animi titulo. Ac denique nequit creatura, licet perfectissima, offerre Deo satisfactionem aequivalentem. Satisfactio quippe commensuratur ex dignitate personae quae satisfacit. Cumque mera creatura quamvis sanctissima dignitatis sit finitae ac limitatae, satisfactio ab ea exhibita pretii erit ac valoris finiti et limitati. E contra vero exigit peccatum satisfactionem infiniti valoris: quoniam injuriae gravitas quum ex personae offensae dignitate quae est Deus repeti debeat, debet profecto esse infinita.

Prob. quarta prop. pars. I. Scripturis. Psal. 48. v. 8. legitur: *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam. Et pretium redemptionis animae suae*. Hoc est, ut omnes veteres ac recentiores interpretes exponunt, quum frater, nempe mera creatura impar ad redimendum sit, redimet homo, scilicet Dei Filius in assumpta humanitate. Apostolus in Ep. ad Hebr. cap. 9. et 10. totus est ut demonstret solum Christum potuisse Deo pro humani generis peccatis satisfacere. II. ex SS. PP. Irenaeus lib. 3. cap. 20. *Nisi homo*, inquit, *cum Deo copulatus fuisset, incorruptibilitatis particeps fieri minime potuisset*. Athanasius lib. de Incarn. scribit: *Cum Verbum sit Patris et supra omnes, ex consequenti solus poterat instaurare universa et pro omnibus pati, atque idoneus erat qui pro omnibus apud Patrem intercederet*. Basilius explicans illa Psal. verba, *Frater non redimit* etc. inquit: *Ne igitur fratrem quaeras qui redimat, sed eum qui naturam tuam superat; neque merum hominem, sed hominem Deum Jesum Christum qui solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis*. Chrysostomus Hom. 20. in Johan. *Cecidit natura nostra eo casu, ut restitui non posset nisi ab illa potentissima manu*. Ambrosius in allata Psalmistae verba: *Ipse est*

solus, inquit, *qui redimit hominem ... quia pro alienis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro fratre*. S. P. Augustinus Tract. 4. in Ep. 1. Johan. scribit: *In quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset et in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret*. Similia habet in Psal. 129. Leo M. serm. 1. de Nat. ait: *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium: si non esset homo, non afferret exemplum*. III. ratione. Solus Christus offerre poterat Patri satisfactionem perfectissimam quae, ut supra monuimus, esse debet ex propriis, et alias indebitis, et aequivalens. Sed de hoc argumento agemus seorsim paullo infra.

CONCLUSIO III.

Ex suppositione quod Deus decreverit velle pro humani generis peccatis perfectam condignamque satisfactionem, necessaria fuit redemptio per Christum. Conveniens autem admodum fuit ut talem pro peccatis nostris Deus exigeret satisfactionem.

Prob. prima prop. pars. Ut satisfactio condigna sit et aequivalens, necesse est ut pretii sit infiniti; aequivalere siquidem debet gravitati injuriae Deo per peccatum illatae: injuria autem Deo illata quum commensuretur ex personae laesae quae est infinita dignitate, gravitatis et ipsa est infinitae. Verum solus Christus utpote Deus et homo exhibere poterat Patri satisfactionem pretii infiniti: atque adeo ipse solus ad accuratissimam dandam satisfactionem par erat.

Prob. pars altera. Id fuit Deo admodum conveniens, per quod praecipua illius attributa manifestantur hominibus. Humani generis redemptio per accuratam condignamque satisfactionem patefacit hominibus praecipua Dei attributa. Et 1. summam Dei bonitatem; extrema quippe copulantur et summa, Dei majestas sese ad creaturam insinuat cum ea colloquendo, ut factum est in hypostatica Dei cum humanitate unione; unde Johan. cap. 3. v. 16. inquit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. 2. Commendatur quam maxime divina illius sapientia; redimendo namque hominem per unigeniti filii sui mortem, curavit superbiam humilitate, voluptatem dolore, divitiarum cupidinem paupertate, et sic porro de ceteris: in quo agendi modo sua certe sapientia relucet. 3. Apparet etiam omnipotentia; sola quippe Dei virtus omnipotentissima facere poterat ut divinum Verbum propriam suppeditaret humanitati subsistentiam, ac in ipsa pateretur et moreretur humanitate. Hinc optime Bernardus serm. 3. in vigil. Nat. Dom. *Omni miraculo mirabilius est quomodo tam diversa tamque divisa ad invicem potuerint conjungi*. 4. Manifesta quoque fit divina justitia, tum respectu Patris tum respectu diaboli. Respectu Patris, quia per redemptionem quae est ex perfectissima satisfactione, par pretium oblatum est debito, pretium scilicet infinitum, ut infinita peccati deleretur malitia. Quod expressit Apostolus ad Rom. cap. 3. v. 25. dicens: *Quem proposuit Deus propitiationem per*

fidem in sanguine ipsius , ad ostensionem justitiae suae . Ostenditur justitia respectu etiam diaboli , juxta illud Augustini lib. 13. de Trin. cap. item 13. *Non autem diabolus potentia Dei , sed justitia superandus fuit* . Haec omnia et alia quae afferri possunt , demonstrant conveniens admodum fuisse ut Deus perfectissimam exigeret pro peccatis hominum satisfactionem .

SCHOLION .

Quae hactenus dicta sunt respiciunt necessitatem redemptionis ex parte Dei . Si autem loquamur de redemptionis necessitate respectu hominis, nemini dubium quin maxime conveniens fuerit redemptio, quae est ex satisfactione perfectissima ; hac namque supposita firmior est plane amicitia hominis cum Deo .

Adversariorum argumenta conteruntur .

Obj. 1. cont. priorem thes. SS. PP. Athanasius praesertim Orat. de Incarn. et Cyrillus alexandrinus lib. 5. Thesaur. diserte affirmant indecorum fuisse Deo si lapsum hominem non redemisset . Necessitatem itaque habuit Filium mittendi suum ad redimendum mundum . II. hoc ipsum tradidit etiam S. Anselmus in lib. *Cur Deus homo ,* ubi docere videtur debuisse Deum hominem redimere , et quidem per satisfactionem accuratam et perfectissimam . III. neque exponi potest Anselmus de necessitate quadam congruentiae . Nam homo lapsus absque tali redemptione non potuisset per Anselmum damnari ; alioquin ars diaboli sapientiae Dei praevaluisset , quasi medium invenire nesciverit ut ab interitu hominem liberaret . IV. plures alii PP. affirmant non potuisse Deum hominem a peccato redimere nisi per Unigeniti sui mortem et passionem . Puta S. Augustinus serm. 185. de Temp. alias de Divers. 62. *In aeternum* , inquit , *mortuus esses , nisi in tempore natus esset . Numquam liberareris a carne peccati , nisi suscepisset similitudinem carnis peccati . Perpetua te possideret miseria , nisi fieret haec misericordia ... Periisses nisi venisset* . Et serm. 188. *Tantum te pressit humana superbia , ut te non posset nisi humilitas sublevare divina* . Et Irenaeus lib. 3. cap. 20. et Cyrillus alexan. in Dial. de Incarn. et Vigilius lib. 5. cont. Eutychet. similia tradunt . Quare facta suppositione quod Deus decreverit lapsum hominem liberare , necessaria erat redemptio per Christum .

Resp. ad 1. Athanasius atque Cyrillus affirmantes indecorum fuisse Deo si hominem non redemisset , per indecorum intelligunt minus conveniens . Nam laudatis in locis Dei summam extollunt bonitatem et misericordiam erga hominem lapsum ; ac propterea ajunt ea nos dilexisse Deum charitate , ut indecorum sibi futurum existimaverit nisi Unigenitum suum ad nos misisset redimendos .

Ad 2. Arbitrantur nonnulli loqui Anselmum de necessitate congruentiae . Alii autem putant in illam abiisse opinionem contra apertam Scri-

pturae ac PP. auctoritatem. Illud certum videtur Anselmum de hoc argumento nimis dure fuisse locutum quam ut facile possit explicari.

Ad 3. Ratio in argumento contra nostram sententiam allata de nihilo est. Nam si Deus hominem a diabolo deceptum in suo reliquisset interitu, jam propriam manifestasset justitiam, proindeque argui imbecillitatis non posset; quemadmodum argui nequit imbecillitatis ex quo malos angelos propria malitia deceptos absque venia et absque redemptione reliquerit. E contra vero si Deus peccatum absque ulla poena homini liberaliter condonasset, summam ostendisset misericordiam et charitatem.

Ad 4. Quando SS. PP. affirmant necessariam fuisse redemptionem per Christum, supponunt jam Deum decrevisse velle pro peccato accuratam et rigorosam satisfactionem. Nec alio potuerunt loqui sensu qui ubique tradunt Deum potuisse hominem a peccato liberare alio prorsus modo quam per Incarnationem et mortem Filii sui. *Sunt autem stulti*, inquit S. P. Augustinus lib. de Agon. Chr. cap. 11. *qui dicunt, Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur de foemina, et a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus, Poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret*. Vide aliorum PP. testimonia supra relata.

Obj 2. cum Socinianis adv. priorem alterius thes. partem. In sacris literis saepe legitur Deum polliceri peccatoribus veniam si resipiscant: solam ergo poenitentiam cordisque a malo aversionem, non satisfactionem exigit Deus a peccatoribus.

Resp. Deus in divinis Scripturis pollicetur peccatoribus veniam si resipiscant, sed intuitu satisfactionis Christi sive futurae sive praeteritae, non intuitu resipiscentiae per se. Attente legenti oracula Scripturarum patebit promissiones illas a Deo factas peccatorum resipiscentiae, supponere, non excludere satisfactionem a Christo Deo Patri oblatam vel offerendam pro humani generis peccatis. Et revera innumera sunt sacrarum testimonia literarum comprobantia Christum sanguine suo nos Patri reconciliasse; ut deinceps contra eosdem Socinianos demonstrabimus.

Obj. 3. cont. alt. thes. partem. In mera creatura inveniri utique potest prima ad perfectissimam satisfactionem requisita conditio, quod sit nimirum *ex propriis*. Nam homo quum libertate gaudeat, dominus est suorum actuum, et est juris sui. Poterit ergo satisfactionem Deo exhibere pro peccatis quae sit *ex propriis*. II. nec argumentum solvitur reponendo Deum supremum in hominis actus habere dominium. Nam quamvis respublica dominium habeat in bona civium, cives nihilominus reipublicae indigentiis subveniunt ex propriis. Unde etsi Deus dominium in actus hominis habeat, potest tamen homo aliquid ex propriis offerre Deo. III. sed tertia quoque conditio, quod videlicet debeat esse aequivalens, in mera creatura reperitur. Si namque aliquid obstaret, id maxime esset quod satisfactio perfectissima pretii debeat esse infiniti. Sed haec ratio videtur omnino falsa. Quoniam peccatum pro quo satisfaciendum est, finitum est, non infinitum.

Resp. ad 1. Homo ex quo voluntatis habeat arbitrium est utique juris sui et actuum suorum dominus, sed secundarius, non primarius. Illud proinde hominis dominium non excludit dominium quod in eosdem hominis actus habet Deus. Ut vero homo satisfactionem Deo offerat pro peccato, exercere utique debet actum meritorium et supernaturale. Ast ejusmodi actus donum est ejusdem Dei, non naturalis hominis actio: atque idcirco licet propria gaudeat homo libertate, nequit tamen *ex propriis* actum elicere quo Deo perfectissimo modo satisfaciat.

Ad 2. Diversum quam maxime est dominium quod in subditos habet respublica a dominio quod habet Deus in homines. Respublica jus habet in bona civium aliquo dumtaxat in casu, in necessitate nimirum constituta. Imo eo etiam in casu cives propria bona offerunt tamquam sua: quoniam quando homines in unam convenere societatem, sponte polliciti sunt ex propriis bonis se velle societatem illam defendere atque tutari. E contra vero nullus inveniri potest casus in quo Deus summum non habeat in singulos hominis actus dominium. Atque si de actibus ad satisfactionem requisitis loquamur, quum esse debeant supernaturales et ex gratia profecti, potiori jure sunt actus Dei.

Ad 3. Peccatum dici jure potest finitum, sed in genere *entis*, ut inquiunt, non in genere *moris*, nisi prout est gratiae privatio, non quatenus est injuria illata Deo. Et revera quum peccatum consideratum in genere entis mera sit actio humana quae finita est, peccatum est aliquod finitum. Imo si spectetur quoque ut est privatio gratiae, appellari potest finitum, quoniam exuit justitia hominem qui finitus est. Ast vero si spectetur in genere moris prout est offensa Dei, quum Deus persona sit infinita sequitur etiam peccatum aliquid esse infinitum. Atque adeo humana quaevis actio quae est finita potis non est ad satisfaciendum.

Obj. 4. adv. eamd. thes. Purus homo per actum perfectae charitatis potest pro peccato rigorose satisfacere Deo. Ille namque Deo perfecte satisfacit qui tantum reddit quantum abstulerat. Porro purus homo per actum perfectae charitatis tantum Deo reddit quantum illi per peccatum abstulerat; reddit siquidem Deo rationem ultimi finis quam ei per peccatum eripuerat. Unde non Christus modo, sed et mera creatura potest condigne Deo satisfacere. II. et revera tanti valoris est actus charitatis, quanti demeriti est lethale peccatum; quemadmodum enim actui perfectae charitatis vita debetur aeterna, ita lethali peccato debetur aeterna poena. III. eodem modo comparate ad Deum se habet actus charitatis ac lethale peccatum, quoniam non minus peccatum quam charitas respicit Deum. Et ex aequo Deo placet actus charitatis, ac mortiferum displiceat peccatum.

Resp. ad 1. Perfecte plane satisfacit qui tantum reddit quantum abstulerat, ubi sermo fit de restitutione rerum, sed non ubi pertractatur de reparatione injuriae per offensam illatae. Diversimode quippe de restitutione ac de reparatione injuriae loquendum est. Restitutio versatur circa res. Æquitatis autem ratio postulat ut tantum pro satisfactione reddatur quantum fuit ablatum. Ast injuriae reparatio quum pro objecto habeat

personam offensam, ad accuratam satisfactionem non sufficit rei ejusdem vel aequalis redditio, sed requiritur insuper ut personae offensae conveniens submissio reddatur. Quod si persona offensa dignitatis sit infinitae, submissio et ipsa valoris esse debet infiniti. Porro persona per peccatum ab homine offensa, nempe Deus, dignitatis est infinitae: actus autem amoris ab homine elicitus est pretii finiti; adeoque nequit per illum perfecto modo satisfacere Deo. Bene vero id potuit Christus qui Deus simul erat et homo.

Ad 2. Tanti valoris est charitas quanti demeriti est peccatum in genere operis meritorii, non autem in genere satisfactionis. Rem explico. Actus perfectae charitatis vitam meretur aeternam, sicuti lethali peccato debetur mors aeterna. Nihilominus perfectae charitatis actus valorem non habet infinitum, qui ad perfectam requiritur satisfactionem: quoniam numquam promisit Deus diligentibus se ut per dilectionem perfecte satisfacerent, quomodo promisit vitam aeternam. Reservata igitur fuit plena accurataque satisfactio meritis Christi, quae pretium habent infinitum.

Ad 3. Charitas respicit Deum non minus ac peccatum, sed diverso modo. In actu charitatis se habet Deus tamquam objectum extrinsecum, quoniam charitas speciem gradumque sumit ex ratione qua in Deum tendit; ita ut major sit charitas in eo qui ferventius, quam in eo qui remissius ad Deum fertur. Ast in peccato se habet Deus intrinsece, licet moraliter, tamquam objectum, ut de peccatis agentes videbimus, quoniam injuriae gravitas ex infinita Dei commensuratur majestate. Falsum est autem ex aequo Deo actum placere charitatis ac displiceat peccatum. Magis enim displicet Deo peccatum quam charitas placeat. Nam homo per actum charitatis Deo reddit quod debet: ast per peccatum ei auferre conatur quod habet. Quamobrem nequit argumentum inde a simili desumi.

CAPUT II.

Ex divinis Scripturis demonstratur redemptionem per Christum non esse metaphoricam, ut Sociniani contendunt, sed, ut docent Catholici, veram atque realem.

In hoc Sociniani cum Catholicis, imo cum reliquis Christianorum sectis conveniunt, ut confiteantur Christum Dominum passum ac mortuum fuisse, et quidem pro nobis. Nimis enim aperta sunt sanctarum oracula Scripturarum ut eorum luci erroris tenebras valeant offundere. Ast veterum omnium imbuti erroribus haereticorum affirmare perfricta fronte non verentur redemptionem ex Christi passione ac morte praevenientem impropriam esse et metaphoricam, non veram atque realem, ut reliqui Christiani fatentur. Adsciscentes enim damnatum olim in Ario, Paulo samosateno, atque Photino falsum dogma quo Christum purum putumque fuisse hominem tradebant, confidenter affirmant morte ac sanguine suo Deo Patri pro peccatis hominum non satisfecisse. Quomodo namque, inquiunt, potuit Deo condigne satisfacere mera creatura? Et quoniam una cum Pe-

lagianis originalis peccati existentiam et gratiae inficiantur necessitatem, dum inquiunt Christum mortuum esse pro nobis, subintelligunt mortuum esse ad nostram tantummodo utilitatem; ut exemplum scilicet nobis praeberet, non ut peccata nostra portaret, vel ut salutis nobis afferret praesidium. Atque hoc sensu ajunt Christum hominum esse Salvatorem, quoniam videlicet consilio et exemplo aeternae salutis viam hominibus manifestavit. Hinc p. 3. cap. 2. *Deus*, inquit, *voluit nobis peccata nostra condonare, nulla pro ipsis vera satisfactione accepta*. Et p. 2. cap. 4. *Ostenditur minime concludi debere Christum omnes poenas pertulisse, quas nos propter peccata nostra pendere debuissemus*. Clarius adhuc loquitur Them. 38. de Christo servatore.

Praeter relatos nuper haereticos, hoc idem circa Christi redemptionem systema ante Socinum sibi finxerat Petrus Abaelardus, quem sequi se gloriantur Sociniani, blasphemans nullam fuisse diabolo in homines potestatem post Adae peccatum; proindeque non ut nos liberaret, sed ut praeberet nobis exemplum, charitatemque manifestaret suam Christum mortem oppetiisse. Videant Sociniani quos habuerint proprii systematis praeformatores, pessimos nimirum haereticos ab universali Ecclesia semper et ubique damnatos.

Catholicorum sententia e diametro opponitur mox descripto systemati. Hi namque docent hominem proprio peccato ab amicitia ac filiatione Dei excidisse, eaque de caussa reum effectum aeternae mortis, habuisse Deum iratum judicem, creditorem. Cumque non posset homo per se debito huic satisfacere, Christum sese exhibuisse Patri vadem ac sponsorem nostrum, Patrem peccatorum nostrorum poenas in Filium conjecisse, hunc peccatis nostris debitas poenas acceptasse, proque his sanguinem ac vitam tamquam verum pretium ac reale exhibuisse aeterno Patri suo: atque ita vere et proprie satisfecisse pro nobis, et opere merito et efficacia universum liberasse humanum genus a daemonis captivitate. Ut vero catholicam hanc sententiam veram esse ostendamus, simulque impietatis socinianum dogma redarguamus, multa ex divinis tum V. tum N. Testamenti oraculis in medium proferemus momenta. Sit ergo

CONCLUSIO

Redemptio per Christum vera ac propria est, non impropria et metaphorica.

MOMENTUM I.

Quod Pater aeternus poenas peccatis nostris debitas conjecerit in Filium suum.

Ille vere ac proprie Redemptor est humani generis, in quem aeternus Pater debitas ejusdem humani generis peccato poenas conjecit; una

enim ex conditionibus ad veram perfectamque satisfactionem requisitis est poenae impositio a superiore in inferiorem. Ex sacris autem literis abunde constat aeternum Patrem conjecisse in Christum filium suum poenas humani generis peccato debitas. Etenim Isaiae cap. 53. legitur: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, ut habet latinus interpres. Sed clarius adhuc textus hebraicus: *Conjecit Dominus in illum iniquitates omnium nostrum*. Et v. 8. inquit Dominus: *Propter scelus populi mei percussi eum*. Ac v. denique 10. legitur: *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum*. Hebraice autem postrema haec verba ita sonant: *Si posuerit seipsum sacrificium pro delicto, anima ejus videbit semen, quod prolongabit dies*. Haec aperte nimis demonstrant aeternum Patrem in filium suum conjecisse poenas peccato hominum debitas. Paria in N. Testamento occurrunt. Apostolus in Ep. ad Rom. cap. 4. v. 25. de Christo loquens ait: *Qui traditus est propter delicta nostra*. Et cap. 8. v. 32. explicans a quo traditus in mortem fuerit, affirmat factum id esse ab aeterno Patre: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Celebri huic testimonio accedit et illud quod in 2. ad Cor. cap. 5. v. 21. prostat, ubi de aeterno Patre loquens scribit: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Constat autem apertissime peccati nomen in sanctis Scripturis sumi non raro pro victima et hostia oblata ad redimenda peccata, juxta illud Osee cap. 4. *Peccata populi mei comedent:* et illud aliud Levit. cap. pariter 4. *Ponetque manum super caput hostiae, quae pro peccato est*: quod hebraice legitur: *Super caput peccati*. Quare merito S. P. Augustinus lib. 1. cont. Maximin. cap. 2. in illa Apostoli verba ex Ep. 2. ad Cor. cap. 5. v. 21. hic supra allata, ait: *Quod enim Apostolum dixisse commemoras*, Quoniam Christus cum peccator non esset, peccatum pro nobis fecit: *lege diligentius, et ne forte mendosum incurreris codicem, aut Latinus interpres erraverit, Graecum inspice; et invenies non Christum pro nobis fecisse peccatum, sed a Patre Deo ipsum Christum factum esse peccatum, id est sacrificium pro peccato ... Si enim recolas vel relegas, invenies in libris veteris Testamenti peccata appellari sacrificia pro peccatis*. En peccatum appellatum ab Apostolo sacrificium, quod pro peccato offertur. Quapropter Pauli verborum sensus est Christum factum hostiam et sacrificium pro peccatis nostris, et quidem a Deo Patre, ut innuatur habuisse se tamquam sponsorem et vadem nostrum. Quare sit

MOMENTUM II.

Quod Christus tamquam vas et sponsor hominum poenas illorum peccato debitas in se susceperit.

Ille vere ac proprie est Redemptor hominum, qui tamquam illorum

vas et sponsor poenas eorum peccato debitas et a superiore sibi impositas in se suscipit; haec enim, juxta omnes Theologos, altera est ad condignam satisfactionem requisita conditio. Porro Christus Dominus tamquam vas ac sponsor noster poenas peccatis nostris debitas et a Patre sibi impositas in se suscepit. Nam idem Isaias citato cap. 53. v. 4. ita de Christo ratiocinatur: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*. In Septuaginta interpr. versione habetur: *Et ipse peccata nostra fert, et pro nobis affligitur*. Prosequitur v. 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus*. Hebraicus autem textus ita haec verba legit: *Castigatio pacis nostrae super eum, et livor ejus sanitas nobis fuit*. Quid est autem languores et dolores nostros portare, atque pro nobis dolere, vulnerari atteri castigari propter scelera nostra, offerri pro nobis, et livore suo nos sanare, nisi vadem atque sponsorem se facere pro hominum peccatis?

Isaiae allatum mox testimonium lucem ex iis quae habet Petrus in sua 1. Ep. cap. 2. v. 24. acquirit, *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiae vivamus: cujus livore sanati estis*, quibus proculdubio Isaiae exponit testimonium: et quod de languoribus Propheta dicit, accipit Apostolus de peccatis: et quod ait ille de peccatis a Patre in Christum conjectis, hic exponit de peccatis per crucis sublatis sacrificium. Nil ergo luculentius hoc Apostoli oraculo ad rem nostram urgeri potest.

Concinit Petro Paulus in Ep. ad Gal. cap. 3. v. 13. ubi sic loquitur: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Hoc in loco maledictio idem est ac execratio, poena videlicet in peccati punitionem illata. Etenim constat ex innumeris V. Testamenti locis suspendi non consuevisse homines nisi ob gravissimum aliquod scelus; quapropter Chaldaica paraphrasis verba illa Deut. cap. 21. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, quae ab Apostolo citantur, ita vertit: *Qui pro eo quod peccavit, coram Domino suspensus est*. Et Hieronymus in eumdem locum scribit: *Non enim maledictus, quia pendet, sed ideo pendet, quia maledictus*. Porro Christus Dominus quum esset absque peccato innocens impollutus segregatus a peccatoribus, in proprii sceleris non potuit suspendi punitionem. Suspensus est tamen et quidem pro nobis, ut Apostolus in recitata mox sententia iuquit. Quamobrem suscepit in se poenas peccatorum nostrorum quas in crucis ara luit. Idem Apostolus in Ep. ad Hebr. cap. 7. v. 22. expresse dicit: *Melioris testamenti sponsor factus est Jesus*. Sponsor ille est qui de pactionis spondet observatione. Quod si pars una solvere non valeat, sponsor in debitoris se subrogat locum vel ut debitum solvat vel ut luat poenam. Christus igitur qui juxta Apostolum sponsor est N. Testamenti, pro debitis nostris sanguinis ac mortis suae pretium solvit; proindeque peccatorum nostrorum poenas in se suscepit.

MOMENTUM III.

Quod Christus se pro nobis dederit in piaculum justitiae divinae.

Qui se pro hominibus in piaculum dedit justitiae divinae, proculdubio homines vere et proprie redemit. Nam nulla alia de caussa se dare in piaculum poterat nisi ut iratum numen placaret. Christum autem se in piaculum pro hominibus dedisse constat apertissime. Apostolus namque in Ep. ad Gal. cap. 1. v. 4. de Christo inquit: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam.* Et ad Ephes. cap. item 1. v. 7. *In quo habemus*, inquit, *redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Et ad Rom. cap. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum.* Denique ne longus fiam, Johan. in sua 1. Ep. cap. 2. v. 2. scribit: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Hisce in testimoniis ubi nos legimus, *redemptionem*, et *propitiationem*, graecus legit, ἀπολύτρωσιν ἀπολυτρώσεως ἱλαστήριον, nec non ἱλασμός, quorum duo priora nomina significant pretium quod ad liberandos captivos exsolvitur domino; tertium vero et quartum exprimunt melius victimam, piaculum, et quidquid fit vel datur supremi numinis placandi caussa, ut patet ex Num. cap. 5. v. 8. et ex cap. 16. Levit. aliisque ex locis. Quare testimoniorum illorum sensus est, divinam justitiam ad iracundiam fuisse ob scelera nostra provocatam, Christum autem tamquam vadem atque sponsorem proprium exhibuisse ad iram placandam sanguinem in piaculum ac pretium satisfactionis.

MOMENTUM IV.

Quod Christus loco nostri mortuus sit per veram substitutionem.

Tunc Christus nos vere et proprie redemisset si suffectus in locum nostrum fuisset quando passus ac mortuus est. Si namque poenae nobis infligendae mutatae reapse fuerint in eas quas Christus pertulit, Deus profecto desiit iratus esse nobis; proindeque Christi passio proprii nominis dicenda foret redemptio. Jam vero res ita se habuit. Etenim Apostolus ad Rom. cap. 5. v. 7. ita loquitur: *Vix pro justo quis moritur ... Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Ad Hebr. cap. 2. v. 9. *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Et Petrus Ep. 1. cap. 3. v. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* Johan. cap. 11. v. 50. Caiphas cum esset pontifex anni illius prophetavit dicens: *Nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens*

pereat. Et Matth. cap. 20. v. 28. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*. Quae testimonia hoc suppeditant argumentum: Christus ubique dicitur mortuus *pro nobis*, mortuus *pro omnibus*, mortuus *pro peccatis nostris*, *pro injustis*, *pro populo*, *dedisse animam suam pro multis*. Christus itaque mortuus est loco nostri per veram substitutionem. Particula enim *pro*, seu ὑπὲρ, ut in graeco textu habetur, citatis in locis veram *subrogationem* sive *substitutionem* significat, ut perpendenti testimonia illa patet; innuunt enim Christum mortuum fuisse pro morituris, poenamque dedisse pro poena nobis debita. Confirmatur ex quo in graeco textu non modo occurrat particula ὑπὲρ, sed particula quoque ἀντὶ. Particula autem ἀντὶ, ipsis fatentibus Socinianis, veram significat substitutionem, quamvis comminiscantur substitutionem a subrogatione differre. Ostenditur denique ex scopo praesertim Pauli in Ep. ad Rom. citato cap. 5. ubi Apostolus maximam erga nos Dei commendat charitatem quod Filium suum pro nobis tradiderit in mortem, utiturque hoc argumento: Si vix inter homines reperitur qui pro justo aut amico moriatur, ut Curtius, Decius, Codrus, aliique pauci fecerunt; quanto magis commendanda erit Christi erga nos charitas qui non pro justis, non pro amicis, sed pro injustis et inimicis mortem sustinuit? Ast vero mortales qui pro justo aut amico sese devovent morti, in amici vel justi locum subrogantur: ideoque etiam Christus pro injustis et inimicis ita mortuus est, ut sit in locum illorum subrogatus.

MOMENTUM V.

Quod redemptio per Christum facta sit reali soluto pro nobis pretio.

Si reali soluto pretio Christus nos redemisset, non exemplo atque consilio, sed vere et proprie nos redemisset. Hinc Sociniani qui negant redemptionem esse propriam, negant quoque reali factam fuisse soluto sanguinis pretio. Porro ita nos Christus redemit ac pro nobis passus est, ut reale solverit sanguinis sui pretium: quod ex divinis Scripturis manifeste demonstratur. Matth. quippe cap. 20. v. 28. legitur: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis*. In graeco textu habetur, λύτρον ἀντὶ πολλῶν, *redemptionis pretium pro multis*. In 1. ad Cor. cap. 6. v. 20. *Empti enim estis pretio magno*: graece ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς; est autem ἀγοράζειν τιμῆς mercari vel emere *pretio* in foro. Eadem phrasis occurrit cap. 7. v. 23. ubi sic legitur: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*, graece autem τιμῆς ἠγοράσθητε. Petrus Ep. 1. cap. 1. v. 18. *Scientes*, inquit, *quod non corruptibilibus auro, et argento redempti estis ... sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi*. Occurrit hic graecum verbum, ἐλυτρώθητε, quod liberationem magno pretio peractam significat. Apocal. cap. 5. v. 9. *Dignus es Domine, accipere librum, et solvere signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos in sanguine tuo*. Ubi latine legitur, *redemisti*, in graeco

textu habetur ἠγόρασας. Licet autem ἀγοράζειν proprie *in foro versari* significet, praeseferatque saepe hunc sensum, *orationem habeo*, *consilium publicum profero*, cum tamen hic nihil occurrat quod nos cogat ita verbum illud interpretari, imo potius ἐν τῷ αἵματί σου, *in sanguine tuo* habeatur, pro *emere pretio* sive *redimere* est explicandum ut supra. Unde syriaca versio legit: *Emisti nos Deo per sanguinem tuum*. Ex his meridiana luce clarum est Christum sanguinem vitamque suam ad redimendos homines dedisse, et quidem tamquam verum ac reale, non improprium ac metaphoricum pretium. Nam Apostolus ideo inquit emptos nos esse magno pretio, ut hortetur fideles ad pie vivendum, ducta comparatione ab emptitiis. Sicut enim emptitii non proprii, sed alieni juris sunt, atque idcirco dominorum suorum subditi esse debent imperio; ita et nos cum empti sanguinis Christi pretio fuerimus, non juxta proprium sensum, sed juxta Dei legem ambulare debemus dominici effecti juris. Hanc esse Apostoli mentem patet laudatum locum legenti. Quare Chrysostomus Hom. 18. scribit: *In memoriam enim revocat magnitudinem beneficii modum salutis ostendens, quod cum essemus alienati, empti sumus et non absolute, sed pretio*. Eodem sensu laudatum textum accipiunt omnes sancti Patres. Petrus quoque allegato supra testimonio christianam commendat libertatem, indeque argumentum sumit hortandi fideles ut cum magna reverentia conversentur, ac si dicat: venumdati prius eramus sub legis priscorumque rituum servitute, modo autem in libertatem nos vocavit Christus, atque libertatem hanc non auro vel argento, sed pretio acquisivimus sanguinis ejus. Nonne verum ac reale pretium hic exprimitur? Proculdubio, praesertim si comparationem attendamus a Petro ex auro et argento desumptam. Demum non minus clare loquitur Johannes in Apocal. ubi caussam reddens cur summa debeatur Christo in Ecclesiam suam potestas, inquit, quoniam redemit nos a servitute peccati pretio sanguinis sui. Ast quis dixerit caussam collatae Christo potestatis fuisse aliquod improprium ac metaphoricum? Firma stet igitur catholica de redemptione reali fides.

MOMENTUM VI.

Quod Christus hostiam ac sacrificium se Deo sponte immolaverit.

Vere et proprie humanum genus Christus redemit, si seipsum irato numini immolaverit tamquam piacularem hostiam et sacrificium pro peccatis nostris. Ea enim de caussa constitutae fuerunt antiquitus victimae, ut hominum scelera expiarentur in hominum locum victimas sufficiendo. Hinc Caesar de Gallis, *Cum crederent*, inquit, *pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari, victimas offerebant*. Et melius Moyses in Levit. cap. 17. v. 11. *Anima carnis in sanguine est: et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit*. Et praecedenti cap. 16. ubi describitur ritus hirci viventis, legitur: *Postquam*

(summus sacerdos) *emundaverit Sanctuarium, et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem: et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum: quae imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron* etc. Legatur quoque ritus immolandi agni. Ast vero Christus seipsum irato Patri tamquam piacularem hostiam et sacrificium obtulit: quod patet 1. ex quo omnia vetera sacrificia et victimae fuerint Christi Domini figura, *Finis enim legis Christus*, ut Apostolus ad Rom. cap. 10. v. 4. et legis sacrificia sunt *umbrae caelestium*, ut idem Apostolus scribit ad Hebr. cap. 8. v. 5. in qua Ep. cap. 9. fuse demonstrat sacerdotium leviticum fuisse abrogatum, quoniam antiqua sacrificia ab iis offerri solita umbrae erant sacerdotii ac sacrificii Christi. Porro V. Testamenti victimae et sacrificia non offerebantur nisi ad scelerum expiationem. Multo itaque magis Christus hostia fuit ac sacrificium ad scelerum expiationem. 2. Idem Apostolus in Ep. ad Ephes. cap. 5. v. 4. praecipit ut ambulemus in charitate, *Sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis*. Quid luculentius? Ubi in latina vulgata legitur, *hostiam*, habetur graece, θυσίαν, quod nomen victimae significat mactationem. Ubi vero latinus interpres vertit, *oblationem*, graecus codex legit, προσφοράν, hoc est, vel offerendi actum vel rem ipsam oblatam, ut fatetur Crellius. Apostolus ergo docet Christum obtulisse seipsum Patri in victimam et sacrificium ad scelerum nostrorum emundationem in odorem suavitatis, sumpta a priscis sacrificiis pro peccatis offerri consuetis phrasi, quae litari dicebantur Deo *in odorem suavitatis*, ut videre est Gen. cap. 8. v. 21. Exo. cap. 29. v. 41. Levit. 2. v. 9. et alibi saepe. 3. In Ep. ad Hebr. cap. 9. instituta comparatione inter V. ac N. Testamenti victimas, et oblationem a Christo in cruce peractam, v. 12. sic Paulus inquit: *Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa*; v. 13. in medium affert typum vitulae de qua Levit. cap. 16. v. 15. tum v. 14. addit: *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram?* En Christi sanguis oblatus in hostiam, quomodo olim vituli ad emundationem peccatorum. Hinc sicuti vitulus immolabatur *extra castra*, ut ex Levit. 16. v. 27. patet, ita et *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*, addit ibid. Apostolus cap. 13. Hoc magis idem Paulus confirmat cap. 9. v. 15. dicens: *Et ideo* (Christus) *novi testamenti mediator est; ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento*. Et v. 22. *Omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: et sine sanguinis effusione non fit remissio*. Agant igitur nobiscum bona fide Sociniani, et fateantur Christum semetipsum irato Deo in veram hostiam et sacrificium pro peccatis nostris obtulisse, adeoque vere ac realiter redemisse nos a daemonis et peccati servitute.

MOMENTUM VII.

Quod Christus offerendo seipsum Patri in hostiam piacularem Deo nos reconciliaverit.

Vere ac realiter nos redemit Christus, si per sanguinem ac mortem suam irato ob scelera nostra Deo reconciliati fuimus. In hoc quippe vera redemptio consistit ut Deus placatus nobis fuerit, et quidem non ob merita nostra, sed illius qui nos redemit. At vero Christus sanguine et morte sua Deo ob scelera nostra irato nos reconciliavit. Nam Apostolus in Ep. ad Rom. cap. 3. v. 24. *Justificati*, inquit, *gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Ibid. cap. 5. v. 10. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*. In 2. ad Cor. cap. 5. v. 19. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Ad Ephes. cap. 2. v. 13. *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua ... ut ... reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso*. Ad Colos. cap. 1. v. 19. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem*. Tandem Johannes in sua 1. Ep. cap. 2. v. 1. ait: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. In singulis mox recitatis testimoniis duo constanter traduntur, nempe reconciliatos nos esse irato numini, et reconciliationis hujus veram realemque caussam fuisse per crucis mysterium Christum, per sanguinem videlicet ejus et mortem: atque idcirco vere et proprie nos redemit.

Brevis praecedentium argumentorum recollectio.

Redemptio per Christum vera esset realis et propria, non metaphorica et impropria ad exemplum et utilitatem nostram peracta, ut Sociniani contendunt, si Pater aeternus poenas peccatis hominum debitas in suum conjecerit Filium, et Filius tamquam vas et sponsor poenas illas in se susceperit, eaque de caussa se irato Patri in piaculum dederit, mortemque in locum nostrum per veram subrogationem oppetierit, illam tamquam verum ac reale pretium offerens in peccatorum nostrorum redemptionem, atque seipsum immolans in piacularem hostiam et victimam irato numini; si denique sanguine ac morte sua nos reconciliaverit Deo, delens quod adversum nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci. Ubi enim hae conditiones inveniuntur, ibi profecto est

redemptio vera realis et propria. In passione ac morte Christi recensitae omnes conditiones inveniuntur, ut ex Scripturarum testimoniis per singula momenta allatis luculentissime apparet. Igitur per sanguinem ac mortem suam Christus nos vere proprie et realiter redemit.

CAPUT III.

In quo falsa laudatorum capite praecedenti textuum interpretamenta Socinianorum reffelluntur.

Tam magna est Socinianorum hac in controversia vafrities atque calliditas, ut si quis eam explicare aliquo modo vellet rem plane difficilem aggrederetur. Urgent subtilissimas ratiocinationes, recursum habent ad hebraicum graecumque textum, quae sunt apud omnes firma et inconcussa nimia confidentia negant, quae vero nova et communi hominum sensui repugnantia tamquam certissima veritatis principia assumunt. Sed ludunt operam. Veritas enim una est, simplex est, nec ullo potest perversorum hominum ariete quati. Videamus igitur quas adhibeant artes ut argumentorum quae superiori capite attulimus vim eludere aut saltem enervare conentur.

Obj. 1. nonnulla quae adv. 1. ac 2. faciunt momentum. Ubi nos in latina Vulgata legimus, *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, Prophetae sensus est, Christum minime poenas peccatis nostris debitas tulisse, sed potius peccata nostra abstulisse seu sustinuisse patienter. Nam in hebraico textu pro latino verbo *portavit*, legitur נשא *nasà*, quod verbum significat, *auferre*, non, *portare* aut *perferre*. Hinc Exo. cap. 34. v. 7. et Num. 14. v. 18. verbum idem de Deo usurpatur qui certe peccata nostra non portat, sed aufert ac fert patienter. Ac ideo allatum Isaiae oraculum non demonstrat vel Patrem poenas peccato debitas in Filium suum conjecisse, vel Filium eas in se tamquam vadem ac sponsorem nostrum suscepisse. II. eo modo Christus per allatum Isaiae testimonium peccata nostra portavit, quomodo tulit languores et infirmitates nostras: Matthaeus namque cap. 8. v. 16. inquit: *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemonia habentes: et ejiciebat spiritus verbo: et omnes male habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: et aegrotationes nostras portavit*. Ast vero languores ejusmodi ita portavit, ut eos ab hominum corporibus depelleret atque fugaret, non quod in se vere susceperit. III. praeterea in lib. Levit. cap. 16. v. 22. de hirco emissario dicitur: *Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam*. Hircus autem hic typus fuit et figura Christi. Cumque hircus emissarius secum peccata non proprie, sed metaphorice portaret, neque enim poenas pro Israelitarum peccatis luebat, quum non immolaretur; consequitur nec Christum vere et proprie peccata nostra portasse.

Resp. ad 1. Non diffiteor verbum *nasà*, aliquando significare *patienter sustinere* vel *auferre*, ut in exemplis in argumento allatis, sed negare non poterunt Sociniani verbum illud crebrerrime significare idem ac *portavit* et veluti *humeris sustulit*, ut videre est Exo. 28. v. 43. Ezech. cap. 29. v. 19. aliisque in locis. Quod vero in laudato Isaiae testimonio denotet idem ac *portavit* vel *in humeris suscepit*, multa suadent. 1. videlicet ipse contextus. Ratio quippe cur Christus peccata nostra portavit seu in se suscepit, est quoniam *vulneratus est propter peccata nostra, et attritus est propter scelera nostra*, quoniam *disciplina pacis nostrae super eum et livore ejus sanati sumus*, quoniam *posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*, quoniam denique Christus *posuit animam suam in sacrificium pro delictis*. Nonne ergo peccata nostra in se suscepit atque portavit? 2. Quae subsequuntur; non enim solum verbum נשא *nasà*, sed et verbum סבל *sabàl*, ibi occurrit, quod proculdubio significat *bajulare*, ut Gen. 49. et Isaiae 46. 3. Aliae a latina versiones; nam syriaca habet: *vere passiones nostras ipse pertulit, et dolores nostros ipse passus est*. Arabica: *Ipse portat peccata nostra, et pro nobis dolet*. 4. Petrus in 1. Ep. cap. 2. v. 24. ad laudatum Isaiae textum alludens, inquit: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*.

Ad 2. Dicens Isaias, *languores nostros ipse tulit*, duplicis generis significavit infirmitates, illas nempe quae animam, et illas quae corpus afficiunt; ita tamen ut infirmitates animae caussa sint infirmitatum quae corpus affligunt. Et Christus quidem utriusque generis languores sanandos venit; quoniam factus est *in similitudinem carnis peccati*, ut Apostolus inquit ad Rom. cap. 8. v. 3. Quapropter ubi Matthaeus Prophetae laudans vaticinium affirmat Christum sanasse corporis languores et infirmitates, vaticinium explicat secundum unam partem, alteram non excludens; quoniam Isaias revera praedixerat Christum corporis languores fore sanaturum, quamvis praedixerit quoque fore in se suscepturum infirmitates animae quae infirmitatum corporum caussa sunt: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*.

Ad 3. Nonnulli inquiunt comparationem ex hirco emissario deprompptam ad rem minime facere. Nam hircus typus, Christus autem antitypus fuit. Non omnia vero quae de typo verificantur, antitypo aptari possunt. Verum responderi potest quod duo offerebantur pro sceleribus populi a sacerdote hirci. Alter mactabatur, alter deportabatur in desertum: uterque Christi typus erat; unus videlicet praefigurabat Christum peccata nostra portantem, alter eumdem praesignabat Christum mortem pro sceleribus nostris oppetientem. Atque ita figura illa sententiam catholicam confirmat. Praetera Hebraeorum doctrina est hircum quoque emissarium praecipitari e rupe consuevisse a viro ad hoc destinato, atque adeo poenas pro populi sceleribus luisse. Demum duo illi hirci, mactatus nimirum et emissarius, ambo tamquam unus spectari debent, propter unius quam gerebant Christi figuram, ut observat Cyrillus alexandrinus lib. 9. cont. Julian. ac proinde quae de uno dicuntur verificari de alio debent.

Obj. 2. adv. alt. mom. Verba illa Petri, *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, hunc habent sensum: peccata nostra ipse *abstulit*, non, *pertulit*. Ubi namque latinus interpres inquit, *pertulit*, in graeco textu habetur, ἀνήνεγκεν; verbum autem ἀναφέρειν, vel significat, *auferre*, ut ad Hebr. cap. 9. v. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda (graece ἀνενεγκεῖν) peccata*, vel significat *ascendere fecit*, ut a Septuaginta interpretibus sumitur in libro Josue cap. 24. v. 32. ubi de Josephi ossibus ex Ægypto asportatis sermo instituitur. Adeoque sensus erit: qui peccata nostra ipse *abstulit* seu *ascendere fecit*, hoc est, *transportavit*, non quod illa in se susceperit. II. Paulus ad Gal. cap. 3. affirmat Christum factum esse maledictum, quatenus in commodum et utilitatem nostram in crucem agi sustinuit. Et in cap. 7. ad Hebr. Christus dicitur melioris Testamenti sponsor, non quod pro nobis debita solverit, sed quoniam tamquam interpres ac internuncius novum sanxerit nobiscum foedus.

Resp. ad 1. Neque nos inficiamur Christum a nobis abstulisse peccata, eaque ascendere fecisse. Sed quomodo Christus peccata a nobis abstulit? Nempe sanguinem fundendo ac moriendo pro nobis. Qua ratione peccata ascendere fecit? Quatenus secum in corpore suo illa portavit dum ascendit in crucem, cui chirographum affixum erat decreti quod contra nos erat. Hunc praeseferre sensum allatam Petri sententiam manifestum est. 1. ex scopo quem sibi proponit. Hortatur enim ibi fideles ut convicia tormentaque ipsis illata patienter sustineant ad imitationem magistri: qui cum innocens esset et impollutus, poenas peccatis nostris debitas aequo animo in se suscepit, eadem peccata perferens super lignum. 2. Non inquit tantum Petrus, *peccata nostra pertulit*, sed addit, *in corpore suo super lignum*. Ast corpus suum affigi cruci permisit. Adeoque ita peccata nostra abstulit et ascendere fecit, ut illa affixa cruci reliquerit: quod idem est ac poenas pro peccatis nostris dare. 3. Subdit: *cujus livore sanati estis*. Quid hoc est nisi Christum a nobis abstulisse peccata ut illa in se susciperet, poenas nobis debitas solvendo? 4. Responsionem hanc confirmat laudatum ex Paulo testimonium in Ep. ad Hebr. Non alio quippe sensu Apostolus inquit Christum exhaurisse peccata, nisi poenas illis debitas in se suscipiendo: tum quia scribit oblatum fuisse, tum quia paullo supra jam dixerat, *Ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit*, hostia autem fuit corpus suum in ara crucis oblatum; tum quoniam antithesim inter primum ac secundum Christi adventum instituit. Cumque in secundo adventu venturus sit sine peccato ut ait ibidem Apostolus, consequitur ut in priori cum peccato, hoc est, cum poenis peccato nostro debitis apparuerit.

Ad 2. Plenissimam verborum Pauli interpretationem supra tradidimus. Neque intelligi sociniano sensu possunt; alioquin illud idem de Apostolis ac Martyribus enunciari posset, qui ad exemplum utilitatemque nostram sua corpora tradiderunt; quum tamen dicat Apostolus in 1. ad Cor. cap. 1. v. 13. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Ad alterius intelligen-

tiam testimonii, dabo Apostolum suipsius disertissimum interpretem ibid. cap. 9. v. 15. *Ideo novi testamenti mediator est; ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis*. En quomodo factus est Christus melioris Testamenti sponsor.

Obj. 3. cont. 3. mom. Quod Christus laudatis in 3. mom. Scripturarum oraculis factus dicatur *propitiatio* et *redemptio* pro nobis, non demonstrat redemptionem per Christum propriam fuisse et non metaphoricam. Nam factus dicitur propitiatio ac redemptio pro nobis, quatenus Dei erga nos charitatem morte sua declaravit, quatenus apud Patrem advocati partes pro nobis exequitur, quatenus Dei nobis conciliavit gratiam, non quod pro nobis sanguine suo satisfecerit; quemadmodum etsi Arca foederis Exo. cap. 25. et Num. 7. propitiatorium appellaretur, non proinde lignum illud aequivalentem exhibebat satisfactionem Deo pro sceleribus Israelitarum.

Resp. Christum dici propitiationem ac redemptionem pro nobis ita ut sit ἱλαστήριον et ἱλασμός, hoc est, *pretium* et *sacrificium* ad placandum numen oblatum, non divinae declaratio charitatis, aut advocatio, aut conciliatio gratiae. Et quod additur de Arca foederis, quin officiat, sententiam nostram mirifice confirmat. Non enim Arca foederis appellabatur propitiatorium quod sedes esset oraculorum ad Dei misericordiam manifestandam, vel quod munere fungeretur advocati, aut divinam conciliaret gratiam. Minime. Sed sic appellabatur, quod operculum illud veluti sedem repraesentaret Dei judicis, qui populo se placatum manifestabat ob caesas victimas expiationis. Arcae itaque operculum figura erat Christi, et propitiatorium nuncupabatur, quoniam sicut ibi expiatio fiebat peccatorum typica atque legalis, ita per Christum fieri debebat expiatio peccatorum vera et realis.

Obj. 4. cont. 4. mom. Tota quarti argumenti vis in eo consistit quod in sanctis paginis Christus dicatur *mortuus pro nobis*, et ubi nos legimus, *pro*, graece habeatur ὑπέρ et ἀντί, quasi subrogatio intelligi necessario debeat. Verum vis particulae, *pro*, vel graecae ὑπέρ et ἀντί, non tanta est ut subrogationem necessario significet; quum ut plurimum caussam propter quam aliquid fit indigitet. Ita ad Ephes. cap. 5. v. 31. ubi latinus interpres vertit, *propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae*, Paulus graece scripserat, ἀντί τούτου. Et ad Colos. cap. 1. v. 24. ubi legimus, *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*, dixerat Paulus, ὑπέρ τοῦ σώματος αὐτοῦ. Quibus in locis particula ὑπέρ, non substitutionem, sed finem cujus gratia aliquid fit significat. II. et revera Christus eo modo pro nobis passus est, quo nos pati ac mori debemus pro fratribus nostris; ait quippe Johannes in 1. Ep. cap. 3. v. 16. *Nos debemus pro fratribus animas ponere, sicut Christus animam suam posuit pro nobis*, et quidem utrobique adhibita particula ὑπέρ. Nos autem non sic mori pro fratribus debemus ut in eorum substituamur locum, sed ad illorum utilitatem dum-

taxat et exemplum. III. neque praesidium aliquod invenire possunt Catholici in Caiphae verbis quae in cap. 11. Johan. occurrunt. Nam loquitur ibi Caiphas de Judaeorum interitu temporali quem a Romanorum timebat incursionibus. Nam v. 48. sic Caiphas inquit: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem*. Non ergo verba illa demonstrant poenas peccato nostro debitas in illas quas Christus in locum nostrum subrogatus in se sustinuit fuisse commutatas.

Resp. ad 1. Non diffitemur propositionem latinam *pro*, et graecam ὑπὲρ et ἀντὶ non semper subrogationem significare, ut ex allatis in argumento exemplis apparet. Dubitari tamen non potest quin unius in alterius locum quam saepissime exprimat veram ac realem substitutionem, ut in exemplis mom. 4. allatis videre est. Ut vero dignoscatur quando particula *pro*, seu ὑπὲρ et ἀντὶ, subrogationem, quando vero caussam denotat finalem, nonnulli hac regula utuntur: si nimirum sermo fiat de personis, substitutionem, si vero de rebus, caussam exprimere solet finalem. Sed regula certa non est, et sensus potius verborum seu contextus debet attendi. Utcumque autem res se habeat, illud pro certo tenendum est laudatis in mom. 4. testimoniis particulam ὑπὲρ seu ἀντὶ, Christi in locum nostrum subrogationem significare: quod luculentissime patet tum ex iis quae citato in argumento observavimus, tum palmari hac ratiocinatione. Si recitatis in sententiis particula *pro*, non substitutionem, sed caussam finalem, quod nempe Christus passus ac mortuus sit *pro nobis* in evangelicae veritatis confirmationem et ut nobis praeberet exemplum indigitaret, dicendum foret Apostolos sanctosque Martyres mortuos pro nobis esse eo modo quo Christus. Nam Apostoli ac sancti Martyres et ipsi cruciatus sustinuerunt in confirmationem veritatis atque ad exemplum nobis exhibendum; unde Paulus 2. ad Cor. cap. 1. v. 6. scribens ajebat: *Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione, et salute; sive consolamur pro vestra consolatione* etc. Porro nonne impium est affirmare Apostolos atque Martyres passos pro nobis esse quo modo Christus? Utique. Ait enim idem Apostolus in 1. ad Cor. cap. 1. v. 13. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis*? Ac si dicat. Quamvis multi ad utilitatem et exemplum nostrum mortem subierint, solus tamen Christus ad aeternam nobis obtinendam per veram redemptionem salutem crucifixus est pro nobis.

Ad 2. Duplicem sibi Christus proposuit finem in morte subeunda pro nobis: et ut nos a peccati redimeret servitute poenas illi debitas in se suscipiendo atque in locum se substituendo nostrum, et ut nobis praeberet exemplum; ita tamen ut ille primarius, hic secundarius finis fuerit. Johannes ergo hortans fideles ut Christum imitentur, non ad primum, sed ad secundum quem sibi proposuit Christus finem, ita ejus scopo ferente, digitum intendit: atque vult ut ad fratrum nostrorum utilitatem vitam etiam tradamus, sicut illam pro nobis tradidit Christus.

Ad 3. Admissa etiam falsa Socinianorum interpretatione firma argumenti nostri remanet vis. Christus siquidem mortuus fuisset in locum Ju-

daeorum ne illi videlicet interirent interitu temporali, proindeque verba illa veram significarent subrogationem. Ceterum laudata Caiphae sententia significat Christum oppetiisse mortem ne tota gens interitu periret spirituali. *Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quod Jesus moriturus erat pro gente*, graece ὑπὲρ λαοῦ, ut ibid. inquit Evangelista. Quod si de mortis Christi necessitate ad liberandum a temporali interitu judaicum populum locutus fuisset, ad quid Spiritus sancti afflatus? Nec quidquam obstant verba v. 48. Illa namque Caiphae non sunt, sed concilii pharisaeorum cui Caiphas contradixit dicens: *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat*.

Obj. 5. adv. 5. mom. Etsi in sacris literis Christus dicatur saepe redemptor, immo et addatur homines redemisse pretio, non inde sequitur tamen redemptionem non esse metaphoricam. Nam improprie et per metaphoram et redemptio et pretium sunt accipienda: quod nonnullis demonstratur exemplis. Exo. cap. 15. v. 13. de Deo legitur: *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti*. Similia occurrunt etiam Deut. 21. v. 8. et Psal. 76. v. 16. Ast Deus non dicitur hebraici populi redemptor quod sanguinem pro illo tamquam pretium fuderit, sed improprie ac metaphorice. Idipsum ergo dicendum etiam de redemptione Christi. Stephanus in Act. Ap. cap. 7. v. 35. de Moyse inquit, *Hunc Deus principem, et redemptorem misit*, utiturque vocabulo, λυτρωτὴν, quod pretium sonat; nec proinde Moyses ad sibi commissum redimendum populum aut sanguinem fudit aut aliud reale solvit pretium. II. suffragatur ipsa humana ratio. Nam si redemptio per Christum fieri debuisset reali soluto pretio, non Deo, sed diabolo vel peccatis solvi pretium illud debuisset. Solvendum quippe pretium erat ei cujus homo captivus erat. Erat autem antequam redimeretur servus diaboli atque peccati, juxta Scripturae phrasim. Quis autem non horret vel cogitare Christum diabolo atque peccato sanguinem suum tamquam pretium fudisse? III. praeterea ad placandum pro peccato iratum numen nullimode necessaria erat pretii solutio. Nam eo modo redimi debuit homo quo ille seipsum vendidit; emptio enim et venditio ad invicem apponuntur. Homo autem venumdatus erat sub peccato gratis ac sine pretio: dicente Isaia cap. 52. *Haec dicit Dominus: Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini*. IV. rursus si Christus reale solvisset pretium, illud esset sanguis ejus et mors. Verum docet Apostolus potius per vitam quam per mortem Christi nos fuisse redemptos, *Salvi erimus in vita ipsius*, in Ep. ad Rom. cap. 5. v. 10. V. demum idem Apostolus ad Rom. cap. 3. v. 24. tradit *gratis* nos per gratiam ipsius esse justificatos. Quid porro est justificatio nisi peccatorum remissio vel redemptio a peccatis? Non ergo redempti sumus pretio.

Resp. ad 1. Magna disparitas est inter redemptionem per Christum ac redemptionem per Deum vel Moysem. Et ratio discriminis est quod ubi Scriptura de israelitici populi liberatione sive a Deo sive a Moyse peracta loquitur, judaicus populus redemptus dicitur *in brachio forti*, *in brachio*

excelso, *in fortitudine*, *in misericordia*. E contra ubi sermo de redemptione per Christum instituitur, homines redempti dicuntur *sanguine*, *morte*, *pretio*, *magno pretio*, quod majoris est existimationis auro et argento etc. Unde non inficiamur nomen *redemptoris* et verbum *redimere* sumi quandoque improprie ac metaphorice, pro liberatione videlicet nullo interveniente pretio, ut in exemplis allatis. Ast non inde inferendum est semper improprie et metaphorice esse accipiendum. Si autem rem subtilius rimari fas est, addo Deum ac Moysem judaici populi redemptores appellari, quoniam populi illius a servitute Pharaonis liberatio typus erat atque figura liberationis humani generis a daemonis captivitate per veram realemque Christi redemptionem. Nec proinde sequitur in liberatione illa intercedere debuisse redemptionis pretium quomodo in ista, aut e contra si lytrum ac pretium in illa non intercessit, nec intercedere debuisse in ista. *Nam oportet figuram minus habere quam veritatem*; *quia alioquin non fuisset figura eorum quae post haec futura erant*, inquit Chrysostomus Hom. 61. in Gen. Eadem de caussa quod nempe Moyses figura esset Christi, appellatur redemptor, graece λυτρωτής, quemadmodum Cyrus Persarum rex quod typum gereret Christi, χριστός nuncupatur ab Isaia. Et sicuti Cyrus non erat secundum veritatem Christus etiamsi eo nomine appellaretur, ita et Moyses non fuit secundum veritatem λυτρωτής, licet donatus eo nomine fuerit.

Ad 2. Homo ante redemptionem servus utique erat diaboli et peccati. Sed quomodo? Quatenus nimirum diabolus executor erat divinae justitiae. Deus quippe erat persona offensa et judex cui pro peccato offerendum erat pretium. Unde tamquam supremus Judex tradidit illum sub potestate diaboli tamquam sub executore divinae justitiae: atque adeo non diabolo sed Deo pretium solvendum erat liberationis; quemadmodum in saeculari foro non satellitibus non tortoribus reus poenas luit, sed judici cui subjicitur.

Ad 3. Non eodem modo de nostro casu ac de nostra loquendum est redemptione. Si quando peccavimus nullum accepimus pretium, fuit id in ipsius sceleris poenam, quoniam libero abutentes arbitrio evasimus servi diaboli quia voluimus. Ast surgere et compedes solvere captivitatis non erat in nostra potestate. Sed interim ut liberaremur necesse erat irato satisfacere numini. Cumque nos impares ad satisfaciendum essemus, Christus poenas peccatis nostris debitas in se suscipiens, pretium sanguinis pro nobis obtulit Patri. Neque Socinianorum caussae favet Isaiae textus. Nam loquitur ipse de Judaeis proxime e babylonica captivitate eripiendis, qui plane sine pretio venumdati erant, atque idcirco sine pretio erant redimendi, sicuti factum est. Quod si contendant intelligendum esse propheticum oraculum de humani generis redemptione per Christum, stat optime cum catholico systemate sensus verborum. Quoniam τὸ *gratis* non ad Christum, sed ad homines ipsos refertur, qui sane absque ullo argento vel pretio ab eis soluto redempti sunt, quum pro eis lytrum solverit Christus.

Ad 4. Christus certe redemit nos per vitam suam, sed quam dedit in

cruce pro nobis, non per vitam seorsim sumptam a morte; quapropter eodem versu ait ibidem Apostolus: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*.

Ad 5. Sociniani hisce argutiunculis penitus ineptiunt. In primis integer Apostoli textus ita se habet: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Quid est autem propitiari per sanguinem, nisi sanguinem in placamen ac pretium offerre? Dicimur praetera justificati *gratis per gratiam*, hoc est, non ex operibus legis, et absque ullo nostro promerito.

Obj. 6. cont. 6. mom. Oblatio quam de scipso fecit Christus, juxta Catholicos praefigurata fuit in victimis ac sacrificiis veteris legis. Ast vero antiquae legis victimae ac sacrificia vim ad satisfaciendum Deo non habebant; quum nulla inter bestias et homines sit communio, nec sanguine belluarum quarum ipse dominus est placari potuerit Deus.

Resp. Jam cum Chrysostomo animadvertimus inter figuram ac veritatem magnum esse debere discrimen. Quamobrem si veteris legis victimae et sacrificia vim non habebant expiandi peccata, inerat tamen divina illa virtus in sanguine Christi. Quare Hieronymus in cap. 9. Oseae: *Si totum*, inquit, *praecedat in typo, jam non typus, sed historiae veritas est appellanda*. Quod autem addunt nullam esse pecudes inter et homines communionem, demonstrat quidem sanguinem ac mortem belluarum non reconciliasse Deo homines perfecto modo, sed demonstrare nequit nos perfecto modo reconciliatos non esse Deo per sanguinem Christi: quoniam etsi Deus esset in Patris sinu morans, erat tamen etiam perfectus homo, ac per hoc communionem nobiscum habebat. Ceterum Socinianorum illa animadversio ridicula est. Nam Deus propitius reddebatur ne in peccatores violentam immitteret mortem, non a materiali pecudum sanguine, sed a libera hominum sanguinem illum offerentium voluntate, juxta foedus quod Deus ipse cum hominibus pepigit Levit. cap. 17. v. 11. *Ego dedi illum* (sanguinem) *vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit*. Quibus verbis refellitur quoque argumentum deductum ex supremo Dei in universa dominio; maxime cum sanguis victimarum non satisfaceret Deo accurate et perfectissime, ut Patri satisfecit Christus per proprium sanguinem.

Obj. 7. cont. 7. mom. Ex quo Christus in sanctis paginis dicatur reconciliator noster, non infertur vere ac realiter nos esse a Christo redemptos. Nam nullibi habetur Christum nos reconciliasse Deo aut Deum reconciliatum fuisse hominibus, sed legitur dumtaxat nos esse reconciliatos Deo per Christum. Haec autem phrasis indicat tantum nos libertate nostra Christum imitando et exemplum ejus sequendo reconciliatos esse Deo a quo aversi eramus. II. neque Deus nobis iratus erat, ut Catholici putant. Etenim antequam Christus ut homo appareret, jam Deus nos diligebat, scribente Johanne in sua 1. Ep. cap. 4. v. 10. *Ipse prior dilexit nos, et misit filium suum*. III. quod etsi concederetur Deum ira-

tum fuisse hominibus, non proinde tamen sequeretur Christum esse reconciliatorem eo sensu quod pro nobis perfecte satisfecerit. Nam in 2. ad Cor. cap. 5. v. 19. ita inquit Apostolus: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*. Et modum assignans reconciliationis, e vestigio subdit: *Non reputans illis delicta ipsorum*. Eo itaque sensu nos reconciliavit Deo, quod non imputentur nobis peccata, non quod perfecte pro nobis satisfecerit. IV. hinc Apostoli quoque dicuntur reconciliatores hominum cum Deo, et nihilominus reconciliant homines Deo ministerio verbi et exhortatione dumtaxat.

Resp. ad 1. Falsum est nullibi in Scripturis legi Christum reconciliatorem fuisse hominum. Nam in 2. ad Cor. cap. 5. v. 18. et 19. habetur reconciliatio Dei cum hominibus. Versu autem 20. legitur reconciliatio hominum cum Deo. Idipsum invenies in 2. Machab. cap. 7. et 8. Dissimulandum tamen non est frequentius legi reconciliationem hominum cum Deo quam Dei cum hominibus. Ast hujus rei ratio non est Deum ob scelera nostra minime iratum fuisse hominibus, sed quoniam reconciliatio ad illum potissimum spectat juxta Matth. cap. 5. v. 24. qui alterum offendit. Porro homo Deum, non Deus hominem offendit. Deinde allatis mom. 7. Scripturae testimoniis homines reconciliati Deo dicuntur per Christum, quatenus sanguinem fudit, animam posuit, et chirographum contrarium nobis cruci affixit. Non itaque nos libertate nostra Christum dumtaxat imitando reconciliati sumus Deo, ut Sociniani blasphemant.

Ad 2. Deus antequam Christus in mundum appareret, homines diligebat hoc sensu quod ipsis benevolus, non quod ipsi splacatus esset. Et aliud sane est Deum fuisse nobis benevolum, et aliud fuisse placatum. Res quippe ita se habuit. Deus diligebat hominem quem manibus suis plasmaverat: homo peccavit, et Deus ad iracundiam provocatus est; numquam tamen benignitatem suam erga homines amisit. Illius justitia satisfactionem exigebat accuratam et perfectissimam: cumque non inveniretur inter homines qui eam exhibere posset, idem Deus misericordia motus *misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*, inquit Johannes loco in argumento laudato. Neque repugnat Deum uno eodemque tempore benignum atque iratum erga hominem fuisse sub diverso respectu. Misericordia erga homines movebatur ut naturam illius quem perierat salvaret: iratus erga eumdem hominem erat, ut peccatum quod perpetraverat sic exigente justitia puniret. Atque hoc sensu regius Psaltes Psal. 84. v. 11. inquit: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia, et pax osculatae sunt*. Legatur de hoc argumento S. P. Augustinus lib. 13. de Trin. a cap. 11. usque ad 14. ubi multa scitu dignissima tradit.

Ad 3. Etiamsi Christus Patri nos reconciliasset per solam non imputationem peccati, non proinde tamen sequeretur Christum accurate non satisfecisse pro nobis. Nam ut cetera omittam, multi ex heterodoxis affirmant justificationem per Christum in sola non imputatione peccati consistere, et nihilominus in adstruenda redemptione vera et reali Catholi-

cis assentiuntur. Praeterea ratio cur Deus in reconciliatione nostra per Christum peccata nobis non imputet, est quoniam imputavit jam illa unigenito Filio suo quem *pro nobis peccatum fecit*, *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Denique Apostolus laudato in argumento loco partem unam explicat reconciliationis, alteram non negando. Reconciliatio enim importat non imputationem peccati, et gratiam sanctificantem per Christi sanguinem nobis promeritam. Ceterum idem Paulus ad Rom. cap. 5. v. 10. inquit nos reconciliatos esse Deo in vita Christi, subintellige, in mortem tradita. Alibi crebro legitur factam reconciliationem lytro sanguinis et mortis ejus.

Ad 4. Apostoli et ipsi dicuntur reconciliatores, sed diverso plane modo ac Christus. Rem explicat Paulus in 2. ad Cor. cap. 5. v. 19. *Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*. Apostoli ergo erant ministri reconciliationis, Christus autem reconciliator per sanguinis effusionem. *Quoniam enim dixerat*, scribit Chrysostomus Hom. 11. in 2. ad Cor. *Qui dedit nobis ministerium reconciliationis, temperamento utitur perinde ac si diceret: Non est quod existimetis summam hujus rei auctoritatem penes nos esse, ministri tantum sumus. Deus est qui totum hoc efficit, qui per Unigenitum suum terrarum orbem in gratiam recepit*. Hinc intorqueri in Socinianos argumentum potest. Apostoli diversimode a Christo dicuntur hominum reconciliatores: Apostoli sunt reconciliatores ministerio verbi: Christus ergo est reconciliator hominum cum Deo quatenus perfecto et accuratissimo modo sanguine suo satisfecit.

CAPUT IV.

Eadem catholica veritas de reali redemptione per Christum, demonstratur etiam ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex theologica ratione.

Nemo unus ignorat quam insolenter Sociniani sanctorum Patrum contemnant auctoritatem. Totum quippe christianae religionis fundamentum, juxta illorum placitum, est sola Scriptura, cujus intelligentiam ad humanae rationis libellam exigendam esse arbitrantur. Quare si Patrum sententias ad eos revincendos proferamus, vereor ne ad sacram Scripturam secundum humanas ratiocinationes interpretatam nos illico provocent. Verum quoniam sanctorum suffragio Patrum contra catholica dogmata et ipsi non raro arguere solent, et aliunde argumentum ex veterum probatissimorum hominum consensione deductum in rebus ad fidem spectantibus tanti momenti est ut vel ab invito assensum possit extorquere, non abs re factum existimo si postquam ex divinis Scripturis fuse probatum est redemptionem per Christum non metaphoricam, sed propriam esse atque realem, eamdem catholicam veritatem nunc etiam ex antiquorum auctoritate Patrum, atque ex argumentis a ratione depromptis demonstrare ag-

grediamur. Ita fiet ut ob Scripturarum auctoritatem ac vim ratiocinationis frangatur illorum pervicacia; ob consensum vero et conspirationem Patrum nostrorum pudore saltem ac rubore, si fieri potest, suffundantur. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Ex SS. PP. invictissime demonstratur redemptionem per Christum propriam fuisse atque realem.

Prob. SS. PP. recitando nonnulla testimonia ex infinitis quae allegari possent. Justinus martyr in Dial. cum Tryphone ita loquitur: *Deus rerum universarum parens Christum suum ex omni mortalium genere, omnium maledictiones suscipere voluit, sciens quod eum crucifixum et mortuum suscitaturus esset*. In Ep. autem ad Diognetum affirmat dedisse Deum *proprium Filium redemptionis pretium pro nobis*. Irenaeus lib. 4. adv. Haeres. cap. 18. docet Christum mortuum fuisse, *ut exiliatus homo exiret de condemnatione*: et rursus, *Christum propitiasse pro hominibus Deum*. Origenes lib. 1. cont. Cels. scribit, *Christum traditum fuisse, utpote purum, pro omnibus qui peccaverant*. Et Hom. 4. in Num. *Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri; nec opus fuerat eum in carne positum jugulari ... Verum quoniam introivit peccatum in mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, et propitiatio non fit nisi per hostiam; necessarium fuit provideri hostiam pro peccatis*. En Christus propitiatio et hostia pro peccatis. Eusebius caesariensis lib. 10. Praep. Ev. cap. 1. inquit: *Factus est pro nobis execratio Agnus Dei qui tollit peccata mundi: quem etiamsi non novisset peccatum mundi, peccatum pro nobis fecit Deus, loco omnium nostrum eum sufficiens*. Et paullo infra: *Non solum vero hoc agens Agnus Dei, auctor remissionis peccatorum factus est nobis: sed pro nobis supplicio ac poena affectus quam ipse non debebat, sed nos propter multitudinem peccatorum, dum loco nostrum mortem suscipiens ... et in seipsum transferens ... et ad se trahens maledictionem nobis peractam, factus est pro nobis maledictio*. Athanasius de Incarn. *Corpus*, inquit, *quod sibi* (Verbum) *accepit, velut hostiam et victimam omni puram macula, morti offerendo, id quod debebatur in morte solvit*. Et iterum: *Mortuus est, ut pretium pro omnibus solveret*. Chrysostomus in cap. 3. Ep. ad Gal. scribit: *Suscepit Christus maledictionem, atque ita illam sustulit, perinde faciens ac si morti adjudicato quopiam alius justus illius damnati voce sponte mori volens, eripiat ipsum*. Basilius in Psal. 28. ait: *Quid enim usquam tanti est momenti quod homo poterit dare pro redemptione animae suae? Inventum tamen unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus et omni pretio superior pretiosus sanguis D. N. J. C. quem pro nobis omnibus effudit; quamobrem pretio sumus empti*. Cyrillus alexandrinus lib. 2. in Johan. *Unus*, inquit, *pro omnibus Agnus*

occiditur ... Nam quoniam in peccato eramus ; atque idcirco morti et interitui debebamur , Filium suum Pater in redemptionis pretium dedit pro nobis , unum pro omnibus . Non dissimili modo loquuntur Theodoretus , Victor antiochenus, Macarius, Epiphanius , Gregorius nyssenus , verbo omnes graeci Patres .

Dogma idem Patres quoque tenuere latini . Tertullianus enim cont. Judaeos cap. 13. haec habet : *Hunc* (Christum) *oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium : qui tamquam ovis ad victimam ductus est , et velut agnus coram tondente se sine voce , sic non aperuit os suum* . Cyprianus in lib. de Laps. *Veniam peccatis quae in ipsum commissa sunt , solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit , qui pro nobis doluit , quem Deus tradidit pro peccatis nostris* . Hilarius pictaviensis in Psal. 64. ita scribit : *Scientes tandem vetera delicta , et antiquae impietatis crimina Deo propitianda esse per Christum . Ipse enim, secundum Apostolum , nostra placatio est* . Ambrosius in lib. de Joseph patriarcha cap. 4. ita fatur : *Venditus Christus conditionis susceptione , non culpae peccatique pretio tenetur , qui peccatum ipse non fecit ... Pretio igitur nostrum debitum , non suo aere contraxit , chirographum sustulit, foeneratorem removit , exuit debitorem : unus exsolvit quod ab omnibus debebatur* . Eadem repetit in lib. de Fuga saeculi cap. 7. in Lucam lib. 8. et alibi . Hieronymus in cap. 53. Isaiae , *Quod enim* , inquit , *nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere , ille pro nobis passus est , pacificans per sanguinem crucis suae sive quae in terra sive quae in caelis sunt* . S. P. Augustinus in Psal. 95. scribit : *Venit redemptor , et dedit pretium ; fudit sanguinem suum , emit orbem terrarum . Quaeritis quid emerit ? Videte quid dederit , et invenite quid emerit . Sanguis Christi pretium est . Tanti quid valet ? quid, nisi totus orbis ? quid, nisi omnes gentes ?* Et lib. 14. cont. Faust. cap. 4. *Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum , ut inde solveret reatum nostrum , et finiret etiam supplicium nostrum* . Et ne singulorum Patrum testimonia recenseam , S. Leo M. serm. 12. de Pass. Dom. ait : *Quamvis in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa fuerit mors , nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi ... Acceperunt justi , non dederunt coronas ... cum inter filios hominum solus D. N. J. C. exstiterit in quo omnes crucifixi , omnes mortui , omnes sepulti , omnes etiam sunt suscitati* . Ab aliorum colligendis sententiis abstineo, tum quod Sociniani inficiari non audeant Patres omnes illorum systemati contradicere , tum quod ex recitatis satis fiat manifestum fideles omnes semper credidisse redemptionem per Christum veram esse atque realem , non impropriam et metaphoricam .

CONCLUSIO II.

Theologica quoque ratione eadem catholica veritas ostendi potest .

Prob. Admissa semel Socinianorum de metaphorica Christi redemptio-

ne sententia multa intolerabilia sequuntur absurda: quod patet enumeratione. Et I. innumera Scripturarum oracula in superioribus a nobis allata, aliaque bene multa a Theologis ac sanctis Patribus afferri solita in quibus sermo de redemptione per Christum instituitur, ridiculum in modum exponenda sunt, et ad sensus a sacrorum scriptorum mente alienos sunt detorquenda. Sic v. g. complura illa testimonia in quibus commemoratio occurrit expiationis peccatorum nostrorum, si vera esset Socinianorum sententia, intelligenda essent hoc modo: quod Christus peccata nostra expiaverit, quatenus illa remittuntur sancte viventibus. Sanctitas autem vitae per fidem ac praemii spem comparatur. Fides vero ac spes habentur ex Christi exemplo, quoniam Christus qui sancte vixit, seipsum a mortuis excitavit, et mors praecedere debuit ut ipse resurgeret; eaque de caussa, inquiunt Sociniani, Christi morti in sacris Scripturis peccatorum nostrorum tribuitur expiatio. Ita pessimi hi haeretici Scripturae loca explicare conantur ubi sermo fit de peccati expiatione. Non dissimili modo exponunt quoque divinas Scripturas ubi affirmant Christum mortuum esse pro nobis, seipsum in hostiam dedisse piacularem, sanguinem ejus ac mortem esse placamen etc. Nonne Scripturas hoc modo explicare idem est ac ridiculos illis appingere sensus? Numquid Spiritui sancto auctoribus hagiographis capitalia fidei nostrae mysteria dictanti verba ad ea exprimenda defuerunt ut sententias traderet tot circuitionibus ambagibusque obscurissimis implexas?

II. si redemptio per Christum esset impropria ac metaphorica, vera Christi Ecclesia per sexdecim integra saecula in re gravissimi momenti, ut est dogma de Incarnatione, in intolerabili versata fuisset errore. Nam a Christi morte usque ad aetatem Socini, non modo Catholici omnes, sed cujusvis sectae Christiani, si unum Petrum Abaelardum excipias, constanti fide tenuerunt redemptionem per Christum propriam esse atque realem. Quapropter dicendum foret Ecclesiam a suis incunabulis a veritate excidisse, eique expectandum fuisse Socinum a quo argueretur erroris, et veritatem addisceret.

III. si nos morte ac sanguine Christi redempti sumus, quatenus exemplum dumtaxat ab illo accepimus et consilium ut sequamur vestigia ejus, dici possumus ex aequo redempti miraculis praedicatione mirabilique vita ejus, ac sanguine et morte. Miracula namque patravit ad fidem firmandam, praecepta dedit ut nos ad vitam aeternam dirigeret, virtutes omnes exercuit ut viam sterneret nobis ad salutem. Verum universa sancta Scriptura undique clamat redemptos nos esse per sanguinem ac mortem ipsius, non per miracula aut praecepta aut exercitium virtutum.

IV. item si Christus ut consilium et exemplum nobis praeberet mortem dumtaxat oppetiit, atque hoc sensu homines sunt ab eo redempti; dici quoque poterunt homines redempti ab Apostolis et Martyribus qui multa perpessi sunt tormenta, et quidem Christi cruciatibus diuturniora et in specie saltem etiam graviora. Martyrum nihilominus Apostolorumque mors et sanguis plurimum sane ad veritates quas praedicabant confirman-

das et ad patientiae exemplum valuerunt: sed quis dixerit nos ab Apostolis atque Martyribus fuisse redemptos? Optime Apostolus 1. ad Cor. cap. 1. v. 13. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Et magnus Augustinus Tract. 84. in Johan. *In fraternorum peccatorum remissionem nullus sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis.*

V. Socinianorum denique systema in absurdissima Paganorum, Ebionitarum, Pelagianorumque incidit portenta. 1. incidit in amentiam Paganorum qui cum accuratam Dei non habeant notitiam, stulte arbitrantur mortalium scelera nullum afferre superis detrimentum; atque haec hominibus condonari supremi judicis liberalitate, nulla pro eis expetita satisfactione. Hoc idem, inquam, affirmant Sociniani, Deum videlicet ob hominum peccata minime iratum esse, nullam a delinquentibus exigere satisfactionem; proindeque metaphoricam esse illius redemptionem. 2. haeresim renovant Ebionitarum. Affirmabant hi Christum Dominum nonnisi improprie Deum appellari, ac purum putumque fuisse hominem ex hominibus genitum, licet reliquis hominibus sanctiorem; proindeque docebant non potuisse pro humani generis sceleribus Deo accurate et perfectissime satisfacere. Nonne hoc idem commenti sunt Sociniani? Imo hoc ipsum est impuri dogmatis fons et scaturigo. Quum enim probe noverint ad accuratam satisfactionem infinitam in persona satisfaciente requiri dignitatem, nec Christum vere ac proprie Deum esse fateri velint, conati sunt proinde affirmare non esse Christi personam infinitae dignitatis, atque idcirco non potuisse condigne satisfacere Deo pro nobis. 3. demum ex orco revocarunt etiam superbissima deliramenta Pelagianorum, quorum systema erat non dari in hominibus originale peccatum, neque Salvatoris gratiam ad bonum agendum esse necessariam. Si quis autem sciscitabatur ab eis: Eccur ergo Christus mortem pro nobis subiit? Respondebant, non ut homines salvos faceret eisque salutis conferret praesidium, sed ut nobis exemplum praeberet, utque ex praedicatione illius ac Evangelio utilitatem perciperemus. Eadem prorsus Sociniani dogmatizant. Negant originale peccatum et supernaturalis gratiae necessitatem, docentes Christi nativitatem conversationem ac mortem hoc unum efficere, ut exemplum nobis praebeant ad salutem aeternam comparandam. Neque putes vereri eos tales habere propriae impietatis praeformatores. Imo vero Crellius Praef. ad opera polem. gloriatur sectavise Theodorum byzantinum, Artemonem, Paulum samosatenum, Beryllum bostrensem, Photinum, Pelagium; tanta est perditissimorum hominum audacia et impudentia. Quum ergo pestilentissimum hoc Socinianorum dogma sit veterum omnium haereticorum nova quaedam consarcinatio, quis illud non execretur?

Solvuntur nonnulla Socinianorum sosphismata.

Obj. 1. Deus in sanctis Scripturis aperte testatur se hominibus poenitentibus remittere et gratis condonare peccata, ut videre est Matth. cap. 18. v. 28. Ep. ad Rom. cap. 3. v. 24. Ad Ephes. cap. 4. v. 22. Jerem.

18. v. 8. Ezech. 33. v. 14. et alibi saepe. Ast liberalis et gratuita condonatio stare cum perfecta satisfactione nequit; haec enim a justitia, illa a misericordia proficiscitur. Quamobrem Christus nonnisi improprie ac metaphorice pro nobis satisfecit. II. et revera si Deus satisfactionem pro peccatis nostris accepit, nullo modo dici poterit condonare peccata a quovis satisfactionem acceperit. Numquid enim Petrus condonat Paulo centum nummos aureos, si non a Paulo debitore, sed a Titio vade et sponsore illos exigat? III. imo erit Deus non liberalis condonator, sed exactor avarus; exigit nempe pro offensa satisfactionem et nihil de suo remittit. IV. neque reponere juvat satisfactionem non a nobis, sed a Filio accepisse, ad sensum salvandum Scripturarum. Nam eo in casu Deus commutavit debitorem, nihilque de suo donavit. V. hinc Apostolus ad Ephes. cap. 4. v. 32. vult ut nos simus *invicem benigni*, *misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit* nobis. Unde quemadmodum injuriarum condonatio ab Apostolo hominibus praecepta, gratuita non esset si homines aliquam exigerent satisfactionem; ita gratuita non erit peccatorum remissio, si pro illis satisfecit Christus. VI. eodem modo Dei misericordia condonat nobis peccata quo illa condonavit veteris Testamenti cultoribus. Idea autem condonationis in V. Testamento factae excludit proculdubio satisfactionem per Christum qui sanguinem adhuc non fuderat. VII. demum nullum Deo affert emolumentum ejusmodi satisfactio.

Resp. ad 1. In primis quomodo homo peccator poterit cor immutare et proprii illum poenitebit sceleris, nisi Christi redemptio et quidem realis supponatur? Gratia namque ad poenitentiam necessaria maximum est sanguinis ac mortis Christi beneficium. Deinde non exigit sane Deus rigorosam a nobis pro peccatis satisfactionem; sicque verificatur quod illa gratis nobis remittat. Sed quare? Quoniam jam pro peccatis nostris satisfactionem accepit per Unigeniti sui sanguinem atque mortem. Neque vero repugnat ut Deus peccata condonet et simul exigat pro illis satisfactionem, siquidem uni gratis condonet, nimirum peccatori, ab altero vero, hoc est a Filio suo, tamquam a vade et sponsore satisfactionem acceperit. Quod Apostolus ad Rom. cap. 3. v. 24. et 25. luculentissime expressit scribens: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae*: habes hic gratiam per quam poenitentiam agentes justificamur, habes et Dei misericordiam quae gratis nobis remittit peccata, habes et justitiam quae statuit ut Christus factus redemptio et propitiatio in sanguine ipsius, perfecte satisfaceret Patri.

Ad 2. Diversimode de debito reali ac de debito personali discurrendum est. Debitum reale est quando quis vel pecuniam vel rem aliquam externam solvere tenetur. Debitum vero personale est quando persona offendens injuriam personae offensae remittere debet. In prioris generis debito quum illud dumtaxat curandum sit ut rerum aequalitas inducatur vel restituatur, nil interest an solutio vel a debitore vel a fidejus-

sore fiat; nec creditor debitum gratis remittere dicitur, si illud non a debitore, sed a vade solvatur: quoniam in ejus generis debitis attendi ipsa solutio debet. Non ita tamen se res habet in debito personali. Persona offensa jus habet satisfactionem exigendi a persona offendente, atque si vadimonium admittere nolit, a nemine redargui potest. Imo si admittat vadimonium, summa ejus benignitas est. Ad rem nostram. Deus est persona offensa, homo persona offendens. Jure suo uti poterat Deus ut poenam a persona exigeret offendente. Ast noluit, et propter nimiam charitatem suam poenas peccato nostro debitas transtulit in Christum filium suum vadem nostrum qui satisfecit pro nobis. Merito ergo Deus affirmat se gratis nobis condonare peccata, quamvis accuratam pro illis habuerit a Filio satisfactionem.

Ad 3. Falsum penitus est Deum in Catholicorum systemate liberalem non esse donatorem. 1. enim summa relucet in Deo liberalitas erga humanum genus a quo noluit satisfactionem pro scelere exigere. 2. quod satisfactionem illam exigere voluerit a Filio, avaritia non est, sed lex aequitatis. Filius quippe se fideijussorem exhibuit pro nobis: fideijussor autem statim constituitur debitor. 3. quamvis Deus satisfactionem pro peccato repetierit a Filio, nihilominus de suo donavit, quoniam proprio Filio non pepercit, et ob nimiam charitatem qua nos diligebat, Unigenitum suum dedit.

Ad 4. Debitoris commutatio hoc sensu facta est a Deo quod Filius suus sponte, non necessario se vadem nostrum exhibuerit Patri, non quod ob propria peccata debitor esset. Falsum est autem debitoris commutationem in sensu explicato auferre gratuitae condonationis characterem. Nam debebamus nos poenas solvere pro peccato, et Deus in Filium suum vadem nostrum illas conjecit.

Ad 5. In hoc Apostoli inter nos et Deum comparatio consistit, quod sicuti Deus quamvis jus haberet poenas a nobis exigendi, illas nihilominus gratis condonavit sola contentus satisfactione a Filio oblata; ita et nos invicem condonare debemus nulla a fratribus expetita satisfactione. *Neque in hoc est repugnantia*, inquit Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 12. *quia Deus hoc praecipit nobis, ne praesumamus quod solius Dei est. Ad nullum enim pertinet vindictam facere*.

Ad 6. Etiam Justi V. Testamenti salutem consequebantur per Christum sicuti et nos, sed illi per fidem in Christum venturum, nos vero per fidem in Christum qui jam advenit.

Ad 7. Christi satisfactio emolumentum utique attulit Deo non quidem intrinsecum, sed extrinsecum. Nam primus homo peccando gloriam abstulit et honorem a Deo, Christus vero satisfaciendo, eidem Deo gloriam restituit et honorem.

Obj. 2. Iniquum est innocentem occidi pro reo: Christi autem satisfactio perfecta supponit innocentem occisum pro reo: Ne itaque iniquitatem admittamus in Deo, neganda omnino est illa satisfactio. II. nec refert quod Christus occisus sit ut vas noster et sponsor. Nam semper

est contra legem aequitatis ut innocens etiam ut sponsor poenas pro alieno peccato solvat: tum quia Deus ipse expresse prohibuit ne nocentium loco innocentes puniantur, mandans in Deut. cap. 24. v. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur*; tum quia iniquum est innocentem qui reipublicae bono conducit punire, et reum publico bono nocentem absolvere; tum denique quoniam nulla adhuc gens consuetudinem approbavit animadvertendi in innocentem pro reo. III. justitia exigit ut poena sequatur peccatum. Cumque Christus nullum haberet peccatum, injustitia qua Christus damnatus est ad mortem, si catholicum systema consisteret, refundenda esset in Deum.

Resp. ad 1. Iniquum utique est innocentem occidi pro reo, si ille qui occiditur non sit rei fideijussor et vas, secus autem si fideijussionem praestiterit. Et quemadmodum iniquum non est ab illo qui nihil debet pecuniam repetere si se fideijussorem exhibeat, ita iniquum non est satisfactionem repetere ab innocente qui se vadem atque sponsorem pro reo exhibuit.

Ad 2. Iniquum pariter est ut innocens etiam sponsor pro alieno peccato puniatur, si innocens ille puniatur invitus, si potestatem non habeat ponendi animam suam, si ex ea punitione sequantur incommoda. Si vero e contra, nulla intercedit iniquitas. Hinc humanae leges ut plurimum vetant ne innocentium vita pro reorum sceleribus offeratur: quoniam innocentes vel trahuntur ad supplicium inviti, vel in propriam vitam potestatem non habent, vel ex eo supplicio non levia sequuntur incommoda. Ast nihil horum locum habet in Christo qui *oblatus est, quia ipse voluit*, quique potestatem habebat ponendi animam suam, ex cujus morte chirographum quod contrarium erat nobis, affixum est cruci ut nos livore ejus sanaremur. His accedit Christi innocentis mortem fuisse longe gloriosiori vita compensatam; quum propria virtute a mortuis surrexerit, et talem nomen ejus adeptum sit virtutem, ut in nullo alio nomine salus esse possit. Quod Deus in Deut. vetuerit ne patres occidantur pro filiis etc. summam illius demonstrat erga homines aequitatem: qui audientes proverbium illud quo ferebatur Deum visitare peccata parentum in filios filiorum, suspicari poterant licere sibi ulciscendi cupiditati obnoxiis quod licet Deo supremo rerum omnium Domino et a quovis vitio immuni; unde sapientissime statuit ut poena reum sequeretur. Licere autem Deo ut supremo Domino innocentem punire pro reo, innumeris demonstrari posset exemplis, si necessitas id exigeret. Legantur interim Gen. cap. 5. lib. 2. Reg. cap. 21. Jerem. cap. 5. etc. Falsum est quoque non consuevisse gentes morti se devovere pro reis. Praeclara sunt enim exempla Damonis et Pithiae, Zeleuci locrensis, et aliorum quos commemorare non vacat. Unde ejusdemmodi vades appellari solebant Ἀντίψυχοι, nempe *qui pro altero se tradere morti percupiunt*, ut inquit Dio Cassius, moremque hunc secuti sunt Soldurii apud Gallos, teste Caesare lib 3. cap. 11. Decius pater et Decius filius apud Romanos, de quibus S. P. Augustinus lib. 4. de C. D. cap. 20.

Ad 3. Justitia exigit ut poena sequatur peccatum: Christus peccata nostra, illorum scilicet poenam, tamquam sponsor in se suscepit: Justitia ergo exigebat ut moreretur.

Obj. 3. Christus revera non satisfecit pro nobis. Nam homines pro quibus satisfaciendum erat infiniti propemodum numero quum sint, innumerabiles Christus oppetere debuisset mortes ut pro singulis satisfaceret. Ast semel Christus mortuus est. II. nec satis fit difficultati dicendo Christi personam quae satisfecit esse infinitam. Nam hoc etiam admisso illius satisfactio aequivalens esse non potuit. Meritum enim quod post peccatum inerat homini, erat aeterna mors. Numquid Christus aeternam pertulit aut perferre poterat mortem? III. praeterea si Christi satisfactio ad mentem Catholicorum fuisset aequivalens, homo pro suis peccatis satisfacere non teneretur; satisfecit quippe pro homine perfectissimo modo Christus: Tenetur autem: Adeoque catholica sententia non est sibi cohaerens. IV. demum si Christus plenissime pro peccatis nostris morte sua satisfecit, quid ergo est quod homines propter peccatum innumeris adhuc plectuntur miseriis et calamitatibus? Quid est quod tam ingens hominum numerus aeternis adhuc addicitur poenis?

Resp. ad 1. Non debuit Christus innumerabiles pro innumerabilibus hominibus oppetere mortes; quoniam una mors ejus aequivalens erat et superabundans ad satisfaciendum pro omnibus. Quum enim non esset Christus, ut Sociniani delirant, purus putusque homo, sed homo simul ac Deus, actus humani quibus satisfecit pro nobis infiniti erant valoris, adeoque ad satisfaciendum pro infinitis hominibus aequivalentes.

Ad 2. Christus certe non pertulit neque perferre poterat aeternam mortem. Sed pretium quod temporali morte ipse solvit, fuit aeternae morti peccato promeritae aequivalens et superabundans. Satisfactio quippe sive realis sive personalis, non est ejusdem omnino rei, sed aequivalentis restitutio; alioquin qui centum nummos aureos debet creditori, si alterius generis pecuniam restitueret, non satisfaceret. Mors ergo Christi ejusque sanguis quum fuerit personae infinitae dignitatis, pretii erat, ut diximus, infiniti; ac proinde aeternae peccatoris morti aequivalebat. Peccato sane ex quo sit infinitae personae offensa, poena deberetur infinita: ast quum homo infinitae poenae incapax sit, assignatur illi a Deo poena aeterna quae infinita dici potest ratione temporis; neque enim umquam finem habebit. Quapropter etsi Christi mors infinita non esset ratione durationis, infinita tamen fuit ratione dignitatis; quoniam fuit mors personae in qua erat humanitas hypostatice conjuncta divinitati.

Ad 3. In Catholicorum exposito systemate non tenetur homo pro suis peccatis satisfacere ad obtinendam reconciliationem, bene vero tenetur ad obtinendam applicationem. Nam Christus pro omnibus ac singulis hominibus sanguinis sui obtulit lytrum. Verum ut singulis illud applicetur, nonnullae ex parte nostra conditiones requiruntur, quas si ponamus satisfacere dicimur irato numini pro peccatis nostris. Unde inquit Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui no-*

stro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

Ad 4. dico cum Augustino nostro lib. 2. de Peccat. merit. et rem. potuisse quidem Christum morte sua *etiam hoc donare credentibus, ut nec istius experirentur corporis mortem: sed si hoc fecisset, carni quaedam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo*: potuisse, sed maluisse temporalem mortem corporis relinqui *interim ad exercitationem fidei et agonem praesentis luctationis*, cum eodem Augustino Ep. 157. ad Hilarium; videas ejusdem sanctissimi Patris serm. 299. de Sanctis, alias 41. de Diversis. Ac denique liberabit nos Christus a corporis morte per meritum mortis suae, quando seminatur corpus animale, resurget autem corpus spiritale. Postremo ideo licet Christus pro nobis satisfecerit multi salvi non fiunt, quoniam impii satisfactionem illam sibi applicare non curant per fidem, charitatem, sacramenta, exercitiumque virtutum. Innumera hujus generis alia urgere solent Socini gregarii, quae si putas facilem non habere ex dictis solutionem, contrita vide apud Grotium, Johannem Gerardum Vossium, peculiaribus de hoc argumento dissertationibus Hoornebek lib. 3. de Christo, Witasse, Berti, Augustinum Gervasio ordinis nostri. Ceteros praeclarissimos viros qui de hoc argumento scripsere non opus est ut commemorem, quum Laurentius Berti rem hanc penitus exhaurierit.

CAPUT V.

An Christi satisfactio fuerit condigna superabundans et ad juris apices.

Aliud est Christi satisfactionem fuisse condignam, aliud fuisse superabundantem, et aliud fuisse ad apices juris. Satisfactionem Christi fuisse condignam, idem est ac fuisse aequivalentem seu sufficientem coram Deo pro peccatis nostris; ita ut tantum per illam honoris irato Deo restitutum sit, quantum injuriae eidem Deo peccatum intulit. Fuisse autem superabundantem significat non modo fuisse sufficientem, sed magis etiam placare valuisse Deum, si magis pro peccatis nostris provocatus ad iracundiam fuisset. Ac tandem fuisse satisfactionem illam ad juris apices, idem est ac fuisse ex toto rigore justitiae, omnesque ad perfectam justitiam requisitas conditiones in ea intercessisse.

Conditiones autem quae ad perfectam justitiam requiruntur, quamvis multae soleant a Theologis assignari, nos tamen ad quatuor dumtaxat illas reducemus quae hac concluduntur definitione: *Est aequivalentis honoris redditio ei qui laesus est, ex propriis et alias indebitis*. Ex qua definitione intelligimus accuratam satisfactionem esse debere. 1. aequivalentem. 2. ad alterum. 3. ex propriis. 4. ex alias indebitis. Esse debet aequivalens, hoc est, ut tantum reddatur quantum fuit ablatum; quoniam satisfactio est actus justitiae commutativae. Debet esse ad alterum, quia quum satisfactio sit proprie redditio, nemo sibi ipsi reddere dicitur.

de lib. arb. cap. 10. *Unicus*, inquit, *Dei filius, diabolum quem semper sub legibus suis habuit et habebit, homine indutus etiam homini subjugavit: nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiae*. Cyrillus alex. lib. 1. de Fide ad Reginas ait: *Solus sufficit qui super omnes est*. Leo M. serm. de Pass. *Ad dominationem diaboli destituendam magis usus est justitia rationis, quam potestate virtutis*. IV. accedit et ratio. Persona Christi divina erat, adeoque infinitae virtutis et dignitatis. Actiones ejus humanae quamvis secundum physicam entitatem essent finitae, ex quo tamen humanitas subsistentiam a divina persona haberet, et ipsae dignitatis erant infinitae. Sufficienter itaque actionibus suis humanis pro nobis satisfecit.

Prob. alt. pars prop. I. Scripturis. Ad Rom. cap. 5. v. 15. scribit Apostolus: *Non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*. Et v. 20. subdit: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*. II. ex PP. Cyrillus hierosol. Catech. 13. ait: *Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta pro illis morientis justitia. Non tantum nos peccavimus, quantum ille juste egit*. Chrysostomus Hom. 12. in Ep. ad Rom. inquit: *Multo plura iis quae debebamus dependit Christus: atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum majus esse possit*. Leo M. serm. 12. de Pass. *Effusio pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: quoniam, sicut Apostolus ait: Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia*. Similia habent Bernardus et alii.

CONCLUSIO II.

Satisfactio Christi fuit ad strictos juris apices.

Prob. Conditiones singulae ad satisfactionem de toto rigore justitiae requisitae quas ab initio recensuimus, inveniuntur in Christi satisfactione. Et I. fuisse illam aequivalentem, imo et superabundantem satis ex superiori concl. demonstratum remanet.

II. sed fuit etiam ad alterum. 1. enim si satisfactio consideretur prout a Christo oblata fuit Patri ac Spiritui sancto, nemini dubium quin fuerit ad alterum, quum persona Filii alia sit a persona Patris et Spiritus sancti. 2. fuit ad alterum quoque si spectetur quatenus ab humanitate exhibita fuit Verbo, humanitas quippe realiter distinguitur a divino Verbo. 3. demum eadem satisfactio fuit ad alterum etiamsi consideretur exhibita in carne ab ipsa Verbi persona. Nam Verbum cum natura ac voluntate humana non solum Patri ac Spiritui sancto, sed et sibi ipsi in divina natura considerato et in divina voluntate ac operatione satisfecit prout persona erat offensa. Et quemadmodum non repugnat ut idem Ver-

bum dicatur *mittens* et *missus*, *jubens* et *obtemperans*, ob naturae voluntatis ac operationis diversitatem; ita eadem de caussa non repugnat ut idem Verbum dicatur persona offensa et persona satisfaciens.

III. fuit insuper ex propriis. Johan. siquidem cap. 10. v. 17. sic Christus loquitur: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a me ipso*. Et S. P. Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 14. *Humana*, inquit, *pro nobis passus est, quia homo erat: sed si noluisset, etiam hoc non pati potuisset, quia et Deus erat*. Praeterea satisfecit Christus suis actionibus, orationibus nempe jejuniis sanguine ac morte: quae actiones suae erant et propriae, quoniam habebat in illas liberum ac singulare dominium. Ac denique persona satisfaciens erat proprie persona Christi: opera autem per quae satisfecit erant quoad entitatem humanitatis quae a divina persona regebatur; adeoque erant sub illius jure ac potestate.

IV. satisfecit etiam ex alias indebitis. 1. quoniam etsi Christus Patris voluntati subdere se teneretur eo quod secundum humanitatem rationalis esset creatura, tamen quum innocens esset et impollutus, non tenebatur esurire sitire sanguinem fundere ac mori. *Hoc ex debito*, scribit Anselmus lib. 2. *cur Deus homo* cap. 2. *Deus non exigebat ab illo: quoniam namque non erat peccatum in illo, non debebat mori*. 2. operationes per quas Christus satisfecit quum ex divina persona proficiscerentur, valoris ac pretii erant infiniti. Quod vero infinitum est, omnes explere potest titulos; proindeque explere poterat titulum quoque satisfactionis. 3. nec obstat quod omnia quae habuit Christus acceperit a Patre, juxta illud Johan. cap. 17. v. 10. *Mea omnia tua sunt*. Nam quum Christus Patri coaeternus esset atque consubstantialis, dona omnia a Patre sibi collata in jus Filii ita transierant, ut essent sua propria omnique debito soluta. Hinc ajebat Christus quod vitam habuerit a semetipso, quod liberam haberet ponendi animam facultatem, et quod in manu ejus omnis carnis esset potestas.

V. demum quod Pater nihil gratiose remittere satisfacienti voluerit de debito quod homo per peccatum contraxit, fuse a nobis demonstratum est huj. lib. cap. 1. concl. 3.

Adversariorum difficultates enodantur.

Obj. 1. adv. 1. part. prioris thes. Apostolus ad Colos. cap. 1. v. 24. tradit se adimplevisse in corpore suo quae passioni Christi deerant; ait namque: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia*. Non fuit ergo aequivalens Christi satisfactio. II. indiguit Christus orare ut satisfactio ejus acceptaretur a Patre, ut scribit idem Paulus ad Hebr. cap. 5. *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Ubi ergo est satisfactionis sufficientia? III. quum ad perfecte sa-

tisfaciendum actio requireretur infinita, et Christi actio utpote humana pretii ac valoris esset finiti, non satis fuit ad Deum placandum. IV. nec dici potest Christi actiones satisfactorias infiniti fuisse valoris ratione personae. Nam ut actiones illae infinitae essent, debuisset ipsa Christi persona se passioni subjicere, quod repugnat. V. licet divina persona subsistentiam tribuerit humanitati, non proinde tamen humanae naturae actiones infiniti fuere valoris; quemadmodum etsi mundi creatio opus sit totius Trinitatis, non est tamen actio infinita.

Resp. ad 1. Si aliquid satisfactioni Christi defuit, fuit quidem ex parte nostra, non ex parte sui. Nam quae passus est Christus, pretii erant ac valoris infiniti; atque idcirco promeruerunt nobis vitam aeternam. Verum ut illam actu consequamur, non satis est passio a Christo pro remedio nostro instituta, sed praeterea requiritur ut passio illa nobis applicetur: quae applicatio fieri a nobis debet per bona opera ac exercitium virtutum. Quare cum inquit Apostolus se adimplere quae desunt passionum Christi in corpore suo, idem est ac si dicat se conatus omnes impendisse ut Christi passio per se sufficiens et perfectissima ad propriam salutem sibi applicaretur. Hinc ait, *in carne mea*. Deinde quando nos patimur, Christus pati censetur in nobis velut caput in membris. Paulus ergo adimplebat in carne sua quae Christo patienda supersunt in membris suis: et ideo addit, *pro corpore ejus*, *quod est Ecclesia*. Responsionem clarius exponet doctorum aquila Augustinus in Psal. 86. *Videte quid dixit Apostolus: quia in ipso Christus patiebatur. Ut adimpleam, inquit, quae desunt pressurarum Christi in carne mea. Ut adimpleam: quid? Quae desunt. Cui desunt? Pressurarum Christi. Et ubi desunt? In carne mea. Numquid aliquid pressurarum deerat in illo homine, quod factum est Verbum Dei, nato de Maria virgine? Passus enim est quidquid pati deberet, ex sua voluntate, non ex peccati necessitate: et videtur quia omnia. In cruce enim positus accepit acetum ultimum, et ait, Perfectum est.*

Ad 2. Caussae cur Christus in diebus carnis suae oraverit, multae fuerunt, easque attigimus capite postremo superioris libri. Non oravit tamen ut Pater satisfactionem ab eo oblatam acceptatione sua sufficientem redderet.

Ad 3. Quum actiones per quas Christus satisfecit, ab humana natura quae finita erat profluerent, ratione entitatis utique erant finitae. Ast eaedem actiones quum essent personae divinae quae humanitati subsistentiam tribuebat, valoris erant ac pretii infiniti. Quod si quis non satis percipiat, animadvertat actiones illas factas fuisse ab homine Deo, ab illo videlicet homine cujus hypostasis quum esset divina, ad jus suum omnia opera humana trahebat: adeoque opera illa humana, opera revera erant Dei; unde vera est haec propositio, *Deus pro nobis passus ac mortuus est*. Opera autem Dei sunt infiniti valoris. Quapropter etsi actiones Christi satisfactoriae ratione entitatis essent finitae, infinitae tamen erant moraliter ac ratione valoris:

Ad 4. Ut Christus actionibus suis satisfaceret Deo utique divina

persona quae in eo erat se passioni subjecit, quoniam semetipsum exinanivit. Sed exinanitio illa non ex parte divinitatis quae immutabilis est, sed ex parte se tenet humanitatis: quapropter Apostolus ait Christum semetipsum exinanisse, quatenus formam accepit servi, et in ea factus est obediens usque ad mortem.

Ad 5. Latum est inter creationem et opera satisfactionis discrimen. In operibus satisfactionis suppositum divinum est quid intrinsecum illis. In ceteris autem actionibus suppositum divinum est quid extrinsecum.

Obj. 2. adv. alt. prop. partem. Si Christi passio fuisset ad propitiandum superabundans, fuisset plane superflua: quod affirmare absurdum est. Et revera ratio cur satisfactio per Christum dicitur superabundans, est quoniam vel una sanguinis guttula sufficiens quum esset, totum voluit effundere sanguinem, ac crucis subire patibulum. Hoc autem repugnat Scripturae dicenti: *Oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam*.

Resp. Una sanguinis Christi guttula in se inspecta sufficiens proculdubio erat ad Deum pro peccatis nostris placandum; quum enim sanguis esset humanitatis subsistentiam a Verbo habentis, pretii erat infiniti. Et quoniam non unam guttulam, sed totum effundere voluit sanguinem, hinc jure affirmant Catholici satisfactionem illam fuisse superabundantem. Nec proinde sequitur fuisse superfluam, quoniam totius sanguinis facienda erat effusio ad infinitae Dei charitatis erga humanum genus manifestationem. Addit et aliam caussam Auctor serm. 32. inter supposititios augustinianos, alias 101. de Temp. ejusdem Augustini: *Mors nisi a morte superari non poterat; ideo mortem Christus sustinuit, ut injusta mors justam vinceret mortem, et liberaret nos juste, dum pro eis occidebatur injuste*. Voluit praeterea Deus Christi filii sui totius sanguinis effusionem et mortem, ut utiliter sciremus quaenam sit poena peccati, qualia ex Adae praevaricatione consecuta sint damna, et quantum divinam timere debeamus justitiam. Aliae assignari possunt caussae, quas brevitati consulens omitto. Non fuit ergo superflua totius Christi sanguinis effusio et mors. Quod autem dicat Scriptura, *Oportuit pati Christum* etc. non demonstrat necessariam fuisse illius mortem, nisi supposito Dei decreto cui sponte se subdidit Christus.

Obj. 3. cont. alt. thes. Christi satisfactio non fuit ad alterum: quoniam etiam prout homo, est verus ac naturalis Dei filius, et aliquo sensu dici quoque potest Dei servus. Pater autem et filius, servus et dominus una eademque moralis censentur persona. Quomodo ergo satisfecit Christus ad alterum? II. sed neque ea satisfactio fuit ex propriis. Nam Christus actionibus satisfecit humanitatis. Hae autem quum essent actiones creatae, non erant Christo propriae, sed sub dominio totius Trinitatis. III. denique nec fuit satisfactio ex alias indebitis; quoniam quum essent creatae, variis titulis actiones satisfactoriae debebantur Deo, puta titulo gratitudinis, obedientiae, justitiae etc.

Resp. ad 1. Filius et pater, servus et dominus censentur una persona moralis sub eo respectu quo distinctum non habent dominium, non absolute. Nam quamdiu filius est sub potestate parentum, eorum veluti pars repu-

tatur. Similiter et servus quamdiu est sub heri potestate. Si autem filius bona habeat castrensia, si servus propriam habeat pecuniam, habent hac in parte dominium diversum ille a parentibus, hic ab hero; proindeque diversae personae sunt etiam moraliter. Christus quatenus homo actiones habebat sibi peculiares sub ejus dominio ac potestate, atque idcirco diversum a Patre et Spiritu sancto habuit dominium. Porro Patri ac Spiritui sancto satisfecit actionibus illis humanis sibi propriis.

Ad 2. Actiones humanae Christi ita erant sub dominio Trinitatis, ut a Christo per propriam agente voluntatem eligerentur: quod satis est ut dicamus satisfecisse ex propriis. Nam ut actio humana propria sit alicujus, sufficit ut per liberam voluntatem eliciatur, isque agens se ad operandum libere determinet. Hinc actiones tum naturales tum supernaturales hominis, propriae ipsius dicuntur, quamvis ad naturaliter agendum simultaneus Dei concursus, et ad agendum supernaturaliter divina gratia requiratur. Etsi ergo humanae Christi actiones utpote creatae sub dominio essent totius Trinitatis, nihilominus quoniam illas libere sua voluntate eliciebat, ad easque libere se determinabat, actiones illae erant Christi propriae, sui juris, et sub ejus potestate: atque ita satisfecit ex propriis.

Ad 3. Actiones humanae Christi variis titulis debebantur Deo, non absolute, sed hypotetice. Supposito nempe quod voluerit actiones illas elicere, easque in pretium offerre redemptionis, actiones illae certe variis titulis Deo debebantur. Sed absolute loquendo poterat Christus actiones illas non elicere, quoniam in eas plenissimum habebat dominium; praesertim cum actiones satisfactoriae essent ut plurimum supererogationis. Hinc absolute loquendo poterat Christus non circumcidi, non esurire, non sitire, non in crucis ligno mori: ac proinde satisfecit ex alias indebitis.

CAPUT VI.

An et quomodo Christus sit redemptor omnium.

Quum in singulis N. Testamenti paginis legatur Christum mortuum esse pro omnibus, dicente Apostolo in 2. ad Cor. cap. 5. *Unus pro omnibus mortuus est*, et in 1. ad Tim. cap. 2. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, et sic porro aliis in locis; nemo est Christianorum qui hanc propositionem, *Christus est redemptor omnium*, veram esse non fateatur. Ast non eodem modo a singulis intelligitur vox illa, *omnium*. Calviniani, quique cum illis faciunt vocem illam, *omnes*, ad solos restringunt *praedestinatos*; ita ut sensus sit: Christus est redemptor omnium *praedestinatorum*; tenent quippe reprobos non fuisse a Christo redemptos. Quod si quis objiciat non raro reprobos percipere effectus redemptionis, gratiam scilicet tum actualem tum etiam habitualem licet ad tempus, respondent ex eo non sequi esse a Christo redemptos: quoniam etsi justificati dicantur, justi tamen et amici Dei numquam revera sunt; quum Deus semper imputet illis propria peccata, ad differentiam electorum quibus

numquam Deus peccata quantumvis gravia imputat: atque idcirco isti, inquiunt, non illi sunt a Christo redempti. Ita Calvini discipuli.

Nonnulli e contra antiquissimi haeretici ap. Tertullianum lib. de Carne Christi cap. 14. autumarunt vocem, *omnes*, in ea propositione non modo comprehendere omnes et singulos homines, sed angelos quoque apostatas ac perduelles. Erroris hujus complures veteres accusant etiam Origenem, quod docuerit fixam adhuc non esse daemonum sortem. Immo pejorem adhuc tribuunt Origeni sententiam, Christum nempe sanguinem suum etiam in astrorum fudisse redemptionem; existimavit enim Origenes astra animata esse, ac ratione libertateque praedita.

Catholici demum mediam inter Calvinianos et Origenistas sectantes viam, certa fide tenent Christum esse redemptorem omnium hominum non solum electorum, sed et reproborum; non vero angelorum, multoque minus astrorum. Atque in hoc adstruendo dogmate unanimi consensione conspirant. Sed ubi sermo est de modo quo Christus est redemptor omnium, dissociantur ad invicem Theologi.

Ludovici Molinae discipuli arbitrantur Christum pro omnibus ac singulis hominibus in individuo aequaliter mortuum esse: ac proinde aequaliter esse redemptorem omnium sive electorum sive reproborum. Nec mirum. Putant enim ipsi ob merita Christi applicari singulis sive electis sive reprobis auxilia ad aeternam salutem sufficientia, gratiam rejicientes ab intrinseco efficacem. Unde juxta illorum doctrinam ratio cur electi salvi fiunt, non reprobi, est quoniam illi, non isti auxiliis sufficientibus ad bonum agendum et perseverandum necessariis utuntur.

Non ita Thomistae. Duplicem distinguentes hi voluntatem in Deo, antecedentem et consequentem, atque hanc efficacem et absolutam existimantes contra quam faciant Moliniani, ut de Dei voluntate agentes diximus, docent Christum mortuum esse pro omnibus ac singulis hominibus attenta voluntate antecedenti, pro solis autem electis secundum voluntatem consequentem. Nam si eadem, inquiunt, voluntate absoluta et efficaci pro omnibus indiscriminatim mortuus esset, 1. petiisset specialia illa auxilia quae reprobis licet aliquando justificatis necessaria sunt ad perseverandum. 2. Postulasset quoque efficaciter ut conferrentur actu supernaturalia auxilia ad salutem necessaria infantibus in matrum utero decedentibus, infidelibus infidelitate negativa laborantibus, peccatoribus obduratis et in malo obcaecatis. Ast vero pro his omnibus minime Christus efficaciter oravit, neque enim actu supernaturalia dona percipiunt; unde concludunt: Mortuus est Christus pro singulis hominibus attenta voluntate antecedenti, pro electis autem attenta voluntate consequenti.

Bene habent. Sed augustinianae scholae discipuli Thomistarum sententiae, quam ultro admittunt, aliquid addunt. Quod ut intelligatur, in memoriam revocanda est idea voluntatis antecedentis et consequentis quam Augustinenses habent, quamque tradidimus agentes de voluntate Dei cap. 1. Ibi diximus voluntatis antecedentis effectum esse ordinis impositionem, consequentis autem esse ejusdem ordinis executionem. Porro impositio or-

dinis dicit jus accedendi ad Ecclesiam, audiendi Evangelium, percipiendi sacramenta et gratiam etc. quae omnia Christus morte sua promeruit, quatenus obtulit pretium aequivalens Patri pro nobis. Ordinis vero executio et complementum invenitur, ubi homines audiunt revera Evangelium, accedunt ad Ecclesiam, sacramenta percipiunt, gratiam habent ac perseverantiam finalem. Christus itaque mortuus est pro omnibus nemine excepto hominibus, attenta voluntate antecedenti sensu mox explicato; voluntate autem consequenti mortuus est pro solis electis, quoniam istis tantum applicantur instituta media usque ad perseverantiam finalem per quam salutem consequuntur aeternam. Ex his sequitur nonnullos Theologos non bene affirmare Christum pro electis *efficaciter*, pro reliquis autem *inefficaciter* esse mortuum. Nam voluntas etiam antecedens efficax est et absoluta comparate ad effectum sibi proprium et immediatum; voluit quippe Christus absolute et efficaciter ordinem constituere complectentem aeternae salutis caussam; quamquam inefficax dici potest comparate ad ordinis executionem voluntatis consequentis objectum. Sed tempus est ut adversarios adoriamur; unde sit

CONCLUSIO I.

Christus pro omnibus ac singulis hominibus mortuus est, non autem pro daemonibus, sed neque pro astris.

Prob. prior prop. pars ex Scripturis. Johan. cap. 3. v. 16. legitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret ... Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Porro in mundo una cum praedestinatis sunt etiam reprobi. Apostolus in 2. ad Cor. cap. 5. *Unus pro omnibus mortuus est*. Ad Tim. 1. cap. 2. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Ibid. cap. 4. v. 10. *Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium*; quae postrema verba satis demonstrant τὸ *omnium hominum*, reprobos ac praedestinatos significare. Si namque Christus salvator est maxime fidelium, igitur aliquo sensu est etiam salvator infidelium. Idem Apostolus in 2. ad Cor. cap. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus*. Pro iis ergo mortuus est Christus qui mortui erant ob Adami delictum. Porro non praedestinati solum, sed et reprobi originale contrahunt peccatum. Hinc Augustinus lib. 6. cont. Julian. cap. 4. *Ex hoc probavit* (Apostolus) *omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti: accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est*. II. ex PP. Clemens alex. lib. 7. Strom. ait de Christo: *Nunquam servator habet odio homines, qui etiam propter suam excellentem benignitatem et in homines charitatem non despecta carnis humanae imbecillitate, sed*

ea indutus, *ad communem venit hominum salutem*. Athanasius lib. de Incarn. *Mortuus est ad omnium redemptionem*. Cyrillus hierosol. Catech. 3. *Orbis universi peccata suscipiens*, *mortuus est*. Gregorius nazianz. Orat. 25. *Per quos* (dolores Christi,) *omnes reformati sumus*, *nullo penitus excepto qui eidem Adamo participavimus*. Ambrosius lib. de Parad. cap. 8. *Venerat Jesus omnes salvos facere peccatores*, *etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem*. *Et ideo nec proditurum debuit praeterire*, *ut adverterent omnes quod in electione etiam proditoris sui servandorum omnium insigne praetendit*. Hieronymus in 2. ad Cor. cap. 5. *Solus*, inquit, *inventus est*, *qui ut immaculata hostia pro omnibus qui erant in peccatis mortui*, *offerretur*. Infinitus essem si omnia S. P. Augustini loca ad rem facientia afferre vellem. Seligam aliqua. Enarr. in Psal. 98. docet Christum redemisse etiam carnifices, quoniam pro illis oravit. In Psal. 61. affirmat Christum e cruce pendentem sitisse salutem illorum quibus sanguis ejus non profuit. In Psal. 95. tradit Christum esse redemptorem illorum quos in fine saeculi judicaturus est. Ac demum in Psal. 103. scribit: *Ut autem et decoram* (animam humanam) *faceret*, *audeo dicere*, *amavit et foedam*. *Quid est*, *amavit et foedam*? *Etenim Christus pro impiis mortuus est*. *Quam vitam tibi servat justificato*, *qui suam mortem donavit et impio*? Et in Psal. 148. *Quis mortuus est*? *Unicus*. *Pro quibus mortuus est*? *Utinam pro bonis*, *utinam pro justis*. *Sed quid*? *Etenim Christus*, *ait Apostolus*, *pro impiis mortuus est*. *Qui donavit impiis mortem suam*, *quid servat justis nisi vitam suam*? 3. Ratione Fides justificatio ac donum quodlibet supernaturale in statu naturae lapsae non datur hominibus nisi ex meritis sanguinis Christi tamquam fructus redemptionis: Etiam reprobi non raro fidem habent et justificationem et alia supernaturalia dona, excepta finali perseverantia: Igitur et ipsi redempti sunt a Christo. Merito ergo Tridentina synodus cont. Calvinistas sess. 6. cap. 3. inquit: *Etsi ille pro omnibus mortuus est*, *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*; *sed ii dumtaxat quibus meritum passionis ejus communicatur*. Et Innocentius X. celebrem damnavit propositionem, *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse*, *aut sanguinem fudisse*.

Prob. altera pars. I. si Christus mortuus esset pro daemonibus, angelicam assumere debuisset naturam; unde Origenes qui in ea erat opinione, Comm. in Johan. ajebat: *Manifeste homo hominibus*, *angelus angelis factus est*. Quod idem jam dixerant veteres haeretici apud Tertullianum lib. de car. Christi: *Angelum gestavit Christus*. *Qua ratione*. *Qua et hominem*. Ast Christus angelicam non assumpsit naturam, dicente Apostolo ad Hebr. cap. 2. v. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit*, *sed semen Abrahae apprehendit*. II. si Christus pro malis angelis mortuus esset, Deus intuitu sanguinis Filii sui illis pepercisset ut cum hominibus fecit; fuit quippe propitiatio pro peccatis. Verum *Deus angelis peccantibus non pepercit*, *sed rudentibus inferni detractos in tar-*

tarum tradidit cruciandos in judicium reservari, scribit Petrus in 2. Ep. cap. 2. v. 4. III. Christus mortuus est pro illis quos originale inquinaverat peccatum, ut docet Apostolus 1. ad Cor. cap. 5. v. 14. et pro illis quorum fuit mediator, juxta eumdem in 1. ad Tim. cap. 2. v. 6. daemones autem non contraxerunt in Adam originale peccatum: Christus vero dicitur mediator hominum, non angelorum. Hinc Tertullianus lib. proxime laudato: *Homo perierat, hominem restitui oportuerat. Ut angelum gestaret Christus, nihil tale de caussa est. Nam etsi angelis perditio deputatur ... numquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus a Patre.* Quibus in verbis aliae continentur adversus Origenistas rationes.

Prob. pars. tertia iisdem mox allatis argumentis. Deinde falsum est astra esse animata et ratione ac libertate praedita. Denique Origenes et alii qui id affirmarunt, errore notati sunt ab Ecclesia.

CONCLUSIO II.

Christus mortuus non est aequaliter pro omnibus in sensu moliniano, bene vero in sensu discipulorum SS. Augustini et Thomae.

Prob. prima thes. pars. Diversimode mortuus est Christus pro electis ac pro reprobis: quod patet I. Scripturis. Johan. enim cap. 17. Christus speciali quodam titulo oravit pro electis: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*. Apostolus in 1. ad Tim. cap. 4. v. 10. *Speramus*, inquit, *in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium*. Idem ad Ephes. cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*. II. ex PP. M. Augustinus lib. 21. de C. D. cap. 24. scribit: *Si* (Ecclesia) *de aliquibus ita certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen praedestinati sunt in aeternum ignem ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis: nec tamen pro omnibus exauditur*. In Psal. 87. *Solis praedestinatis ad aeternam salutem, non autem omnibus hominibus, nec ipsis inter quos facta sunt, ejus bona opera profuerunt*. Tract. 52. in Johan. ad illa verba, *Omnia traham ad meipsum*, inquit: *Si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia praedestinata ad salutem possumus dicere: ex quibus omnibus ait nihil esse periturum, cum supra de suis ovibus loqueretur*. S. Prosper in resp. ad object. 1. Vincent. inquit: *Cum itaque propter unam omnium naturam, et unam omnium caussam a Domino nostro in veritate susceptam, recte omnes dicantur redempti, et tamen non omnes a captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras*. III. ex Conciliis. Sy-

nodus quippe Valentina saec. IX. celebrata, ad quam trium provinciarum antistites convenerunt cuique praefuit S. Rhemigius lugdunensis, haec habet cap. 4. *Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem qui de hac caussa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui et aeterna damnatione puniti sunt, effusum definiant contra illud propheticum, Ero mors tua, o mors: morsus tuus, o inferne: illud nobis simpliciter et fideliter tenendum ac docendum placet juxta evangelicam et apostolicam veritatem, quod pro illis datum pretium teneamus, quibus ipse Dominus noster dicit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui crediderit in ipso, non pereat, sed habeat vitam aeternam*. Eodem saec. IX. eamdem tenuit fidem ecclesia lugdunensis, ut constat ex lib. *De tenenda Scriptur. veritate*, ubi haec occurrunt: *Catholica fides tenet et Scripturae S. veritas docet, quod omnibus credentibus ... et Ecclesiae incorporatis vere Dominus et Salvator noster sit passus. De infidelibus vero eadem constantia definit: Cesset haec nova et inaudita praesumptio, ut nullus hominum etiam impiorum et apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non fuerit; cum pro solis his defunctis passionem sustinuerit, qui eum dum in corpore viverent, fideliter venturum crediderunt. Hoc itaque est catholicum, hoc fide Ecclesiae ab initio commendatum*. Haec sane nisi de redemptionis explicentur inaequalitate, non video quomodo catholice intelligi queant. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 3. *Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*. Et Catechismus Rom. p. 2. cap. 4. *Si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem a Salvatore effusum fatendum est: si autem fructum quem homines ex eo perceperunt, ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligemus*. Certum est itaque non aequaliter Christum pro electis ac reprobis fuisse mortuum, ut Molinistae contendunt. IV. ideo Moliniani tenent Christum aequaliter mortuum esse pro omnibus, quoniam arbitrantur singulis hominibus auxilia conferri ad salutem sufficientia ex meritis Christi. Hoc autem falsum esse demonstrabimus in Tractationibus de gratia.

Prob. altera pars. I. Scripturis. Apostolus ad Rom. cap. 3. v. 25. *Quem proposuit*, inquit, *Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Ubi Apostolus ait propitiationem esse propositam, satis ostendit redemptionem esse nobis exhibitam et pro nobis institutam sensu initio capitis exposito. Ubi vero addit eam propitiationem nostram esse per fidem vel spem vel charitatem in sanguine ipsius, quid aliud innuit nisi instituti ordinis executionem? II. ex PP. M. Augustinus Tract. 1. in Ep. Johan. ait de Christo Domino: *Mortem sempiternam ab eis* (inimicis suis) *expellebat, prece misericordissima, et potentia praestantissima*. En ordinis institutio. *Multi ex eis crediderunt, et dimissus est eis fusus san-*

guis Christi. En ejusdem ordinis executio. Prosper in resp. ad 1. object. Vincent. inquit: *Quod ad magnitudinem et potentiam pretii, et quod ad unam pertinet caussam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi*. Et infra: *Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur*. Et in resp. ad object. 9. Gallor. *Sicut non sufficit hominum renovationi, natum esse hominem Jesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, spiritu renascantur: sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse D. Christum, nisi commoriantur ei, et consepeliantur in baptismo ... Cum itaque rectissime dicatur salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanae naturae susceptionem, et propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit*. Et adhuc clarius sententia super 9. capitul. *Qui dicit, quod non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus: non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem: cum sanguis D. N. J. C. pretium totius mundi sit. A quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt: aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi*. III. ex Conciliis Valentino, Tridentino, atque Catechismo Rom. supra laudatis. Quibus accedit S. Thomae sententia 3. p. q. 49. a. 1. ad 3. ita scribentis: *Christus sua passione nos a peccatis liberavit caussaliter, idest instituens caussam nostrae liberationis, ex qua possent quaecumque peccata quandocumque remitti, vel praeterita vel praesentia vel futura. Sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari etiam in futurum*. Loquitur hic S. Thomas de Christi redemptione prout dicit institutionem ordinis, ut ex sola patet lectione. Ibidem autem a. 3. ad 1. redemptionem quoad instituti ordinis executionem ita summatim describit: *Passio Christi sortitur effectum suum in illis quibus applicatur per fidem et caritatem et per fidei sacramenta. Et ideo damnati in inferno qui praedicto modo passioni Christi non conjunguntur, effectum ejus percipere non possunt*. Juxta hanc ergo doctrinam Christus voluntate antecedenti pro omnibus aequaliter mortuus est, quatenus passio illius ut caussa quaedam universalis praecessit, remedia instituens quae ad quaecumque remittenda valeant peccata; ut si medicus medicinam paraverit qua infirmitates quaecumque sanari possint. Voluntate autem consequenti mortuus est Christus pro hominibus inaequaliter, quoniam non omnibus ex aequo applicantur salutis aeternae remedia per fidem, charitatem, et sacramenta.

SCHOLION.

Si quis autem quaerat cur Christus qui attenta ordinis institutione mortuus est aequaliter pro omnibus, non omnibus tamen redemptionis suae conferat beneficia, nil aliud responderi potest nisi quod Augustinus noster in lib. de correct. et grat. cap. 11. olim respondit monachis Adrumetinis

agens de adjutorio angelo et primo homini collato: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium*, nos autem dicemus, tale beneficium, *poena peccati est*: *quibus autem datur secundum gratiam datur*. Sciscitanti vero cur secundum gratiam non detur omnibus, quum omnes aequaliter rei sint originariae culpae, *Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus. Et hoc adjiciamus: Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris*, cum eodem S. P. lib. de Bono persev. cap. 12.

CAPUT VII.

Adversariorum argumenta refelluntur.

Obj. 1. cont. 1. thes. part. Nihil est in Scripturis ex quo demonstrari possit Christum mortuum esse pro omnibus. Nam loca illa in quibus omnes redempti dicuntur per Christi sanguinem, vox, *omnes*, accipi debet pro pluribus. Cujus rei innumera sunt in sacris paginis exempla. Sic ad Rom. cap. 14. ait Apostolus: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: et omnis lingua confitebitur Deo*; quum tamen multae adhuc gentes sint quae idolis genua flectunt. Similiter verba illa Johan. cap. 1. *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem*, non ita accipienda sunt quasi non sit nullus hominum qui non illuminetur: *sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur*, docet Augustinus Ench. cap. 103. Reliqua exempla brevitatis caussa omitto. Quare Fulgentius in lib. de Incarn. et Grat. cap. 31. inquit: *Est autem familiare divinis eloquiis, ut omnes nonnunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant*. II. regula autem a Fulgentio tradita valet praesertim ubi de Christi redemptione Scripturae loquuntur. Nam eadem Scriptura quae alicubi dicit Christum mortuum esse *pro omnibus*, alibi docet mortuum esse pro *solis electis*. Ita Matth. cap. 26. v. 28. ait Christus: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur*. Johan. cap. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis*: cap. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*. Et Paulus ad Hebr. cap. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Quae loca intelligenda esse de solis praedestinatis nemo non videt.

Resp. ad 1. Non ideo dicimus redemptionem esse universalem pro reprobis ac praedestinatis praecise quod in divinis Scripturis dicatur Christus mortuus *pro omnibus*. Nam et nos probe novimus non semper vocem, *omnes*, rigorosam significare universalitatem, ut exemplis allatis et aliis demonstratur. Sed affirmamus Christi redemptionem vere esse universalem aliis de caussis. Et 1. ubi sermo fit de Christi morte ita vox, *omnes*, enuntiatur, ut singulos significet homines nemine excepto. Nam ut cetera mittam, in 1. ad Tim. cap. 4. ubi Apostolus tradit Christum esse salvatorem *omnium hominum, maxime fidelium*, nonne intelligit esse sal-

vatorem electorum ac reproborum? Praeterea idem Paulus in 2. ad Cor. cap. 5. ait: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Peto a Calviniano, pro quibus juxta allatam sententiam Christus mortuus est? Nempe pro iis qui mortui sunt. Ast mortui sunt omnes nemine prorsus excepto: Igitur mortuus est Christus pro omnibus nemine prorsus excepto; atque adeo in iis similibusque locis vox *omnes*, veram significat universalitatem. 2. quoniam Scripturae testimonia quae ubi de Christi agunt redemptione habent vocem, *omnes*, de rigorosa universalitate intelliguntur a tota retro antiquitate, et a SS. PP. et a Conciliis quorum loca citata vide cap. superiori concl. 1.

Ad 2. Ubi Scriptura tradit Christum mortuum esse pro solis electis, loquitur de redemptione secundum ordinis executionem, non secundum ordinis impositionem, ut nos tenemus, redemptionem appellando universalem. Et rem ita se habere patet tum ex laudatis in argumento locis, ut cuique attendenti manifestum est, tum ex Catech. Rom. p. 2. cap. 4. n. 24. ubi loquens de Eucharistia inquit: *Sed verba illa quae adduntur, Pro vobis, et pro multis a Matthaeo et Luca, singula singulis sumpta sunt, quae tamen S. Ecclesia Spiritu Dei instructa, simul conjunxit: pertinent tamen ad passionis fructum atque utilitatem declarandam. Nam si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem a Salvatore effusum fuisse fatendum erit. Si vero fructum quem homines ex eo perceperint cogitemus; non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligemus. Cum igitur, Pro vobis dixit, eos qui aderant, vel delectos ex Judaeorum populo, quales erant discipuli, excepto Juda, quibuscum loquebatur, significavit. Cum vero addidit, Pro multis, reliquos electos ex Judaeis aut gentibus intelligi voluit ... Atque huc spectant verba illa Apostoli, Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: et quod Dominus apud Johannem dixit, Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt*. Sed et alio modo allatum solvi potest argumentum, Matthaeum nempe et Apostolum *multorum* nomine non plures, sed omnes nemine excepto intelligere. Nam demonstrato semel quod ubi Scriptura de redemptione loquens affirmat Christum mortuum esse pro omnibus nemine excepto; si deinceps alibi ait mortuum esse pro multis, multorum nomine veniunt omnes. Hujus rei exemplum habes ad Rom. cap. 5. v. 15. ubi scribens Apostolus, *Unius delicto multi mortui sunt*, quoniam paullo ante dixerat omnes nemine excepto mortuos esse in Adam, hic multorum nomine intelligit omnes. Vide Augustinum lib. 3. cont. Jul. cap. 3. lib. 2. de Nupt. et Conc. cap. 33. et quae nos agentes de peccato originali scripsimus.

Obj. 2. adv. eamd. concl. partem. Locus alter pro redemptione universali est versus secundus capitis pariter secundi Ep. 1. Johannis, ubi legitur: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi*. Ast verba haec ad solos restringenda esse praedestinatos tradit S. P. Augustinus Tract. 1. in Ep. Johan. mun-

di nomine solam intelligendo Ecclesiam. Et Tract. 110. in eumd. Johan. *Pro isto mundo*, inquit, *non rogat: neque enim qui sit praedestinatus, ignorat*. II. nec aliter juxta Augustini principia credere possumus. Nam in lib. 21. de C. D. cap. 24. docet Ecclesiam non oraturam pro reprobis, si qui reprobi in hac vita sunt cognosceret. Quare Christus cui cognitus est numerus electorum, redimere minime voluit reprobos. III. hinc universa gallicana ecclesia saeculo IX. credidit Christum mortuum esse pro solis electis. Quum enim an. 853. Hincmarus Rhemensium episcopus conciliabulum quoddam adversus Gotheschalcum orbacensem convocasset, in quo quatuor prae ceteris capitula edidit redemptionem definientia universalem, contra capitula illa insurrexerunt Prudentius cum sua trecensi ecclesia, Remigius cum ecclesia lugdunensi ac provinciae lugdunensis, viennensis, et arelatensis: quarum antistites in Valentino concilio congregati, quatuor illa carisiaca capitula damnarunt, et definierunt Christum non esse mortuum pro infidelibus, atque iis qui aeterno igne cremantur.

Resp. ad 1. Possunt quidem verba Johannis ad solos restringi praedestinatos, si de redemptione loquamur secundum ordinem executionis, non vero si de illa loquamur secundum ordinis institutionem. Et Augustinus ubi mundi nomine intelligit Ecclesiam, Johannis verba exponit de applicatione pretii et fructus mortis Christi; quum nos eisdem utamur verbis ad redemptionem explicandam quoad institutionem remedii sensu saepius exposito. Similiter cum idem Augustinus ait Christum orasse pro solis praedestinatis, de illius oratione loquitur quae singularem respiciebat instituti remedii applicationem. Ceterum non negat Christum orasse pro toto mundo ea oratione quae ordinis institutionem et pretium respiciebat sanguinis sui. Imo id alibi expresse affirmat, ut animadvertimus capite antecedenti. Et serm. 382. scribit: *Quando in cruce pendens orabat, videbat et praevidebat omnes inimicos; sed multos ex illis futuros amicos praevidebat, et ideo omnibus veniam postulabat. Illi saeviebant, et ille orabat. Illi dicebant Pilato, Crucifige: ille clamabat, Pater ignosce*.

Ad 2. Optime S. Pater inquit non oraturam Ecclesiam pro reprobis si illos agnosceret. Nam suarum precum objectum quodnam est? Non ut aeternae salutis remedia instituantur, haec enim instituta fuerunt a Christo: sed ut redemptionis pretium hominibus applicetur, ut peccatores convertantur, ut hominum rebelles voluntates compellantur, ut cor lapideum auferatur. Quod si nosceret quinam sint reprobi, qui nempe usque in finem perseveraturi non sunt, non utique pro eis oraret, quum nequeat iis in termino fructus passionis Christi applicari. Ast Christus non solum voluit ut instituta remedia applicarentur electis, sed prius voluit eadem remedia instituere. Hinc quando pro mundo oravit, institutum respiciebat remediorum ordinem, etiamsi quinam essent reprobi sciret. Quando vero oravit pro solis electis, orationis ejus objectum fuit instituti ordinis executio. Imo in ara crucis pendens duplici illo affectu oravit Patrem teste Augustino, pro omnibus scilicet et reprobis et electis solvens pro singulis pretium, et pro electis ut illis applicaretur. Sic enim Tract. 1. in Ep.

Johan. inquit: *Sic dilige inimicos tuos, ut in societatem tuam vocentur. Sic enim dilexit ille qui in cruce pendens ait, Pater ignosce illis ... mortem sempiternam ab eis expellebat, prece misericordissima, et potentia praestantissima. Multi ex eis crediderunt, et dimissus est eis fusus sanguis Christi*. Et de reprobis in Psal. 61. ait: *In cruce positus, Sitio dixit, quamvis illi non hoc dederint quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat: at illi acetum dederunt*. Vides orationem diversimode a Christo fusam pro omnibus, et pro electis.

Ad 3. respondeo eodem modo, quo supra: videlicet Prudentius, Rhemigius, et concilium Valentinum definierunt Christum non aequaliter mortuum fuisse pro reprobis ac pro electis. Arbitrati sunt enim carisiacum conciliabulum definiisse Christum aequali affectu pro electis ac pro iis qui modo in inferis cruciantur mortuum fuisse juxta placita Semipelagianorum. Num vero in eo ferendo de Hincmaro judicio errore facti decepti sint, non est hujus loci definire.

Obj. 3. cont. eamd. thes. Dicimus Christum mortuum esse pro omnibus, quoniam illius voluntas conformis esse debuit voluntati Patris qui *vult omnes homines salvos fieri*, ut inquit Apostolus. Ast Deus Pater minime vult salvos fieri omnes ac singulos homines nemine excepto. 1. quoniam, juxta augustinianae scholae sententiam, non omnibus confert Deus auxilia ad salutem sufficientia quae ex meritis Christi proveniunt. 2. quoniam S. Thomas, Gregorius ariminensis, Soto major, aliique affirmant voluntatem salvandi omnes esse in Deo improprie ac metaphorice, non vere et proprie. 3. quoniam S. P. Augustinus eo ductus principio quod voluntati Dei nemo resistit, apostolicam sententiam respicere ait solos electos et explicandam esse de generibus singulorum. Si ergo Christi voluntas eadem esse debuit cum voluntate Patris, etiam Christus salutem voluit dumtaxat electorum, atque idcirco pro iis tantum mortuus fuit.

Resp. Voluntate quae ordinis connotat impositionem, Deus vult salvos fieri omnes ac singulos homines nemine prorsus excepto. Voluntate vero connotante ordinis executionem, vult salvos fieri tantum omnes electos. His positis patet responsio ad singula. Et 1. conferre auxilia ad salutem sufficientia ad voluntatem spectat consequentem, non antecedentem: ac ideo potest Deus voluntate antecedente illorum velle salutem quibus minime auxilia sufficientia confert. 2. non immerito S. Thomas et Gregorius ariminensis cum aliis affirmant voluntatem salvandi omnes esse in Deo metaphorice, si cum voluntate comparetur consequenti; per hanc enim, non per illam media ad salutem obtinendam conferuntur. 3. S. P. Augustinus apostolicam sententiam explicans pro generibus singulorum, accipit illis in verbis Dei voluntatem pro voluntate consequenti: cui quum nemo resistere possit, instituti ordinis tribuitur executio. Non est ergo quid heterodoxos juvare possit universalem Christi redemptionem denegantes.

Obj. 4. adv. alt. part. Apostolus in Ep. ad Ephes. cap. 1. 10. tradit Deum instaurasse *omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt*.

Quomodo instauravit quae sunt in terra? Per redemptionem. Itaque per redemptionem instauravit etiam quae sunt in caelis, angelos videlicet desertores et ipsa astra. II. hinc S. Hieronymus exponens laudata ad Ephes. verba inquit: *Potest itaque responderi quod absque peccato nullus sit, et sidera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paveat creatoris adventum. Unde et crux Salvatoris non solum ea quae in terris, sed etiam ea quae in caelis erant purgasse perhibetur.*

Resp. ad 1. Quando homo peccavit, caelestia a terrestribus quodammodo abscissa sunt, et inimicitiae quaedam inter angelos sanctos et homines qui in Dominum angelorum peccaverant fuerunt. Christo moriente instaurata et reconciliata sunt, hoc est, conjuncta et ad pacem revocata terrestria cum caelestibus. Atque hoc indicare voluit Apostolus allatis in argumento testimoniis. Ita Pauli mentem exponit S. P. Augustinus Ench. cap. 61. ubi scribit: *Non enim pro angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro angelis fit, quidquid hominum per ejus mortem redimitur et liberatur a malo, quoniam cum eis quodam modo redit in gratiam, post inimicitias quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt.* Ita etiam Hieronymus Comm. in Ep. ad Ephes. ubi ait: *Quod Christus in suo sanguine terrena et caelestia copulavit, quae inter se antea dissidebant.* Ita demum et Chrysostomus Hom. 3. in eamd. Ep. *Quae autem sunt in caelis quomodo purificavit? Illic quoque erat bellum et pugna. Abscissa erat terra a caelo: bellum gerebant angeli adversus homines, videntes suum dominum probro et contumelia affectum.* Sed dici etiam potest fuisse quae in caelis sunt instaurata, quatenus caelestes sedes a malis angelis desertae, occupatae fuerunt ab hominibus. Quae vero sunt in terra, instaurata per redemptionem fuere, quatenus a vetustate corruptionis per illam homines renovantur. Haec quoque expositio est Augustini lib. proxime citato cap. 62. ubi sic loquitur: *Instaurantur quippe quae in caelis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur: instaurantur autem quae in terris sunt, cum ipsi homines qui praedestinati sunt ad aeternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur.*

Ad 2. Quae ex Hieronymo in argumento objecta sunt aliaque non pauca, scripsit ille quandoque non ex sua, sed ex aliorum sententia et opinione. Idque ex ipso novimus Hieronymo cui Rufinus aquilejensis qui quum talia ad creandam S. doctori invidiam objiceret, sic calumniam diluit Apol. 1. *Ego in commentariis ad Ephesios sic Origenem, et Dydimum, et Apollinarium sequutus sum, qui certe contraria inter se habent dogmata, ut fidei meae non amitterem veritatem.* Ceterum ubi ex propria sententia loquitur in eodem qui objectus est loco, ita Apostoli textum exponit: *Et hanc totam intelligentiam ad angelos, virtutesque caelestes, et ad animas temperabit humanas, quod Christus in suo sanguine caelestia et terrestria copulavit, quae inter se antea dissidebant... Atque ita fieri, ut crux Domini non solum terrae, sed et caelo profuerit; non solum hominibus, sed et angelis: et omnis creatura Domini sui cruore purgata sit.*

Obj. 5. adv. eamd. 2. prop. Petrus in Ep. 1. cap. 3. v. 18. inquit: *Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Jam vero Christus, juxta allatam sententiam, cum descendit ad inferos praedicavit illis, qui tempore Noë fuerant increduli. Verum nonne superflua illius fuisset praedicatio nisi eos per mortem suam redemisset? II. neque vera est Augustini expositio quam affert in Ep. 164. ad Evodium, videlicet quod spiritus Christi, nempe divinitas, vel a diebus Noë cum fabricaretur arca, praedicavit incredulis. 1. quoniam aliam plerique Patrum tradunt interpretationem. 2. quoniam nomine carceris non corpus humanum, ut Augustinus ibi intelligit, sed inferna potius veniunt animarum receptacula. 3. quoniam spiritus nomine non divinitas, sed anima Christi debet intelligi. 4. quoniam Augustinus ipse ibi fatetur se locum illum Petri non intellexisse. 5. demum quoniam ex Petri testimonio demonstrari adversus Novatores non potest Christi descensus ad inferos.

Respondeo primum generatim, simulque explico sensum Petri. Plures sunt qui perdifficilem Petri locum, ut videre est apud Augustinum citata Ep. 164. ad Evodium, ita exponunt, ut Christus Dominus cum descendit ad inferos praedicaverit illis qui tempore Noë fuerunt increduli, sed antequam fluctibus mergerentur, poenitentiam egerunt. Aut si in propria obiere incredulitate, praedicavit illis non ut laetum afferret nuncium, sed ad increpationem. Verum quum non satis solido demonstrari possit fundamento incredulos quibus praedicavit Noë antequam aquis mergerentur poenitentiam egisse, nec ratio assignari valeat cur Christus dum descendit ad inferos eis qui fuerant increduli diebus Noë, et non tot millibus gentium quae usque ad Christi passionem mortua sunt, quaeque apud inferos potuit invenire tantummodo praedicaverit, aut cur horum potius quam aliorum mentionem faciat Petrus; aliam planiorem incedemus viam, dicemusque proponi nobis ab apostolo Petro ad patientiae exemplum Dominum Jesum Christum qui pro injustis affixus est cruci; qui venit ad oves quae perierant domus Israel, qui post resurrectionem ex mortuis per Apostolos praedicavit spiritu virtutis suae gentibus idololatris: sicut olim antequam appareret in carne, aut per ora prophetarum aut occulto divinitatis suae spiritu increpaverat improbos rectosque docuerat, ut unumquemque erueret a daemonis captivitate. Sententia isthaec nostra nititur expositione super hunc locum Protoparentis Augustini in eadem Ep. 164. ad Evodium, ubi nomine carceris carnem accipit et nomine spirituum animas; adeo ut spiritus carcere inclusi animae in carne degentes spectari debeant: et ubi per illa verba, *In quo* (idest spiritu) *et his ... adveniens praedicavit*, in substantia divinitatis hoc esse factum intelligit. Nititurque explicatione Basilii Ponci insignis augustiniensis theologi qui observat, sicut et nos observavimus non repugnante Augustino;

hortari eo loci Petrum nos ad ferendum adversa et calumniantium dicteria proposito nobis exemplo Christi: qui cum justus esset, mortem oppetiit pro impiis, nec deseruit pervicaces; sed ut olim ad poenitentiam vocavit incredulos, ita venit ad filios Israël qui ipsum recipere noluerunt: nec ad eos tantum, etiam ad nos delitescentes in tenebris et idolis addictos quos salvos fecit, et per lavacrum regenerationis locavit in Ecclesia cujus typum gerebat arca Noë. Responsioni huic nostrae consona videntur quae antecedunt et subsequuntur ex Petro. Dixerat enim in antecessum apostolorum Princeps, *Ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem*: et initio capitis quarti subnectit: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini* etc. Nunc autem singillatim ad rationes respondeo, et

Ad 1. Quod alii Patres difficilem Petri locum diversimode ab Augustino interpretentur, falsam non reddit expositionem Augustini; praesertim cum nonnulli putaverint Christum apud inferos non modo praedicasse, sed et baptismum contulisse, ut Irenaeus, Hermas, Clemens alexandrinus; alii Christum in eo baptismo aqua usum fuisse quae ex ejus latere fluxit, in elementum conversa, ut Theodorus Abucara: quae certe interpretationes explicationi Augustini praeferendae non sunt. Praeterea alii Patres apostolicum textum de Christi descensu ad inferos exposuerunt moti a voce, *carceris*, quasi carceris nomine aliud intelligi nequeat praeter inferna receptacula animorum. Demum consimilem augustinianae interpretationi sensum tribuit Petri testimonio etiam Hieronymus in cap. 54. Isaiae in haec verba: *Unde Dominum fecisse diluvium, qui juxta Apostolum Petrum occisus est carne, vivificatus spiritu, et praedicavit spiritibus in carcere constitutis, quando Dei patientia expectabatur in diebus Noë, diluvium impiis inferens*. Eadem Augustini expositio probatur Bedae, S. Thomae, multisque interpretibus. Imo S. Thomas 3. p. q. 52. a. 2. ad 3. illam ceteris praefert dicens: *Augustinus tamen melius exponit in Ep. ad Evodium, ut referatur, non ad descensum Christi ad inferos, sed ad operationem virtutis ejus, quam exercuit ab initio mundi*.

Ad 2. respondeo iisdem Augustini verbis in laudata mox epistola: *Ad illum ergo sensum, qui te movet, ideo videntur adtracti qui hoc Petrum sensisse crediderunt, quia dixit, conclusis in carcere spiritibus praedicatum, quasi animae non possint intelligi spiritus, quae tunc erant in carne, atque ignorantiae tenebris velut carcere claudebantur: de quali carcere se desiderat liberari ille qui dicit, Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo: quae alibi umbra mortis appellatur. De qua non utique apud inferos, sed hic liberati sunt, de quibus scriptum est, Qui sedebant in umbra mortis, lumen ortum est eis*.

Ad 3. Quodnam habet fundamentum Bellarminus ut in Petri textu spiritus nomine animam Christi potius quam virtutem divinitatis velit significari? Imo si scopus et verborum ordo attendatur, non animam, sed virtutem divinitatis nomen spiritus eo loci denotat. Nam inquit Petrus Christum mortificatum fuisse carne, vivificatum spiritu in quo praedica-

vit incredulis tempore Noe . Quonam spiritu vivificatus fuit Christus, hoc est, a mortuis surrexit, et antiquis praedicavit hominibus, nisi spiritu ac virtute divinitatis?

Ad 4. Quod S. P. Augustinus dicat posse illorum verborum commodiorem inveniri interpretationem, demonstrat non expositionis suae labilitatem, sed singularem S. doctoris modestiam; ita enim citato loco inquit: *Haec expositio verborum Petri cui displicet, vel cui etiamsi non displicet, non tamen sufficit: quaerat ea secundum inferos intelligere. Qui si valuerit illa, quibus me moveri supra commemoravi, ita solvere ut eorum auferat dubitationem, impertiat et mihi: quod si factum fuerit, poterunt illa verba utroque modo intelligi; sed ista sententia de nulla falsitate convincitur.*

Ad 5. Christi descensus ad inferos optime adv. Novatores ostenditur ex cap. 2. Act. Apost. ex Ps. 15. et ex Traditione. Hinc S. P. Augustinus qui Petri locum non accipit de Christi descensu ad inferos, dogma istud ex citatis locis demonstrat lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 33. lib. 20. de C.-D. cap. 13. et in eadem Ep. ad Evodium sic argumentum concludit: *Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?* Imo cum locus Petri difficillimus sit ad intelligendum, ut omnes fatentur, non satis prudenter a Theologis usurpatur ad fidei dogma adversus haereticos vindicandum.

Obj. cont. eamd. th. Oecumenius post Theodoretum explicans illa Pauli verba, *Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem*, inquit: *Ita hoc accipiendum est, quod sine Deo, seu excepto Deo, pro omnibus aliis mortuus sit Christus.*

Resp. Theodoretus a quo Oecumenius, universalitatem de qua loquitur Paulus ad homines, non ad angelos vel astra extendit. En Theodoreti verba: *Hoc etiam dicit in epistola ad Hebraeos: Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Sola autem divina natura ab egestate aliena est; omnis vero natura opus habebat Incarnationis medicamento. Elementa enim quae propter hominem facta sunt, corruptioni obnoxia fecit, quandoquidem hunc etiam mortalem factura erat transgressio. Invisibiles autem potestates aegre ferebant, ut est verisimile, dum improbitatem viderent grassantem inter homines. Si enim laetantur propter unum peccatorem poenitentiam agentem, sicut dicit Dominus, clarum est eas aegreferre dum vident contraria.* Hac eadem responsione multa alia dicta Sanctorum solvuntur, quum hoc eodem sensu quandoque affirmaverint Christum mortuum esse etiam pro angelis.

Obj. ultimo adv. postr. thes. Si Christus aequaliter mortuus est pro omnibus instituti ordinis ratione, consequitur mortuum esse pro daemonibus etiam atque damnatis, quod haereticum est. Nam mortuum esse Christum pro omnibus aequaliter ratione instituti ordinis, nil aliud demum est quam solvisse pretium infiniti valoris. Quod autem est infinitum exauriri numquam potest: ac proinde sufficiens fuit ad redimendos etiam daemones et damnatos.

Resp. Pretium sanguinis Christi in se inspectum quum infiniti sit

valoris, sufficiens plane fuisset ad daemones atque damnatos redimendos: sed non proinde consequitur illos Christum redemisse, sicuti redemit omnes homines. Ille enim in mundum venit ut salvaret hominem qui perierat, uti centies in divinis legitur Scripturis, non ut salvaret daemones et damnatos: atque adeo remedia ordinemque salutis pretio sanguinis sui instituit pro solis hominibus qui sunt in via, non pro daemonibus atque damnatis in termino constitutis. Et sane pro iis mortuus est Christus, qui actu vel potentia ipsi junguntur. Porro homines viatores tantum vel actu vel potentia ipsi copulantur. Actu quidem per fidem spem et charitatem; potentia vero, si sint praedestinati, infideles. Daemones autem hominesque damnati quum sint in termino, nec actu nec potentia copulari possunt Christo: adeoque pro iis non sunt instituta remedia, quibus nec applicantur nec applicari queunt. Faxit D. O. M. ut de illorum numero simus quibus tanti sacramenti, dominicae videlicet Incarnationis virtutem, passionis sanguinis ac mortis ejus fructum percipere datum est. Ita fiet ut pretium quo a Domino redempti sumus agnoscentibus, Christus Dominus qui venit primo salvare ac secundo venturus est omnes homines judicare, dicturus sit nobis, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Sed properemus ad reliqua.

CAPUT VIII.

De adoratione Christo Domino debita.

Ex quo Christus Dominus quo nos a diaboli servitute redimeret aeternoque Patri reconciliaret, semetipsum exinaniverit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, exquisitissima tormenta et opprobria exprobrantium in se suscipiens; non sequitur infinitae dignitati suae ad quam ob hypostaticam unionem conscenderat, vel minimum derogasse; cum talia pati oportuerit ut in gloriam suam ingrederetur: imo ob hoc et mediatoris Deum inter et homines, et summi sacerdotis, et capitis omnium hominum et angelorum, et supremi regis, et humani generis redemptoris magnificentissimos sibi promeruit titulos. Hinc sua sponte sequitur dignum esse quoque vera ac proprie dicta adoratione. Et nihilominus non defuere complures qui inter divinitatem ac humanitatem nimis distinguentes, affirmare non dubitarunt colendum esse quidem et adorandum prout Deus est eodem cultu quo Pater, verum secundum humanitatem prosequendum esse cultu longe minoris gradus. In hunc errorem impegisse Wiclefum fidem facit Thomas valdensis tom. 1. doctr. fidei, ejusdemque nonnulli accusant Rabanum Maurum atque Gilbertum porretanum, qui tamen ab hoc errore immunes a multis declarantur. Veteres non pauci scholastici praecisionibus abstractionibusque mentis nimis quam par est indulgentes, non satis de hac re accuratam habuere sententiam. Idipsum accidit Nestorianis, et de grege Socinianorum nonnullis: quorum primi licet unionem negarent in Christo hypostaticam duasque distinctas

in eo personas admitterent, et secundi doceant esse Christum purum putumque hominem ; nihilominus utrique arbitrantur eam illi convenire adorationis speciem quae summo altissimoque Deo debetur . Brevius . Catholici docent Christum Dominum ratione tum divinitatis tum humanitatis ob unionem hypostaticam vero proprieque dicto cultu qui soli Deo debetur esse adorandum . Cui nos sententiae subscribimus .

Sed antequam controversiam hanc dirimamus, ne fucus aequivocatione verborum nobis fiat, multa animadversione digna praemittere operae pretium existimamus ; praesertim cum quae nunc exponere aggredimur, magnam iis quae deinceps erunt de adoratione Sanctorum dicenda, lucem sint allatura . Latinum itaque nomen , *adoratio* , quod a Graecis προσκύνησις nuncupatur, corporis gestum proprie significat ; puta inclinationem vel demissionem coram alio ad eum propter aliquam excellentiam honorandum . Et si id coram homine ob naturalem aut civilem illius praestantiam fiat , ut fieri solet coram rege vel judice vel magistratu, cultus seu adoratio erit mere civilis : si autem fiat coram Deo vel angelo vel in ecclesiastica dignitate constituto viro , dicitur adoratio religiosa; quoniam illius motivum supernaturale est, et vel circa objectum versatur religionis vel a religione praecipitur . Ita adoratio quae exhibetur Deo religiosa est : quoniam Deus, et quidem solus, objectum est religionis . Religiosa autem appellatur adoratio quae tribuitur Sanctis , quoniam a religione praecipitur . Quum vero objectis toto caelo diversis tribui adoratio saepissime soleat, quomodo una adorationis species secerni ab alia poterit ? Nimirum si ad subjecti naturam ad quod dirigitur , vel ad texturam orationis , vel ad simile quidpiam attendamus . Universim autem loquendo quilibet cultus duplex est , *absolutus* nempe , et *relativus* . Prior ab adorante , ut ita dicam , egrediens tendit in objectum , nec ultra progreditur , sed in eo propter illius excellentiam sistit . Posterior vero exhibetur alicui propter alium cujus repraesentat praestantiam aut dignitatem , ut est adoratio quam Sanctorum exhibetur imaginibus . Sed aliam admittit religiosus cultus divisionem . Alius quippe est cultus *latriae* , alius *duliae* , et alius *hyperduliae* . Primus D. O. M. alter Sanctis cum Christo in caelo regnantibus, tertius Deiparae impendi debet : quia licet ejusdem sit cum cultu duliae speciei , est quippe B. Virgo purus homo , tamen propter sublimem illius dignitatem augendus cultus ille est in gradibus . Praeterea quaevis adorationis species duos importat actus , interiorem unum in intellectu cognoscente ac obsequente voluntate consistentem ; alterum vero exteriorem in visibili extrinseco signo positum adorationis internae protestativo . Et quamvis interior adoratio absque ullo extrinseco signo vera esse possit , non est tamen externa illa protestatio negligenda : quae si ab interiori sit sejuncta sensu, non religiosus cultus , sed hypocrisis est . Rursus animadvertere juvat determinatam non adesse regulam ad extrinsecos religionis actus exprimendos institutam . Alia quippe visibilia signa sunt apud orientales , et alia apud occidentales, et apud diversas ecclesias diversam de hac re extitisse et adhuc extare disciplinam norunt omnes . Postremo loco ne in

re tam gravi decipiamur, observandum quoque erit quod aliquando eadem extrinseca signa ad actum Deo et creaturis praestandum usurpamus. Sic thus, Eucharistiae, cruci Christi, Evangelio, Sanctorum imaginibus, sacerdotibus, principi, ac populo publice et in templo adolemus. Idem porro est actus exterior; interior autem animi intentio plane diversa. His brevissime delibatis sit

CONCLUSIO.

Humanitas Christi hypostatice unita Verbo eodem latriae cultu adoranda est ac ejusdem Verbi divinitas.

Prob. 1. Scripturis. Regius Psaltes Ps. 96. ait: *Adorate eum omnes angeli ejus*, quae dicta esse non de solo Verbo, sed de Verbo homini hypostatice unito et ex lectione apparet psalmi, et ex expositione quam affert super eumdem psalmum Apostolus dicens, *Cum ... introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei*; ubi profecto Apostolus non de divinitate seorsim ab humanitate considerata, sed de humanitate divinitati hypostatice juncta, ut liquido constat, verba facit. Idem Apostolus in Ep. ad Philip. cap. 2. v. 8. de Christo Domino scribit: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur* etc. Jesu autem nomen Christo accessit ratione humanitatis. Eodem sumenda sunt sensu verba Apoc. cap. 5. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem*, divinos scilicet honores. Et quod omnem dirimit controversiam, est ipsius Christi sententia Johan. cap. 5. vv. 22. et 23. *Neque Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui missit illum*. Loquitur hic de se Christus prout constitutus a Patre fuerat judex universorum. Judex autem constitutus fuit secundum humanam naturam hypostatice unitam divinitati. Loquitur praeterea de cultu et honore qui Patri debetur; atque adeo de adoratione latriae.

Prob. 2. ex PP. Athanasius in Ep. ad Adelphium: *Rem*, inquit, *creatam non adoramus. Ethnicorum enim et Arianorum est hic error. Sed rerum creatarum Dominum carnem factum Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsim spectata pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus. Neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus*. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 11. explicans illa Psalmi verba, *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est*, inquit: *Per scabellum terra intelligitur; per terram autem Christi caro quam hodie in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt: neque enim divisus est Christus, sed unus. Neque cum adoratur tamquam Dei filius, natus ex Virgine denegatur.*

S. P. Augustinus Enarr. in Ps. 98. *Timeo*, inquit, *adorare terram, ne damnet me qui fecit caelum et terram : rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum ejus. Quaero quod sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura, Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic; et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram : quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando*. Johannes damascenus lib. 3. de Fide cap. 8. scribit : *Unus igitur Christus Deus perfectus, et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu unica adoratione cum ejus immaculata carne*.

Prob. 3. Conciliorum definitionibus. Concilium Ephesinum I. anathematismum probavit octavum S. Cyrilli alexandrini in quo damnatur qui *non una adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro*. Oecumenicum V. concilium hanc edidit fidei definitionem : *Si quis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne non adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit*. Lateranense demum I. concilium latas ab antecedentibus Synodis definitiones nova sanctione calculo suo confirmavit.

Prob. 4. ratione. Christus Dominus ex divina ac humana compositus natura, una est eaque divina persona : quumque hypostasis Verbi humanitatem suppositaverit, personae Verbi adoratio debetur latriae : adeoque eadem adoratio uni debetur Christo.

Solvuntur nonnullae difficultates.

Obj. 1. Adoratio latriae unico solique Deo debetur. Quod si Christi humanitatem latriae colamus adoratione, jam habebitur *Deus*, quod absurdum est. II. neque ad unionem recurrendum est hypostaticam. Nam si unionis hujus ratione cultum impendamus latriae Christi humanitati, consequitur eam adorari non per se, sed ratione alterius, adeoque per accidens, quod a Theologis reprobatum est in Durando. III. praeterea affirmare humanitatem Christi esse cultu latriae venerandam ob unionem hypostaticam, idem denique est ac dicere eo cultu esse prosequendam, quoniam pars est suppositi Christi. Peto nunc cur dici quoque non poterit divinam naturam cultu adorari latriae, quia est pars suppositi Christi? IV. si res ita se habeat, ut nostra fert sententia, humanitas coadoratur in Christo Verbo divino. Hoc autem damnatum est a S. Cyrillo in Nestorio. V. quoniam etiam B. Virgo, et crux, atque imago Christi sua

habent cum divino Verbo habitudinem in nostra sententia, haec quoque poterunt cultu latriae adorari.

Resp. ad 1. Adoratio latriae per se ac de primario, soli ac unico Deo debetur, quoniam in solo Deo ratio invenitur motiva quae internum excitare valeat adorantis affectum. Verum de secundario et ex consequenti exhiberi quoque potest ac debet humanitati Christi, quatenus a Verbi persona in qua ratio formalis est adorationis, per unionem hypostaticam suppositatur. Atque ita ex quo cultu latriae Christi humanitas sit adoranda, non sequitur illam seorsim consideratam esse Deum, quamvis totum Christi compositum ex anima corpore ac divinitate conflatum, dici possit ac debeat Deus et Dei naturalis filius.

Ad 2. Quando Theologi affirmant humanitatem Christi adorari per accidens, non sic intelligendi sunt quasi velint adorandam esse quod unione quadam accidentali conjuncta sit cum divinitate, ut Nestoriani delirant: sed exprimere intendunt adorari per accidens, hoc est non per se ac de primario, sed de secundario et ex consequenti, ut paullo ante dictum est. Et quoniam Durandus non satis perspicuas usurpans locutiones visus est quidquam simile cum Nestorio affirmare, merito a Theologis reprehensus est.

Ad 3. Manifestissima est discriminis ratio. Ideo Verbi divinitas non ex hoc motivo adoratur quod pars sit compositi in Christo, quoniam ipsa in se rationem motivam atque impellentem continet adorationis. Ast haec eadem motiva adorationis ratio non reperitur in sua humanitate: adeoque hanc non seorsim, sed cum divinitate conjunctam adoramus.

Ad 4. Jure quidem ac merito Cyrillus alexandrinus Christi coadorationem Verbo damnat ac rejicit in putido ore Nestorii: quoniam impius hic haeresiarcha duas distinctas admittens in Christo personas, morali dumtaxat unione conjunctas; ut sanctarum literarum phrases eluderet, excogitavit docere Christum, hoc est humanam ejus personam coadorari Verbo divino, alteri nimirum personae. Ast ubi Catholici affirmant humanitatem Christi coadorari Verbo divino, exprimere intendunt coadorari naturam humanam, non seorsim, sed cum persona Verbi a qua illa suppositatur.

Ad 5. Quoniam habitudo quam Christi humanitas cum Verbo divino habet est physica et substantialis ab unione procedens hypostatica, ideo humanitas quae est in Christo, eadem colitur cum Verbo divino adoratione. Est ne ejusdem generis habitudo quam B. Virgo, et crux, atque imago Christi cum Verbo divino habent?

CAPUT IX.

De cultu et invocatione Sanctorum.

Eam religiosi cultus divisionem quam praecedentis capitis initio tradidimus mente retinentes Catholici, tamquam certum exploratumque fidei

dogma teneret licitum esse Sanctos cum Christo in caelis regnantes adorare, adorationis nomine lato quodam sensu accepto, pro religiosi videlicet cultus specie quam nos *duliae* dicimus, et si de B. Virgine sermo fiat appellamus *hyperduliae*. Quod si licita est Sanctorum adoratio, cur licita quoque ac utilis non erit illorum invocatio? Easdem enim quas Christiani caussas habent ut Sanctos cum Christo in caelis regnantes colant, habent etiam ut eos invocent, eorumque apud Deum implorent intercessionem. Recentiores nihilominus heterodoxi ut ne minimam quidem catholicae doctrinae partem absque contradictione relinquant, antiquissima ac perpetua Ecclesiae posthabita praxi putidis nos onerantes calumniis imprimis idololatriae doctrinam nostram insimulant, quasi puras creaturas veluti totidem deos adoremus: deinde accusant nos etiam stultitiae quod continuis invocationibus fatigemus Sanctos qui preces nostras audire non possunt. In hoc imitatores facti sunt Gentilium, Manichaeorum, Juliani apostatae, Eunomii, Vigilantii, quorum depravatae menti eadem de catholicis falsa insidebat opinio. Nostrum itaque hoc in capite erit breviter demonstrare 1. licitum esse Sanctos cum Christo in caelis regnantes adorare. 2. et eorum apud Deum patrocinium invocare.

CONCLUSIO I.

Licitus rectusque est Sanctorum cum Christo in caelis regnantium cultus.

Prob. 1. Scripturis. Gen. cap. 18. v. 2. narratur quod Abraham visis duobus angelis, *Cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram*. Et cap. seq. 19. v. 1. sedens Lot in foribus civitatis, vidensque duos angelos qui Sodomam advenerant, *ivit obviam eis; adoravitque pronus in terram. Et dixit obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri*. Josue quoque capite libri sui 5. v. 13. interrogavit eum qui ex adverso erat: *Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Jam vero quod de Angelis dicitur, de Sanctis quoque in caelis cum Christo regnantibus intelligi debet; qum caussae eaedem quae pro Angelis, pro Sanctis quoque militent: eadem quippe est erga Deum in utrisque charitas, idem virtutum exercitium, eaedem supernaturales dotes, adeoque eadem cum Deo amicitia. Quod si licitum est religioso cultu venerari Angelos, cur licitum non erit cultu eodem prosequi Sanctos?

Prob. 2. ex constanti Ecclesiae praxi. Intolerabilis plane insolentiae est id respuere ac superstitionis accusare quod ab Ecclesia semper et ubique usurpatum retentumque est: quod enim universaliter constanterque in Ecclesia servatum est, illiusque initium nec in Conciliis nec in ecclesiasticis aliis decretis reperitur, id ab apostolica descendere traditio-

ne jamdiu pro more suo, hoc est doctissime, observavit Augustinus. Porro Ecclesia semper et perpetuo hanc ubique servavit praxim, ut cultu religioso fideles prosequerentur Sanctos. Et hoc ex certissimo Veterum testimonio patet. Nam Eusebius caesariensis lib. 13. de Praep. evan. cap. 7. ita scribit: *Similiter etiam omnes qui praeclare vixerunt, quoquomodo mortui sunt honoramus. Haec nos quotidie factitamus qui verae pietatis milites ut Dei amicos colimus, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tamquam viris sanctis quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur*. Gregorius nazianzenus Orat. 20. de S. Basilio, *At nunc ille*, inquit, *quidem in caelis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens* etc. Hieronymus in Ep. ad Riparium: *Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit me suscipit*. S. P. Augustinus lib. 20. cont. Faust. cap. 21. *Populus christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat ... colimus Martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei ... At illo cultu, qui Graece* λατρεία *dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam propria divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus, nisi unum Deum*. Reliquorum sententias Patrum brevitati studentes consulto praetermittimus, atque illud dumtaxat observo, quod non Catholici modo, sed graeci quoque schismatici, etsi a nobis in rebus gravissimis a tot saeculis dissideant, in hac parte tamen quae cultum respicit Sanctorum, nobiscum una cum aliis orientalibus sectis mirifice consentiunt: quod plane non facerent nisi de antiquissima atque constanti Ecclesiae consuetudine certissimi essent.

Prob. 3. ratione. Nemo viris dignitate scientia ingenio praestantibus civilem denegandum esse cultum affirmabit. Eccur licitum non erit et aequum Sanctos cum Christo in caelis regnante, quorum merita nostris longe praestantiora sunt, colere et venerari? Dicunt adversarii: non civilem, sed religiosum cultum Sanctis deferendum esse inficiamur. Atque hunc ipsum cultum Sanctis in hac vita degentibus deferendum esse fatentur. Homines quippe sanctimonia praeditos honorant et colunt: qui honor quum pro motivo habeat excellentiam ad religionem pertinentem, scilicet sanctitatem, nonne religiosus est? Porro charitas erga Deum, virtutes, uno verbo, sanctitas quae est in Sanctis cum Christo in patria regnantibus longe praestantior est illa quae in Sanctis reperitur in terra militantibus: atque adeo potiori jure illis quam istis religiosus impendendus est cultus.

COROLLARIUM.

Si licita est religiosa Sanctorum adoratio, licita quoque erit in eorumdem Sanctorum honorem festorum institutio. Et revera jam a tribus prioribus saeculis, quando ab omni labe immunis ipsis fatentibus Novatoribus erat Ecclesia, in usu fuit penes fideles dies concelebrare festos in sanctorum Martyrum memoriam: quapropter ecclesia smyrnensis in Ep. de martyrio

Polycarpi testatur se *natalem ipsius martyris diem cum hilaritate et gaudio celebrare*, *tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt*, *tum ad posteros hujusmodi exemplo instruendos*. S. quoque Cyprianus lib. 4. Ep. 5. scribit: *Quoties Martyrum passiones*, *et dies anniversaria commemoratione celebramus* etc. Eadem habet auctor Const. Apost. sub nomine S. Clementis Romani. Festos autem dies in honorem sanctorum Confessorum passim et ubique celebrari in universali Ecclesia consuevisse, patet ex Hieronymo in Ep. ad Eustoch. et in vita S. Hilarionis, et ex Augustino pluribus in locis, ut reliqua ecclesiastica monumenta omittam. Et ratio quidem manifestissima est. Nam quid aliud est festorum institutio nisi unius determinatio diei in quo speciali quodam modo Sancti memoria honoretur? Quod si licitum est Sanctos religioso cultu venerari, ut demonstratum est, quis dubitare poterit id licitum esse in determinato aliquo tempore praestare?

CONCLUSIO II.

Jure meritoque Catholici invocant Sanctos cum Christo in caelis regnantes.

Prob. 1. Scripturis in quibus disertissime legitur veteres Patriarchas saepe sanctorum patrocinium invocasse Angelorum. Ita Lot Gen. cap. 19. angelum deprecatus est ne Segor civitatem subverteret: cui angelus respondit: *Suscepi preces tuas*, *ut non subvertam urbem*, *pro qua locutus es*. Ibid. cap. 32. Jacob ab angelo cum quo fuerat luctatus, petiit benedictionem, eamque obtinuit. Et cap. 48. idem Jacob proxime moriturus filiis suis benedicens, nomina tum Angeli tum Patrum suorum super eos invocavit, dicens: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum*, *nomina quoque patrum meorum Abraham*, *et Isaac*. Et ne multus sim, angelus Raphael ad Tobiam cap. lib. sui 12. inquit: *Quando orabas cum lacrymis*, *et sepeliebas mortuos* etc. *ego obtuli orationem tuam Domino*. Antiqui ergo homines in sanctis paginis memorati, Angelorum consueverunt patrocinium implorare. Cur et non sanctorum virorum in caelo regnantium? Si dicant non legi id in N. Testamento, putidi mendacii redarguuntur a Johanne qui in Apoc. cap. 1. scribit: *Gratia vobis*, *et pax ab eo*, *qui est*, *et qui erat*, *et qui venturus est*, *et a septem spiritibus*, *qui in conspectu throni ejus sunt*. Praeterea quod de angelis, idipsum et de hominibus sanctis in sacris literis legitur. Nam Jer. cap. 15. v. 1. habetur: *Si steterit Moyses*, *et Samuel coram me*, *non est anima mea ad populum istum*: quae protestatio supponit Sanctos in caelis regnantes de sua sorte securos, de nostra esse solicitos multiplici miseria. In lib. 2. Mach. cap. 15. de Onia sacerdote ac Jeremia propheta legitur post mortem multum orasse pro omni populo Israel. Non est ergo cur Protestantes superstitionis nos atque stultitiae accusent.

Prob. 2. ex antiquissima ac numquam in Ecclesia interrupta consuetudine Sanctos invocandi, quae ex priscorum sententiis Patrum luculenter deducitur. Nam Eusebius caesariensis lib. 13. Praep. Ev. cap. 7. *Haec nos quotidie*, inquit, *factitamus qui verae pietatis milites ut Dei amicos colimus, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus tamquam viris sanctis quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur*. Basilius Hom. de 40. Martyr. scribit: *Quantum laborares ut vel unum reperires qui pro te Dominum rogaret? Ecce quadraginta sunt concordem effundentes orationem*. Cyrillus hierosolymitanus Catech. 5. Mystag. *Rogamus te omnes, et hoc tibi sacrificium offerimus, ut meminerimus eorum qui docuerunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus illorum precibus et intercessione preces nostras suscipiat*. Ambrosius in lib. de Vid. *Obsecrandi sunt Angeli qui nobis ad praesidium dati sunt: Martyres obsecrandi quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare*. Hieronymus integrum librum de hoc argumento adversus Vigilantium conscripsit. Augustinus serm. 159. de Scripturis, alias 17. de verbis Apostoli, cap. 1. *Injuria est enim, pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*. Cyrillus alexandrinus in Orat. quam in concilio Ephesino habuit, omnium episcoporum qui concilio aderant nomine patrocinium invocat S. Johannis evangelistae. Patres quoque concilii Chalcedonensis exclamarunt: *Flavianus post mortem vivit, martyr orat pro nobis*. In Synodo tandem VII. Action. 6. sancti Patres inquiunt: *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones immaculatae Deiparae, item sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum* etc. Reliquorum testimonia Patrum omitto, quoniam Protestantes non inficiantur a saeculo IV. et deinceps communem in Ecclesia fuisse praxim Sanctos cum Christo regnantes invocandi, addentes post Johannem Dallaeum doctrinam hanc tribus prioribus saeculis inauditam, eodem saeculo quarto fuisse a Patribus in Ecclesiam intrusam. Sed in primis quis sibi suadere poterit novam, ut Protestantes putant, eamque superstitiosam consuetudinem nemine prorsus contradicente per universam Ecclesiam statim penes omnes fideles obtinuisse? Experientia docemur populum christianum ubi de ritibus moribusque ad religionem spectantibus agitur, non facile pati ut novi mores ac inauditae introducantur consuetudines. Praeterea falsissimum est quod tam fidenter adversarii affirmant, inauditam fuisse tribus prioribus saeculis Sanctos invocandi consuetudinem. Nam ex Ignatii antiocheni et Polycarpi smyrnensis martyrii actis luce meridiana clarius apparet sanctos illos episcopos initio saecundi seculi fuisse a fidelibus in praesidium invocatos. Irenaeus qui initio tertii saeculi obiit, lib. 5. adv. haer. cap. 19. instituta Evam inter ac Mariam virginem comparatione inquit: *Haec suasa est obedire Deo, ut virginis Evae fieret advocata*. Origenes Hom. 3. in Cant. *Omnes sancti*, inquit, *qui de hac vita decesserunt ... si dicantur curam gerere salutis eorum, et juvare eos precibus suis atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens*. Cyprianus in Ep. ad

Cornel. scribit: *Memores nostri invicem simus ... et si quis isthinc nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus ac sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio*. Eusebius caesariensis H. E. lib. 6. cap. 5. historiam narrans passionis s. virginis Potamiaenae quae sub Severo initio saeculi tertii martyr obierat, inquit: *Cum vulgus eam vexare et obscoenis verbis illudere ei conaretur, Basilides quidam eos qui contumeliam virgini faciebant absterrens propellebat, multaque misericordiae et humanitatis erga illam praebebat indicia. Illa vero benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit, se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, et collata in se beneficia brevi remuneraturam esse*. Atque ut promisit factum est, Basilides enim ad fidem conversus, et ipse martyr occubuit. Mendacem ergo se prodit Dallaeus affirmans a quarto saeculo praxim in Ecclesia coepisse Sanctos in caelis regnantes invocandi. Quod si non multa ad rem hanc monumenta trium priorum saeculorum afferimus, mirari non subeat: tum quia complura illorum temporum scripta interciderunt; tum maxime quoniam illarum aetatum sancti viri instruendis magis fidelibus quam voluminibus concinnandis operam dabant.

Prob. 3. ratione quam urget S. Hieronymus adversus Vigilantium in haec verba: *Dicis in libello tuo quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: praesertim cum Martyres ultiones sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Si Apostoli et Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro ceteris quando pro se adhuc esse debent soliciti; quanto magis post coronas, victorias et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, et Stephanus imitator Domini sui et primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: et postquam cum Christo esse coeperint, minus valebunt?*

SCHOLION.

Quae hactenus adversus Protestantes de Sanctorum invocatione disputavimus, quamvis invictissime ostendant praxim illam licitam esse atque piissimam, non demonstrant tamen esse singulis fidelibus praeceptam. Et revera nullum aut in Scriptura et Traditione, aut in ecclesiasticis decretis et ipso Tridentino concilio praeceptum extat Sanctos in caelis regnantes esse a singulis fidelibus invocandos, licet eam invocationem utilem ac piam esse statuatur. Hinc doctissimi Episcopi walemburgenses fratres in lib. 12. de Unit. Eccl. scribunt: *Notandum, non esse quaestionem fidei inter nos et Protestantes, An sit praeceptum aut mandatum divinum invocandi Sanctos, licet id fingat Molinaeus. Imo nequidem existit mandatum Ecclesiae omnes et singulos fidelium ad invocationem Sanctorum obligans*. Ceterum si quis vel ex incuria vel ex contemptu pium hunc laudabilemque non observaret morem, gravi proculdubio culpa non vacaret.

CAPUT X.

Protestantium cavillationes atque calumniae dispelluntur.

Obj. 1. adv. 1. thes. Lucas in Act. Ap. cap. 10. narrat quod cum Cornelius ad Petri pedes procidens adoraret, *Petrus elevavit eum, dicens: Surge, et ego ipse homo sum*. Quid simile legitur quoque in Apoc. cap. 19. ubi Johannes de se inquit: *Cecidi ante pedes ejus* (nempe angeli,) *ut adorarem eum: Et dicit: Vide, ne feceris: conservus tuus sum ... Deum adora*. Haec sane nequeunt de cultu latriae, ut Catholici faciunt exponi, quasi Centurio Petrum, Johannes Angelum, ut Deum adorare voluerint; ille quippe vir religiosus ut in Evangelio legitur, hic autem dilectus Christi discipulus erat. Et nihilominus Petrus et Angelus illorum respuunt adorationem. Quilibet itaque cultus creaturis est denegandus. II. et memoratis in locis sermonem fieri de cultu duliae, testes sunt locupletissimi, Hieronymus adv. Vigilantium cap. 3. et Augustinus in lib. de vera Relig. cap. 55. III. nec mirum. Nam quaelibet religiosa servitus uni veroque Deo debetur, juxta illud Deut. cap. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*.

Resp. ad 1. Cornelius Petro, et Angelo Johannes cultum non latriae, sed duliae impendere reapse voluerunt: sed falsum plane est Petrum et Angelum cultum illum etiamsi recipere ipsi noluerint, improbasse. Ita enim se gesserunt ut documentum hominibus traderent humilitatis et modestiae, ut observat Chrysostomus Hom. 28. in Act. Ap. ubi scribit: *Hoc faciens Cornelius humilitatem suam ostendit, et alios docuit, Deoque gratias agit, ac declarat, quod licet jussus sit, tamen et per se multam habet promptitudinem. Quid igitur Petrus? Surge. Nam et ego homo sum. Vide quomodo prae aliis illos doceat nihil de se magnum sentire*. Et quemadmodum si terrenus princeps subdito coram se procumbenti dicat *surge*, honorem sibi debitum non damnat, sed humanitatis exhibet argumentum; ita cum Centurione Petrus, et Angelus cum Johanne se gesserunt.

Ad 2. Hieronymus et Augustinus laudatis in argumento locis cultum a Cornelio ac Johanne Petro et Angelo exhibitum intelligunt utique de cultu latriae, sed non proinde cultum rejiciunt duliae. Et de Hieronymo quidem nullum potest suboriri dubium, de S. P. Augustini autem mente non minus constat ex verbis quae in eodem occurrunt capite, quaeque ita se habent: *Quare honoramus eos charitate, non servitute*. Sed cur ita scripserunt? Quoniam scriptores de aliquo argumento tractantes, ad illud reducere solent omnia quae aliquam cum eo habeant analogiam. Cumque memorati Patres sibi demonstrare proposuerint solum Deum cultu latriae esse adorandum, quae in Scriptura de Petri et Angeli cultu leguntur, in proprii argumenti afferunt confirmationem.

Ad 3. Falsum est religiosam quamlibet servitutem soli Deo deberi; quum Protestantes ipsi viros ecclesiastica dignitate vel vitae sanctitate

supra reliquos eminentes qui adhuc vivunt, religiosa colant veneratione. Moyses ergo in Deuteronomio vetat ne religiosa servitute, hoc est cultu latriae, falsa numina honorent, sed solum Dominum Deum adorent, illique soli serviant.

Obj. 2. Si non vetitum, maximae saltem imprudentiae est aliquem erga Sanctos admittere cultum. Facile quippe est ut quaevis Sanctis exhibita veneratio in superstitionem degeneret; quemadmodum revera accidit Catholicis, qui licet jurejurando protestentur se non alium tribuere Sanctis cultum quam duliae, in re tamen tribuunt illis cultum latriae. Nam quis neget templum creaturis consecrare, erigere altaria veram esse idololatriam? Testatum id facit Augustinus qui Collat. cum Maximin. arian. ait: *Si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathemaremur a veritate Christi, et ab Ecclesia Dei.* Et serm. 62. de Scripturis, alias 6. de verbis Domini, de paganis idololatris loquens pariter ait: *Et illi quod numen habeant, et pro numine accipiant illam statuam, ara testatur. Quid illic facit ara, si illud non habetur pro numine?... Sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciant, ara illa testatur.* Et nihilominus non dubitant Catholici sanctis hominibus et angelis templa erigere, arasque consecrare. II. neque dicat aliquis Catholicos loca Martyribus ac Sanctis consecrata haberi non ut templa, sed tamquam oratoria vel basilicas vel ecclesias, eaque iis insignire nominibus. Nam scriptores romanae communionis non pauci loca illa non dubitant templa appellare. III. quid quod? Vota etiam quae soli Deo nuncupari certe debent, nuncupare non horrent B. Mariae virgini et omnibus Sanctis, ut patet ex solemni, ut eam vocant, Monachorum professione in qua se tali modo victuros vovent: *Deo, B. Mariae, et omnibus Sanctis.*

Resp. ad 1. et 2. Solent Catholici romani aedes aedificare, sed ejusmodi aedes, oratoria, basilicas, memorias, martyria, ecclesias, non templa quae soli Deo debentur, appellant. Quod si nostrae communionis nonnulli scriptores loca illa templa vocant, non ad adstruendum Sanctis latriae cultum id faciunt, sed quoniam eaedem aedes, martyria, oratoria, basilicae, simul et templa sunt; quatenus altaria in eisdem locis eriguntur in quibus sacrificia Deo offeruntur. Quae consuetudo ab ipsis Ecclesiae coepit incunabulis, quando supra Martyrum sepulcra immaculata hostia non ipsis Martyribus, sed Deo vero ac summo offerebatur. Quare decerpta ex Augustino testimonia ad rem minime faciunt.

Ad 3. Aliud est votum stricto ac rigoroso sensu acceptum, et aliud votum lato quodam modo consideratum. Votum prioris generis alteri quam Deo nuncupari certe non potest. Ast votum alterius generis quum in quavis promissione consistat, quid vetat ut creaturis etiam non sanctis nuncupetur? Monachi itaque in solemni eorum professione Deo O. M. votum nuncupant stricto ac rigoroso sensu acceptum, Beatae autem Mariae virgini, et omnibus Sanctis votum lato modo sumptum nuncupant. Quod adeo verum est ut ea quae Deo, B. Mariae, et omnibus Sanctis vovent, spondeant quoque proprii Ordinis superioribus.

Obj. 3. cont. alt. prop. Apostolus in Ep. ad Rom. cap. 10. v. 14. scribit: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt* ? quae verba significant eum debere nos invocare in quem credimus. Ast credimus dumtaxat in Deum, non in Sanctos etiam cum Christo in caelis regnantes. Quapropter solus Deus, non vero Sancti a nobis sunt invocandi. II. Christus Dominus docens apud Matthaeum discipulos suos modum orandi, non praecipit eis ut deprecentur Sanctos, sed ait: *Orantes dicite*: *Pater noster*. Et Johan. cap. 16. v. 24. *Petite, et accipietis*, non quidem a Sanctis, sed a Deo. III. si licitum sit et utile Sanctos in caelis regnantes invocare, erunt hi mediatores ad Deum pro nobis. Hoc autem impium est cogitare: quoniam Paulus in 1. ad Tim. cap. 2. inquit: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*.

Resp. ad 1. Etsi Catholici in Deum credant et in Sanctos, diversa tamen est in utrumque objectum fides. In Deum scilicet credunt tamquam in primum principium bonorumque omnium scaturiginem; in Sanctos autem veluti in Dei amicos qui pro nobis aliquid intercedere a Deo bonorum omnium largitore valeant. Quam fidem in Sanctos etiam Apostolus ad Philemonem scribens admittit dicens: *Gratias ago Deo meo ... audiens charitatem tuam, et fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes Sanctos*. Imo fidem hanc in Sanctos agnoscunt etiam Protestantes qui licitum ac pium esse concedunt orationibus commendari Sanctorum in terris adhuc militantium. Sicuti ergo diversimode in Deum ac in Sanctos credimus, ita diversimode Deum ac Sanctos invocamus. Neque enim verbum *invocare* sic in Scripturis consecratum est, ut nonnisi orationi quae ad Deum dirigitur possit aptari, ut adversarii supponunt. Nam Gen. cap. 48. Jacob benedicens filiis Joseph inquit: *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham et Isaac*. Ceterum scopus Apostoli laudato in argumento loco est docere neminem posse in Deum credere nisi prius illum cognoscat. Quod cum hac caussa nostra nihil commune habet.

Ad 2. Argumentatio secundo loco allata non amorem veritatis, sed contradicendi pruritum in adversariis demonstrat. Nam si ratiocinatio illa consisteret, nec Spiritus sanctus foret invocandus nec Filius: quoniam Christus discipulis inquit, *Sic ergo vos orabitis*: *Pater noster*: quod quam absurdum sit nemo non videt. Christus itaque discipulos docens formam orandi, praescribit quidem invocandum esse Patrem qui in caelis est, sed invocationem Sanctorum qui pro nobis intercedant apud Patrem minime excludit.

Ad 3. Sanctos in terris adhuc militantes tamquam mediatores apud Deum invocare, juxta adversarios nostros, Christi mediationi nullimode derogat. Et quidem recte, quoniam Deut. cap. 5. Moyses se ipsum mediatorem Deum inter ac populum compellare non dubitat: *Ego sequester et medius fui inter Dominum, et vos*: et mediatorem eum appellat Apostolus in Ep. ad Gal. cap. 3. dicens: *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata*

per angelos in manu mediatoris. Quare neque mediationi Christi derogat mediatio Sanctorum in caelis regnantium. Peto nunc ab adversariis: quare Sanctos invocare viventes mediationi Christi injuriam non irrogat? Respondere debent si sapiunt, quoniam Sancti adhuc viventes in terris mediatores sunt lato modo sic dicti, hoc est secundarii, Christus autem mediator est rigoroso ac stricto sensu, nempe primarius. Ast ratio haec eadem nonne valet etiam pro Sanctis qui regnant in caelis? Sed mediatoris primarii et secundarii notionem exponamus, et difficultas omnis evanescet. Christus itaque mediator noster primarius est: quoniam morte ac sanguine suo nos redemit, et Deo Patri pro peccatis nostris satisfaciens, caussa factus est meritoria donorum omnium ac gratiarum quae inveniri in hominibus possunt. Ideam hanc tradit nobis Apostolus citato in argumento loco, ubi post illa verba, *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*, e vestigio subdit: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Ille vero mediator secundarius dici sensu non malo potest, qui supernaturalium virtute donorum quibus a mediatore primario Christo locupletatus est, officia sua pro nobis apud Deum interponit; ac tales esse Sanctos in caelis regnantes, Catholici dum eos invocationibus suis interpellant, tenent. Quid in hoc superstitionis sit quid impietatis ut haeretici obganniunt, ego plane non video. Sed rem totam luculenter exponit S. P. Augustinus Tract. 1. in Johan. Ep. 1. in haec verba: *Johannes autem quid dixit? Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum. Sed dicet aliquis, Ergo sancti non petunt pro nobis? Ergo episcopi vel praepositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas, et videte, quia et praepositi commendant se populo. Nam Apostolus dicit plebi, Orantes simul et pro nobis. Orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo. Oramus pro vobis, Fratres: sed et vos orate pro nobis. Invicem pro se omnia membra orent; caput pro omnibus interpellet*. Dixi paullo ante Sanctos appellari posse mediatores sensu non malo; quoniam quum titulus hic hominibus sanctis collatus scandalo esse possit haereticis, satius erit ab eo abstinere, et loco mediatorum eos intercessores appellare pro nobis apud Deum.

Obj. 4. In concilio Laodiceno can. 35. haec lata est definitio, *Quod non oporteat Christianos relicta Dei Ecclesia abire, et angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultae idololatriae vacare, sit anathema: quia reliquit D. N. J. C. et accessit ad idololatriam*. II. et ea sane definitio saeculo V. adhuc in suo robore vigebat. Nam Theodoretus in Ep. 2. Pauli ad Colos. scribit: *Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia, et Pisidia. Proinde synodus quae convenit apud Laodiceam quae est in Phrygia, lege prohibuit ne precarentur angelos. Et in hodiernum usque diem oratoria S. Michaelis apud illos illorumque finitimos videre est*. III. etiam Patres consuetudinem hanc adorandi et invocandi Sanctos et Angelos improbarunt. Origenes quippe lib. 8. cont. Cels. inquit: *Quippe solus est adorandus supremus Deus, sed et Unigenitus ejus est orandus*.

Ambrosius de obitu Theodosii: *Sed tamen tu solus, Domine, invocandus es, tu rogandus*. Et Chrysostomus hom. de profectu Evang. *Ceterum*, inquit, *non opus tibi patroni apud Deum; neque enim tam facile Deus annuit cum alii pro nobis orant, aut cum ipsimet oramus, etiam plurimis plenissimi peccatis*.

Resp. ad 1. et 2. Canon laodicenus et Theodoretus adorationem invocationemque condemnant angelorum idololatricam, non eam quam Catholici in sensu superius exposito usurpant. Nam concilii Laodiceni temporibus nonnulli in Phrygia atque Pisidia de Simonis magi secta adhuc supererant qui Platonicorum imbuti principiis, praeter Deum summum angelos tamquam minores deos consentes admittebant, quibus mundi creationem gubernationemque tribuentes, per superstitiosa quaedam sacrificia cultum exhibebant latriae quo inaccessibilem Deum placarent. Hanc esse Concilii mentem ex sola lectione patet allati textus Theodoreti, et ex Hieronymo in Ep. ad Algasiam, et ex Augustino qui haer. 39. extitisse antiquitus haereticos qui angelici dicebantur testatur.

Ad 3. Monendum universim existimo complures ex priscis Patribus nostris crebro commendare unum eumque solum Deum colendum et invocandum esse: sed non proinde quidquam contra nostrum catholicum systema docuerunt. Quoniam vel excludere intendebant superstitiosum cultum idololatricum, vel docebant fideles ne alteri quam supremo numini latriae cultum impenderent. Atque hoc sensu exponenda sunt Ambrosii verba in orat. de obitu Theod. Quantum ad Origenem spectat, clarum est cultum excludere velle deorum gentilium. Quum enim Celsus Christianos reprehenderet quod ethnicorum deos aspernarentur, respondet Origenes: *Apage illud consilium Celsi dicentis supplicandum esse daemonibus; non enim ullo modo ei auscultandum est: quippe solus est orandus* etc. Quod ex Chrysostomo affertur parvi momenti est. Nam loquitur ibi S. Doctor adversus desides nonnullos fideles, quibus persuasum quum esset necessariam ad salutem esse orationem, saeculi illecebris atque oblectamentis distracti orationi vacare nolentes, pauperibus eleemosynas distribuebant ut pro ipsis orarent. Hoc sensu inquit non tam facile Deum ejusmodi patronis annuere.

Obj. 5. Sanctos cum Christo regnantes invocare, idem est ac canere surdis. Preces namque nostras audire eos atque cognoscere nec Scripturis demonstrari potest nec Patrum auctoritate. II. imo ex sanctis Scripturis contrarium prorsus evincitur. Nam Job cap. 14. de mortuo loquens ait: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*. Eccle. autem cap. 9. *Mortui vero*, inquit, *nihil noverunt amplius*. Et Isaiae cap. 63. legitur: *Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos: Tu Domine, pater noster, redemptor noster, a saeculo nomen tuum*. In lib. demum 4. Reg. cap. 22. sic loquitur Deus ad Josiam: *Colligam te ad patres tuos ... ut non videant oculi tui omnia mala, quae inducturus sum super locum istum*. III. S. P. Augustinus in lib. de Cura pro mort. geren. cap. 13. tradit ignorare paren-

tes nostros post mortem quid nos in hac vita *agamus*, *quidve patiamur*: ad quod demonstrandum exemplum piae matris suae Monicae affert, quae licet tantopere ipsum in vita sua dilexerit, nullam tamen post mortem exhibuit illi consolationem. IV. et re quidem vera quis modum assignare potest quo Sancti preces nostras cognoscere valeant?

Resp. ad 1. Supervacanea plane non esset Sanctorum in caelo existentium invocatio, etiamsi concederemus non agnoscere illos orationes nostras notitia speciali, sed notitia quadam dumtaxat generali. Sicut enim nos pro mortuis, quamvis ubi sint et quid agant ignoremus, quotidie preces fundimus, ita Sancti cum Christo regnantes pro indigentia generaliter supplicantium deprecari non desinunt. Ita S. Pater in lib. et cap. proxime memorato. Ast vero non generatim tantummodo, sed et speciatim nobis apud Deum opitulari diserte affirmant in primis sacrae Scripturae. Nam lib. 2. Paral. cap. 18. narratur Eliam prophetam literas ad Joram regem Juda dedisse aliquandiu post mortem. Et Lucae cap. 16. factum sive parabola describitur in qua supponitur Abraham divitis ac Lazari adhuc viventium statum apprime novisse. Ibid. cap. 15. legitur gaudium esse in caelo super uno peccatore poenitentiam agente. Et ne multus sim, Apostolus in 1. ad Cor. cap. 4. scribit: *Spectaculum facti sumus mundo et angelis*. His concinunt sancti Patres inter quos Ambrosius in lib. de Vid. ubi ita scribit: *Isti enim sunt Dei martyres nostri praesules, speculatores vitae, actuumque nostrorum*. Et Augustinus in lib. de Cura pro mort. geren. ne Patrum loca superius allata repetam: qui sane Sanctorum invocationem fidelibus non inculcarent, si eos preces nostras nullimode audire existimarent.

Ad 2. Job laudata in argumento sententia loquitur de hominibus quibuscumque hac mortali vita functis, quibus ait denegare Deum rerum carnalium hujus vitae notitiam. *Quod tamen*, inquit Gregorius M. lib. 22. Moral. cap. 12. *de animabus sanctis sentiendum non est, quia intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quia foris sit aliquid quod ignorant: sed carnales quique qui amorem vitae praecipuum filiis impendunt, hoc eos beatus Job nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amaverunt; et sive nobiles, sive ignobiles ... sint filii, nesciunt quorum eos cura semper fatigabat*. Eadem esto testimonii ex lib. Eccle. deprompti intelligentia. Isaiae textum S. Hieronymus exponit de cognitione non qualibet, sed approbationis; quod scilicet Abraham et Israël proprios non cognoscant, hoc est non diligant filios, quoniam scelera sceleribus addebant: *Nescit nos Abraham, et ignorat Israël, quia te offendimus. Nec cognoscunt filios, quos a Deo suo intelligunt non amari*. In lib. 4. Reg. quum Deus decrevisset innumera in pervicaces filios Israël mala immissurum, apparens Josiae optimo regi spondet se colligere eum velle ad patres suos, ne populi calamitates propriis oculis conspiceret. Sensus hic ex obvia verborum lectione patet.

Ad. 3. Quis umquam Catholicorum docuit mortuos in altera vita omnia et singula quae in mundo fiunt cognoscere? Numquid scientiam ha-

bent infinitam? Atque hoc Augustinus in lib. de Cura pro mort. geren. affirmat, ubi praepositis sibi quaestionibus, *Si nulla est mortuis cura de vivis, quomodo ille dives qui apud inferos torquebatur, rogabat Abraham patrem, ut mitteret Lazarum ad quinque fratres suos nondum mortuos, et ageret cum eis ne venirent et ipsi in eumdem tormentorum locum?* Et, *Quomodo Martyres ipsis beneficiis quae dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis*, posteaquam reposuerit primae quaestioni potuisse diviti esse curam *de vivis, quamvis quid agerent omnino nesciret, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus*, prosequitur Doctorum Aquila: *Fatendum est, nescire quidem mortuos quid hic agatur, sed dum hic agitur: postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia, sed quae sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse; et quae illos quibus haec indicant, oportet audire. Possunt et ab angelis, qui rebus quae aguntur hic, praesto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat cui cuncta subjecta sunt ... Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quae hic aguntur, quae necessarium est eos nosse, et quos necessarium est ea nosse ... Spiritu Dei revelante cognoscere*. Sic primae quaestioni; secundae autem respondet sic: *Non igitur ideo putandum est vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis Martyres adsunt: sed ideo potius intelligendum est, quod per divinam potentiam Martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt*. Ex quibus liquido apparet magnum Augustinum non denegare posse mortuos, imo habere quorumdam quae hic aguntur notitiam, licet non omnium penitus, neque per propriam naturam qua hinc abscesserunt.

Ad 4. Omnia fidei mysteria certa cuique fideli sunt, et tamen modum quo sunt penitus ignoramus. Quapropter etsi modus nos lateret quo Sanctis preces nostrae innotescunt, non proinde tamen illarum esset eis deneganda notitia. Ita quaestionem solvit Augustinus in libro saepe laudato ubi varios, ut animadvertimus, probabiles modos assignat quibus ad Sanctorum notitiam orationes nostrae possunt pervenire. Puta, homines qui ex hac nostra vita migrantes ad eos perveniunt, rerum forte nostrarum eos reddunt certiores; vel ab angelis, Deo sic volente, quae hic a nobis aguntur accipiunt; vel Deus ipse pro sua in Sanctos charitate indigentias nostras illis revelat: quibus addi potest videre Sanctos res nostras in Verbo tamquam in speculo.

Obj. ultimo. Invocatio Sanctorum Christi Domini invocationi quam maxime derogat. Multi quippe ad Sanctos ita confugere solent, ut ne meminerint quidem invocare Christum. II. plures de Romana communione fiduciam quae in solo Deo reponenda est, locant in Sanctis: a quibus non temporalia modo, sed aeterna bona expectant, arbitrantes ex hac vita absque poenitentia non discessuros. III. non desunt etiam qui bonorum omnium auctores collatoresque existiment Sanctos, ac B. Virginem praesertim; un-

de in publicis precibus canunt, *Solve vincla reis*, *profer lumen caecis*, *mala nostra pelle*. Ad hos itaque removendos abusus de medio tollenda est Sanctorum invocatio.

Resp. ad haec generatim. 1. Si ob aliquorum abusum Sanctorum abolenda est invocatio, ob eamdem rationem et Scriptura et Sacramenta de medio tollenda erunt, qnoniam multi iis abutuntur. 2. Putida Protestantium ac Calvinistarum praesertim calumnia est quod abusuum numerus tam enormis sit in ecclesia Romana. Quamvis enim rudes ac plebeii homines exponere nitide nequeant modum quo Sanctos colunt et invocant, si tamen repetitis interrogationibus ab eis sciscitemur quid in colendis et invocandis Sanctis interius sentiant, decantatos a Calvinistis abusus penitus evanescent. 3. Verum sive pauci sint sive multi in Sanctorum invocatione abusus, ecclesia Romana illos minime approbat; quamobrem in Tridentino congregata concilio, pastoribus animarum praecepit ut rudes simplicesque fideles rite ac patienter hac in re instruant et doceant. Sed aliquid dicamus ad singula. Atque

Ad 1. Quum invocatio Sanctorum Christi Domini includat invocationem, ut patet ex eo quod singulae orationes formula hac, *Per Christum Dominum nostrum*, clauduntur; nonnisi per calumniam dicere possunt adversarii invocationem Sanctorum invocationi Christi derogare.

Ad 2. Calumnia similiter est quod secundo loco Protestantes objiciunt; quum communionis Romanae fideles Augustini sententiam, *Martyres honorare, et non imitari*, *nihil aliud est quam mendaciter adulari*, tamquam commune effatum semper habeant in ore. Quare falsum est Ecclesiam catholicam eam tenere doctrinam, ut qui B. Virgini vel alicui Sancto externum exhibuerit cultum, nequeat absque poenitentia ex hac vita migrare.

Ad 3. Bonorum omnium sive spiritualium sive temporalium fontem existimat ecclesia Romana, non Deiparam Virginem, non Sanctos in caelis regnantes, sed Deum O. M. Quod si in hymno canitur, *Solve vincla reis etc.* per ea verba intelligitur Dei matrem intercessione sua obtinere nobis per merita filii a Deo remissionem peccatorum: quod manifestum fit ex sequentibus, *Sumat per te preces*, *qui pro nobis natus*, *tulit esse tuus*.

CAPUT XI.

De sanctarum reliquiarium cultu.

Vigilantius vir moribus corruptissimus multos saeculo IV. per Ecclesiam spargere conatus est errores, quos inter falsum illud dogma, Martyrum aliorumque Sanctorum exuvias in nullo habendis esse pretio, superstitionisque reos esse fideles qui vel minimum illis impendunt honorem. Non altas admodum fixit error ille radices; quoniam vir maximus S. Hieronymus zelo verae fidei commotus, eruditissimo libro impetum in eum faciens omnique argumentorum genere vetustissimam Ecclesiae propu-

guans consuetudinem, arundinea haeretici tela contrivit. Hinc irreligiosa Vigilantii deliramenta paucos per subsequentes aetates nacta sunt sectatores. Nam quod nonnulli ajunt eodem detentum fuisse errore etiam Johannem Wiclefum, falsum omnino videtur; quum Constantiense concilium inter articulos ex illius operibus decerptos, de sanctarum cultu reliquiarum ne verbum quidem habeat. Sed non semper proinde apud inferos latuit nefanda haeresis. Nam Lutherus et post illum Calvinus imitatores facti antiqui illius haeretici, docere non erubuerunt doctrinam Romanensium in veneratione et adoratione reliquiarum rem inutilem esse, et a monachis ac mendicantium ordinum professoribus cum deceptione simplicium ad turpem quaestum captandum inaniter confictam. Ast dum haec et similia impudenter evomunt in monachos, totius veteris Ecclesiae famae insolenter detrahere non erubescunt. Nos ergo utpote gratia Dei Catholici, cultum sanctarum reliquiarum pro aris et focis propugnabimus: animadvertentes tamen et confitentes nullum extare praeceptum quo ejusmodi cultus vel vetetur vel jubeatur; unde sit

CONCLUSIO

Pius ac utilis est sanctarum cultus reliquiarum.

Prob. 1. Scripturis. In V. Testamento multis in locis habetur Judaeos venerari religioso cultu consuevisse Sancta sanctorum ubi Cherubim, arca, manna, virga, aliaque hujusmodi asservabantur. De illo autem cultu nullibi in Scripturis legimus Judaeos fuisse reprehensos. Cur ergo pium utileque non erit Martyrum aliorumque Sanctorum venerari reliquias? Argumentum est S. Hieronymi in Ep. ad Marcellum: *Venerabantur quondam Judaei Sancta sanctorum, quia ibi erant Cherubim, et propitiatorium, et arca Testamenti, manna, virga Aaron, et altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulcrum Domini, quod quotiescumque ingredimur, toties jacere in sindone cernimus Salvatorem?* Dum Moyses a tyrannica Pharaonis servitute populum Israel solvit, ex Ægypto discedens patriarchae Josephi ossa secum transtulit in desertum, non alia sane de caussa quam quia vir insignis sanctitate fuerat. In Act. Ap. cap. 19. narratur Apostoli Pauli discipulos sudaria quae corpus ejus contigerant, et semicintia religioso cultu fuisse prosequutos. Mendacium itaque putidissimum est Protestantium sanctarum cultum reliquiarum contrarium esse Scripturis, adeoque superstitiosum.

Prob. 2. ex virtutibus a Deo intuitu sacrarum reliquiarum patratis. Elisaeus, ut in lib. 4. Reg. cap. 2. narratur, quum Eliae praeceptoris sui pallio Jordanis undas percussisset, dignatus est Deus ita illas dividere, ut ad oppositam ripam sicco vestigio propheta transierit. Ibid. cap. 23. describitur quomodo ad mortui corporis Elisaei contactum cadaver extemplo revixerit; unde Hieronymus in laudata proxime Ep. scribit: *Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Elisaeus mortuus mortu-*

um suscitavit, *et vitam dedit corpori quod*, *juxta Vigilantium*, *jacebat immundum*? Matth. cap. 9. celebris Hemorroissae refertur sanitas a fluxu sanguinis quod Christi vestís fimbriam religioso cultu tetigerit. In Act. Ap. loco supra laudato haec leguntur: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli*: *ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria*, *et semicintia*, *et recedebant ab eis languores*, *et spiritus nequam egrediebantur*. Neque vero in Scripturis dumtaxat, sed in historia quoque ecclesiastica praeclara in gratiam reliquiarum patrata leguntur miracula. Nam S. Johannes Chrysostomus hom. in S. Julianum auditores suos fidentissime provocat ad prodigia quae per hunc sanctum martyrem suo tempore patrabantur. *Sume*, inquit, *quempiam a daemone correptum ac furentem*, *et ad sanctum illud sepulcrum deduc quo reliquiae martyris continentur*, *tum resilientem plane atque fugientem videbis*. S. Ambrosius in Ep. 22. modum quo sanctorum martyrum Gervasii et Protasii corpora invenit describens, ad finem narrationis ita concludit: *Condivimus integra ossa ad ordinem*, *transtulimus vespere ad basilicam Faustae ... sequenti die transtulimus ea in basilicam quam appellant Ambrosianam*, *dum transferimus caecus sanatus est*. Et ne adversarii nimiae simplicitatis sanctum episcopum accusent, do alterum ejusdem prodigii testem Augustinum qui reliquiarum translationi praesens erat. Sic autem scribit lib. 9. Conf. cap. 7. *Tunc memorato Antistiti tuo per visum aperuisti*, *quo loco laterent martyrum corpora Protasii et Gervasii ... Cum enim propalata et effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam*, *non solum quos immundi vexabant spiritus*, *confessis eisdem daemonibus sanabantur*, *verum etiam quidam plures annos caecus civis civitatique notissimus*, *cum populi tumultuantis laetitiae caussam quaesisset atque audisset*, *exsilivit*, *eoque se ut duceret*, *suum ducem rogavit*. *Quo perductus impetravit admitti*, *ut sudario tangeret feretrum pretiosae in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum*. *Quod ubi fecit*, *atque admovit oculis*, *confestim aperti sunt*. Legantur apud Augustinum miracula ad conspectum reliquiarum S. protomartyris Stephani in Africa patrata. Interim peto ab adversariis an virtutes hactenus recensitae, quarum veritas ex oculatis testibus omni exceptione majoribus constat, et aliae plurimae quae afferri possent, a Deo factae sint intuitu superstitiosi an vero religiosi piique cultus Sanctorum reliquiis exhibiti? Sint ipsimet judices.

Prob. 3. ex antiquissima et constanti Ecclesiae praxi quae ex sanctorum Patrum scriptis eruitur. Ecclesia smyrnensis in Ep. de martyrio S. Polycarpi narrat Judaeos Smyrnae commorantes proconsuli persuasisse ne sineret Christianos ossa auferre Polycarpi, *ne forte*, *ut assolet*, ajebant, *relicto Crucifixo*, *hunc deinceps Christiani colerent*. *Collegerunt tamen sanctas reliquias quas in loco decenti deposuerunt*: *quo loci nobis*, *ut fieri poterit*, *congregatis*, *in exultatione ac gaudio praebebit Dominus natalem martyrii ejus diem celebrare*, *et sacro illius cadaveri communicare*. Ab eo itaque tempore solebant fideles Martyrum venerari

reliquias, idque Judaeis etiam ac Ethnicis notissimum erat. S. Cyprianus ad presbyteros et diaconos ecclesiae suae scribens: inquit: *Corporibus etiam omnium, qui etsi torti non sunt in carcere, tamen glorioso mortis exitu excedunt, impertiatur et vigilantia et cura propensior ... denique et dies eorum quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*. Testatur Eusebius caesariensis lib. 7. H. E. cap. 19. Hierosolymis in magno honore fuisse cathedram Jacobi apostoli illius civitatis quondam antistitis. Cyrillus hierosolymitanus Catech. 18. doctrinam cathecumenis tradit de Martyrum colendis reliquiis. Basilius in Psal. 115. inquit: *Si quis tetigerit cadaver, immundus erit. Nunc e diverso martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadantenus sanctificationis particeps*. Similia fere habet Theodoretus orat. in Theodorum martyrem. Agmen sanctorum Patrum claudat S. Hieronymus in lib. adv. Vigilantium: *Dolet Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorum basilicas ingredimur? sacrilegus fuit Constantinus imperator qui sanctas reliquias Andreae, Lucae, et Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas daemones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur? sacrilegus dicendus est et nunc Augustus Arcadius qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Judaea transtulit in Thraciam? omnes episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt?* Accedit his quod universalis Ecclesia Vigilantii de reliquiis doctrinam tamquam falsam et haereticam semper execrata est. Unde statutum fuit in Carthaginensi V. synodo can. 4. ut altaria cum Martyrum reliquiis erigerentur: quem morem servant adhuc ecclesiae. Et in generali VII. Concilio non Catholici modo, sed et Iconomachi conveniebant Sanctorum reliquias esse colendas. Idipsum et in Lateranensi IV. et in Tridentino fuit expresse definitum hac potissimum de caussa, quod corpora Sanctorum instrumenta fuerint per quae illorum animae meritum sibi compararunt ut essent viva membra Christi, templum Spiritus sancti, et cohaeredes Christi in caelis in aeternum.

Sed putant Protestantes argumentum hoc ex Ecclesiae praxi arcessitum se facili posse negotio convellere, regerendo ignotum cultum illum fuisse trium priorum saeculorum fidelibus. Nam si consuetudo haec extitisset, inquiunt, nonne Judaei ac Gentiles in faciem projecissent Christianorum se quoque idololatrarum more corpora mortuorum venerari? quod tamen nullibi fecisse legimus. Verum turpissime haec regerendo mentiuntur. Et si enim illis temporibus caverent Christiani ne religionis sacra infidelibus panderentur, quum inde calumniandi occasionem crebro arriperent, Judaeis nihilominus et idololatris Christianorum nota erat in Martyrum corpora veneratio; unde illorum exuvias vel igne vel aquis absumi diligenter curabant. Legantur acta martyrii S. Polycarpi, et alia aliorum Sanctorum apud cl. Ruinartium.

CAPUT XII.

De cultu sanctarum Imaginum .

Nulla umquam tam furibunda adversus catholicam Ecclesiam ex Orco caput extulit haeresis, ut haeresis fuit Iconoclastarum. Virum quippe et indole et gente barbarum, Leonem videlicet Isauricum orientis imperatorem invasit: qui ex Arabum Judaeorumque depravatus consortio, consulente Natoliae Episcopo regis Arabum Ezidi exemplo seducto, nullum cum Catholicis humanitatis sensum servavit ut edicto anno 726. a se promulgato vellent nollent obtemperarent; exilio ferro caede usus, ut sanctarum Imaginum cultus aboleret. Diuturni imperii spes quam praestigiator quidam judaeus Sarantapechys nomine ei spoponderat quum fefellisset, ejusdem imperii ac impietatis suae haeredem reliquit filium Constantinum, Copronymum nuncupatum quod sacrum fontem dum baptizaretur stercoribus coinquinaverit. Hic convocato Constantinopoli 130. Episcoporum suae ditionis conciliabulo, decretum jam a Leone Isaurico adversus Imagines latum voluit ut confirmaretur, gravioribus additis in transgressores poenis. Antecessorum vestigia premere subinde volens Leo IV. qui Copronymo successit, divino ulciscente Numine morte praeventus non potuit. Sed interim quamvis impii illi principes obtinuerint ut Imaginum cultus ab universo fere patriarchatu Constantinopolitano exularet, facere tamen non potuerunt ut incolumis non remaneret in aliis tribus, Alexandrino nempe, Antiocheno, et Hierosolymitano. Nam dum hi contra sanctas Imagines furere non desistebant, strenuos suscitavit Deus in Ecclesia earumdem defensores, Germanum C-P. Johannem damascenum, Romanosque Pontifices Gregorium II. Gregorium III. Zachariam, Stephanum, Paulum; donec imperante Constantino Pogonato cum matre sua Irene, coacta generali Synodo prius C-P. postea ad Iconomachorum vitandos tumultus Nicaeam in Bithynia, ubi primum Oecumenicum habitum fuerat concilium translata, praesentibus Romanae sedis legatis, Iconoclastarum rabies repressa est et pax Ecclesiae restituta. Verum tempore procedente error idem serpere coepit in Occidente opera Claudii episcopi taurinensis, qui non Sanctorum modo, sed et Crucis imagines quibus orientales Iconomachi pepercerant, ubicumque inveniret frangebat. Hunc adsciverunt errorem etiam Valdenses et subinde Wiclefi sectatores, ac tandem mensuram implevere irreligionis Lutherani et Calvinistae, stultitiae ac superstitionis Catholicos accusantes. Quid hac in re Romana ecclesia teneat quum omnibus ex Tridentino concilio sit manifestissimum, non opus est explicare. Unum adverto dumtaxat, quod dum Catholici dicunt Sanctorum imagines esse colendas, affirmare minime volunt praeceptum extare positivum quo facere id teneamur; sed negativum solummodo quo eas spernere et conculcare vetatur: ex quo jure consequitur cultum illarum pium esse atque utilissimum, non autem ad aeternam salutem necessarium. Et rursus dum Imagines adorandas esse contendimus, non de cultu latriae, ut supra adnota-

vimus, sed de cultu duliae loqui intelligimus, et relativo quidem qui ad prototypa referatur, non absoluto qui ad ipsas terminetur Imagines. Modo sit

CONCLUSIO I.

Tribus prioribus Ecclesiae saeculis non admodum frequens, sed tamen fuit sacrarum usus Imaginum.

Prob. prior thes. pars. Quum primis illis temporibus qui nomen Christianae fidei dabant, vel ex judaismo vel ex gentilitate venirent, non satis prudenter se gessisset Ecclesia, si Heroum nostrorum aut imagines aut statuas publicae exposuisset venerationi. Nam utriusque generis catechumeni scandalum passi inde fuissent. Judaei quidem, quibus antiqua lex unde veniebant, picturae aut sculpturae cujuslibet usum rigorose vetabat: Gentiles etiam, qui quum inter imagines ac simulacra enutriti fuissent, existimassent non tam idola se reliquisse, quam simulacra mutasse. Hinc quamvis Judaei ac Gentiles in propria perseverantes superstitione tam immani odio Christianos prosequerentur, ut ubi vera non invenirent, falsa illis imponerent scelera; nullibi tamen habemns de superstitioso Imaginum cultu eos accusasse, quamvis ut id facerent occasionem haberent; quando nimirum Apologistae nostri, ut Arnobius, Tertullianus, Minutius, alique ethnicos reprehendebant quod simulacra colerent et imagines. Imo e contra nostris illi saepe exprobrabant quod nullas aras, nulla templa, nulla nota simulacra haberent. Legantur Minutius Felix in Octavio, Arnobius lib. 6. cont. Gentil. Origenes lib. 8. adv. Cels. Hoc argumentum, quod mere negativum est, sufficit ad rem nostram conficiendam; quoniam Dallaeus recentiorum Iconoclastarum facile princeps, nobiscum hac in caussa convenit.

Prob. alt. prop. pars. Sed dum idem Dallaeus addit penes priscos illos fideles nullum omnino usum et cultum Imaginum viguisse, decipitur apertissime. Nam Tertullianus quando jam ad Montanistas turpissimo lapsu defecerat, occasionem reprehendendi Catholicos desumit ex eo quod hi calices haberent cum pastoris imagine depictos; unde in lib. de Pudic. cap. 7. scribit: *Procedant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius utrum christiano an ethnico peccatori de restitutione conliniet*. Illa autem pastoris figura Christum in humeris suis deperditam ferentem ovem exprimebat. Eusebius caesariensis H. E. lib. 7. cap. 18. fidem facit se propriis oculis conspexisse Peneados in Palaestina aeneam Christo Domino ab Haemorrhoissa evangelica erectam statuam, et depictas imagines apostolorum Petri et Pauli ab antiquo efformatas. Concilium Illiberitanum initio saeculi IV. celebratum, vetans *ne picturae sint in Ecclesia, neque quod colitur et adoratur in parietibus pingatur*, demonstrat quidem usum illum in Hispania adhuc non invaluisse, sed simul supponit viguisse in aliis extra Hispaniam ecclesiis; dummodo alio sensu illius concilii canon non sit interpretandus, ut po-

stea videbimus. Non est ergo audiendus Dallaeus, dum familiari sibi confidentia affirmat ignotum penitus tribus prioribus Ecclesiae saeculis fuisse usum et cultum sacrarum Imaginum. Neque vero ex parco illo Imaginum usu argumentum ad eas projiciendas, ut Protestantes faciunt, desumi potest. Nam cultus de quo loquimur, non ad fidei dogma, sed ad Ecclesiae spectat disciplinam quae pro temporum ac circumstantiarum varietate variabilis est. Hinc cum progrediente tempore circumstantiae illae quae primis illis saeculis vigebant, non viguerint amplius, paulatim ac pedentim sanctarum Imaginum usus et cultus modo in unam modo in aliam ecclesiam cum magna fidelium utilitate invectus est.

SCHOLION.

Difficile admodum est tempus quo Imaginum usus in singulis ecclesiis sit introductus determinare. Aliqua nihilominus ecclesiastica proferam monumenta quae rei obscurae lucem afferre possunt. Patres concilii Nicaeni II. ex Ep. Amphilochii iconiensis episcopi demostrabant in Lycaonia sacrarum cultum Imaginum adoptatum fuisse sub finem saeculi IV. Ex Orat. Gregorii nysseni in S. martyrem Theodorum deprehenditur eadem aetate usum illum longe lateque fuisse propagatum: ait enim, *Pictor fortia facta martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas et immanes tyrannorum formas ... coloribus artificiose depingens, certamina atque labores martyris nobis expressit*. Chrysostomus Hom. 11. gratulatur Antiochenis, quod *sanctam Meletii imaginem et in annulorum circulis, et in calicibus, et phialis, et in thalamorum parietibus ubique exaraverint*. Ambrosius narrans in Ep. 53. sanctorum Gervasii et Protasii apparitionem, inquit: *Cum quadam mihi tertia apparuerunt persona, quae similis esse B. Paulo apostolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat*. S. P. Augustinus serm. 316. de Sanctis meminit imaginis S. Stephani in haec verba. *Dulcissima pictura est haec, ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem*. Mitto ecclesiastica alia monumenta; quum haec ultro fateatur Dallaeus, et interim ex paucis allatis colligatur sacrarum usum Imaginum quarto et quinto Ecclesiae saeculo tum in Oriente, tum in Occidente invaluisse.

CONCLUSIO II.

Pium ac utile est effigiem Crucis et Sanctorum Imagines religioso cultu venerari.

Prob. prima thes. pars. Usus ille pius ac utilis habendus est, qui ab initio et deinceps in Ecclesia quae magistra est veritatis, semper viguit. Usus religiose colendi Crucis effigiem ab initio et deinceps semper in Ecclesia fuit. Nam Tertullianus qui saeculo II. scribebat, in lib. de Coron. Mil. cap. 3. inquit: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem*

aditum et exitum, *ad vestitum*, *ad calceatum*, *ad lavacra*, *ad mensas*, *ad lumina*, *ad cubicula*, *ad sedilia*, *quandocumque nos conversatio exercet*, *frontem crucis signaculo terimus*. Quam consuetudinem non ut recenter inventam, sed ut vetustissimam scriptor ille commemorat: cumque nec in Scripturis nec in Conciliorum aut Patrum decretis inveniatur statuta, consequens est descendisse ab Apostolis, juxta regulam notissimam Augustini. Arbitror autem statim post Christi mortem Apostolos signaculum illud usurpasse in imponendis manibus ac populis benedicendis in locum modi illius benedicendi, quo veteres Patriarchae filiis vel populo benedicendo utebantur per manuum elevationem. Loquitur quidem Tertullianus de crucis signo quod solet manibus efformari. Sed ridiculum foret inter Crucis effigiem et eam quae manibus teritur, discrimen aliquod apponere. Undenam enim Apostoli ac primi fideles crucis signum manibus efformare didicerant nisi a cruce in qua Christus seipsum obtulit pro nobis in sacrificium? Unde S. P. Augustinus Tract. 118. in Johan. *Quid est*, inquit, *quod omnes noverunt*, *Signum Christi*, *nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur*, *sive frontibus credentium*, *sive ipsi aquae ex qua regenerantur*, *sive oleo quo chrismate unguntur*, *sive sacrificio quo aluntur*, *nihil eorum rite perficitur*: quae S. Doctoris verba quod supra diximus aperte confirmant, tam antiquam scilicet esse vivificae Crucis effigiem, quam antiqua sunt Christiana sacramenta rite administrata.

II. Veteres religionis nostrae Apologistae qui ante Constantini tempora scripserunt, affirmant Judaeos atque Gentiles infensissimos Christiani nominis hostes, solitos fuisse ludibrii caussa nostros appellare *Cruciarios*. Unde, quaeso, nomen illud descendit, nisi ex Christianorum consuetudine adorandi Crucem? Nec refert quod Minutius Felix in suo Apologetico dicat, *Christianos nec colere Cruces*, *nec optare*; id namque negat in sensu ethnicorum qui Christi sectatores cruces tamquam simulacra cultu latriae adorare arbitrabantur. Atque haec de tribus prioribus Ecclesiae saeculis. II. Quomodo autem saeculo IV. et deinceps religiosus ille creverit cultus, ac publice et palam per Romanum qua late patebat imperium fuerit propagatus, superfluum existimo enarrare; quum noverint omnes sacrum illud signum manifestatum per quietem a Christo fuisse magno Constantino cum epigraphe, *Hoc vinces*; quidquid impius Voltairius cum complicibus suis obganniat: illudque ex ejusdem Christi mandato in vexillo cui *Labari* nomen imposuit, et quo ad profligandos hostes utebatur, una cum inscriptione posuisse. Quapropter Eusebius lib. 3. de vita Const. cap. 32. scribit: *Hoc vero salutari signo velut munimento adversus hostiles infestasque vires omnes perpetuo usus est Imperator*, *et ejusdem expressas figuras praeire deinceps mandavit exercitibus suis*. *Neque hoc contentus*, *eamdem effigiem tum militum clypeis*, *tum nummis insculpi voluit*. Idipsum subinde ad Constantini exemplum alii reges fecerunt: unde Chrysostomus Hom. 61. inquit: *Quippe reges deposito diademate crucem suscipiunt*, *mortis illius signum*.

In purpureis vestibus crux inest; *in diadematibus crux*, *in orationibus crux*, *in armis crux*, *in sacra mensa crux*, *et ubique terrarum sole ipso clarius refulget*. Et Augustinus serm. 88. de Scripturis, alias 18. de verbis Domini cap. 9. *Sed quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus saeculi*, *prius honoravit crucem in hoc saeculo*; *ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi*: *et quod cum magna insultatione persecutores Judaei Domino procurarunt*, *magna fiducia servi ejus*, *etiam reges in fronte nunc portant*. Hinc Julianus Augustus cui praxes omnes notissimae erant Christianae religionis a qua desciverat, apud Cyrillum alexandrinum lib. 6. cont. eumdem ajebat: *Crucis lignum adorant*, *ejus imaginem adumbrantes in frontibus*, *et prae aedibus suis inscribentes*. Protestantes itaque qui nos superstitionis accusant quod S. crucis veneremur imaginem, insimulare non erubescunt ejusdem stultitiae trium priorum ac sequentium saeculorum Ecclesiam, pejores profecto facti primis ipsis Iconomachis, qui bellum sacris Imaginibus indicentes, figurae ac signo S. crucis pepercerunt, venerandam illius imaginem in eorum templis ac aedibus retinentes.

Prob. altera pars prop. I. ex Scripturis. Tam aperte ex veteri Instrumento constat Judaeos arcam testamenti tamquam rei sacrae signum Dei majestatem repraesentantis religioso cultu fuisse veneratos, ut nemo id inficiari audeat; et perspicue legitur Deut. cap. 10. v. 8. *Separavit* (Moyses) *tribum Levi*, *ut portaret arcam foederis Domini*. Et Josue cap. 3. v. 4. *Cavete*, inquit ipse Josue, *ne appropinquetis ad arcam*. Et cap. 7. v. 6. *Josue vero scidit vestimenta sua*, *et pronus cecidit in terram coram arca Domini*, *usque ad vesperam*, *tam ipse*, *quam omnes senes Israel*. Et lib. 1. Reg. cap. 6. v. 19. *Percussit* (Deus) *de viris Bethsamitibus eo quod vidissent arcam Domini*. Et lib. 2. Reg. cap. 6. v. 7. *Percussit* (Dominus) *eum* (Ozam) *super temeritate*. Demum triumphalis ibidem describitur pompa qua David arcam in civitatem Sion introducendam curavit. Porro quod de arca dicitur, id intelligi quoque debet de sacris Imaginibus. Nam sicuti Judaei non arcam prout ex ligno conflatam, sed quatenus Deum repraesentabat venerabantur; ita et Catholici non Imagines ipsas propter Imagines, sed propter prototypa quae per illas exprimuntur, religiose colunt. Idem dicendum de Cherubim super arcam testamenti positis quos religioso cultu ut angelos Dei venerabantur, et de aeneo serpente in deserto a Moyse jussu Dei erecto quem Judaei spirituales tamquam Christi figuram adorabant. II. ex Traditione. Praeter monumenta ex trium priorum saeculorum scriptoribus superius allata, haec ex Patribus qui ante Iconomachos floruerunt, adduci possunt. Basilius in Ep. ad Julian. de Prophetis Apostolis atque Martyribus agens, inquit: *Unde et characteres imaginum eorum honoro et adoro*: *praecipue cum hoc traditum a sanctis Apostolis*, *et non prohibitum sit quin et in omnibus ecclesiis nostris ostendatur depictum*. Chrysostomus Hom. in Ablut. quintae feriae scribit: *Non tabulam honorantes neque perfusam cerae picturam*, *sed characterem imperatoris*: *sic creatura non ter-*

renum habitum , sed caelestem figuram veneratur . Ambrosius orat. de obitu Theod. *Sapienter* , inquit , *Elena egit , quae crucem Christi in capite regum levavit et locavit , ut crux Christi in regibus adoretur .* Hieronymus in Ep. 44. ait: *Venerabantur quondam Judaei Sancta sanctorum , quia ibi erant Cherubim , et propitiatorium , et arca testamenti ... Nonne venerabilius tibi videtur sepulcrum Domini ?* Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. *Sed quia haec* (Imagines nimirum et Sacramenta ,) *hominibus nota sunt , quia per homines fiunt, honorem tamquam religiosa possunt habere , stuporem tamquam mira non possunt .* Gregorius M. lib. 9. Ep. 52. ad Secundum, mittens ei imaginem Christi quam petierat , inquit : *Nos quidem , non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur , sed illum adoramus quem per imaginem aut natum aut passum , sed et in throno sedentem recordamur .* Alia bene multa Patrum testimonia consulto omitto , quoniam commode legi possunt apud Bellarminum aliosque Tractatores . Interim audaces admodum recentiores mihi videntur heterodoxi qui violatae religionis non solum nos , sed et tot sapientissimos Patres insimulare non dubitant . III. ex Generalium conciliorum definitionibus . Concilium Nicaenum II. septimum inter Oecumenica, adversus Iconoclastas expresse celebratum , Patrum doctrinae Ecclesiaeque innixuum traditioni sequens edidit decretum : *Definimus ... sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis , ita venerabiles et sanctas imagines proponendas , tamque de coloribus et tessellis quamque ex alia materia , congruenter in sanctis Dei ecclesiis et sacris vasis et vestibus et in parietibus ac tabulis , domibus et viis : tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri J. C. quam intemeratae dominae nostrae sanctae Dei Genitricis , honorabiliumque Angelorum et omnium sanctorum simul et almorum Virorum . Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur , tanto qui eas contemplantur alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium , et ad osculum et ad honorariam his tribuendam adorationem . Non tamen ad veram latriam quae secundum fidem est , quaeque solam naturam divinam decet impertiendam .* Generale concilium VIII. consimile emanavit decretum dicens : *Quicumque Christi Salvatoris imaginem non adorat , is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem . Eadem ratione intemeratae Genitricis illius effigiem sanctorumque Angelorum , quemadmodum illos sacrarum literarum paginae describunt , ac Sanctorum omnium veneramur et colimus . Qui aliter sentiunt anathema sunto .* Non est ergo cur tam audacter Protestantes oblatrent , si Tridentinum concilium veterum Patrum inhaerens vestigiis , sequenti definitione Ecclesiae circa sanctas Imagines fidem confirmavit , his verbis quae sess. 25. in Decr. de Invoc. Sanctor. habentur : *Imagines Christi, Deiparae Virginis , et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et reverentiam impertiendam ; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas , vel virtus , propter quam sint colendae ; vel quod ab eis sit aliquid petendum ; vel quod fiducia in Imaginibus sit figen-*

da : *veluti olim fiebat a Gentibus* , *quae in idolis spem suam collocabant* , *sed quoniam honos* , *qui eis exhibetur* , *refertur ad prototypa* , *quae illae repraesentant* . IV. Theologicis rationibus . 1. Nulla caussa est cur sacras non debeamus usurpare et colere Imagines . Neque enim usus ille atque cultus malus est vel in se , vel quia positiva aliqua lege prohibitus . Non est quid malum in se , quoniam cultus quem Catholici exhibent Imaginibus , non est latriae , ut Protestantes calumniantur : sed tantum duliae , et relativus quidem, non absolutus . Neque est aliqua positiva lege prohibitus, quoniam licet quamlibet Judaeis Deus vetuisset effingere ac retinere figuram , de quo Interpretes ac Theologi disputant ; lex illa tamen non fuit quocumque tempore obligans , sed mere caeremonialis ad vehementem inclinationem ad idololatriam ab eis amovendam . In N. autem Testamento nullibi ejusmodi positiva lex apparet . E contra vero multam habet cultus ille utilitatem , quam post Nicaenum II. graphice describit concilium Tridentinum . 2. Recentiores haeretici absque ulla penitus caussa et ex puro putoque in nos odio , post Johannem Dallaeum cultum quem Imaginibus exhibemus , superstitionis accusant et idololatriae . Si namque interrogentur utrum cultu aliquo prosequi quis debeat Christi ac Sanctorum imagines , affirmare non diffitentur . Si rursus quo reverendae sint cultu ab eis sciscitemur , non latriae respondent , neque mere civili , verum cultu quodam inter latriae et civilis medio , qui Religionis possit appellari . Ast nonne hoc idem catholici Romani tenent , quamvis diversum idem tamen significans nomen adhibeant ? 3. Ac multo magis demum nobis contra propriam conscientiam insultant , si animadvertunt et ipsos aliquando nobiscum convenire . Nam tametsi in sacramento Eucharistiae non veram ac realem Christi praesentiam admittant , sed figuratam ; contendunt nihilominus panem et vinum veluti Christi figuram esse adoranda : quod religiosissime servant . Cur ergo nos quod erga Christi crucis et Sanctorum imagines idipsum facimus , tam vehementer objurgant ?

SCHOLION .

Arbitror non esse nunc amplius in controversiam vocandum , an cultus Imaginibus debitus absolutus sit , vel relativus . Cordatiores enim Theologi qui subtilitatibus non delectantur , candide ac sine ulla ambiguitate verborum affirmant cultum illum relativum esse , non absolutum . Cui sententiae subscribendum mihi videtur : tum quia sic ex haereticorum manibus arma quibus nos per calumniam impetunt eripiuntur ; tum maxime quoniam res haec luculentissime declarata fuit in concilio primitus Nicaeno II. subinde vero in Tridentino . Et revera quid in imagine , sive prototypo per mentem conjuncta sive ab eo separata , concipi potest quod religiosum rationalis creaturae mereatur obsequium ? Non materia , quae quamvis excellentissima foret , rationalis creaturae dignitatem exaequare non potest : non *esse* , ut inquiunt , *repraesentativum* , quoniam excellentia quam habere potest , tota est artificis . Quando itaque vel ca-

put coram imagine inclinamus, vel in obsequii amorisque argumentum eam deosculamur, vel quidquam simile facimus; omnia haec dirigi referrique debent ad prototypum.

CAPUT XIII.

Proponuntur simul ac refutantur adversariorum argumenta.

Obj. 1. Eamdem quam nos in sacrarum Imaginum tuendo cultu secuti sumus methodum, et adversarii in eo destruendo tenent. Exordium itaque et ipsi ducunt a Scriptura. Exodi cap. 20. expressum tulit Deus praeceptum de non faciendis retinendisque sculptilibus et similitudinibus aliis: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in caelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Quod mandatum repetitur Deut. cap. 4. Catholici ergo qui Sanctorum imagines fingunt et colunt, divinum praeceptum aperte transgrediuntur. II. Neque reponere juvat vetuisse Deum ne sculptile fiat aut similitudo, ut ad instar deorum gentium adoretur. Hebraei namque ne cogitabant quidem simulacra et figuras ethnicorum venerari: sed extrinseca illa signa usurpabant tamquam symbola quaedam verae divinitatis, cui tantum deferre divinos intendebant honores. Sic in deserto non vitulum aureum per se, sed in vitulo cultum vero Deo impenderunt: quapropter nomen ei imposuerunt *Jehovah*, clamare tuba facientes, *Cras solemnitas Jehovah est*. III. Et si quidem Judaei simulacra propter simulacra adorassent, pejores sane fuissent Gentilibus: qui testibus Origene lib. 7. cont. Cels. Arnobio lib. 6. adv. Gent. Lactantio lib. 6. Instit. in eorum idolis ac statuis veri Dei caeli imaginem considerabant. Et Deus nihilominus ritum illum tum in Judaeis, tum in Gentilibus execratus est. Poterit ne eumdem in Christianis approbare? IV. Veteres omnes recentioresque fideles in aeneo illo serpente quem Moyses ex Dei mandato ad Israelitarum medenda vulnera erexerat, una voce affirmant praefiguratum fuisse Christum in cruce pro peccatis nostris pendentem. Et tamen in lib. 4. Reg. cap. 18. legitur: *Dissipavit* (Ezechias) *excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem aeneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum*. Illud idem scandalum Imagines venerando renovant nunc catholici Romani.

Resp. breviter ad singula. Atque ad 1. Johannes Dallaeus qui post Calvinum in hoc argumento sibi tantopore placet, non animadvertit ex aequo facere etiam contra suam de Imaginibus sententiam. Nam concedit ipse Imagines effingere et ad praeclara Sanctorum gesta in memoriam revocanda retinere, illicitum non esse: imo aliquem ipsis cultum denegare non audet. Ast si laudatum ex Scriptura praeceptum sensu a se aliisque Calvinianis exposito intelligatur, nonne quae Imaginibus ipsi concedunt sunt expresse prohibita? 2. Sunt inter Interpretes atque Theologos viri doctis-

simi qui post Origenem, Justinum, Tertullianum, aliosque veteres arbitrantur legem de qua in argumento, latam quidem a Deo fuisse absolute: sed contendunt legem illam esse positivam ac caeremonialem et pro solis Judaeis promulgatam. Eaque ad id adstruendum ratione ducuntur, quod Hebraei ex contubernio cum superstitiosis Ægyptiis nuper emersi, vehementem ad idololatriam haberent inclinationem: propter quod voluit Deus non modo idololatricum illis vetare cultum, sed quidquid ad superstitionem allicere poterat, simulacra figuras imagines ab eis removere: atque idcirco solis Judaeis lex illa data fuit, nec in perpetuum duratura, sicuti praecepta reliqua de sacrificiis ac caeremoniis. Hinc factum est, addunt, ut Deus ipse post latam illam legem praeceperit Moysi et arcam testamenti construere, et super illam Cherubim aureos locare, et aeneum serpentem exponere oculis populi: quod plane non fecisset, si mandatum illud esset de jure naturae. Hac admissa interpretatione quae sua non caret probabilitate, quamque Mesnerius lutheranus etiam amplectitur, omnem amittit vim argumentum. 3. Ceterum ad veritatem magis accedere mihi videntur qui cum doctissimo Beda affirmant Deum in V. Testamento non omnium omnino imaginum, sed earum dumtaxat quae falsum aliquod repraesentarent numen usum prohibuisse: hoc est, proscripsisse simulacra et imagines quae ad instar deorum gentium adorarentur; ita ut praecepti sensus sit: *Non facies tibi sculptile ad adorandum*. Expositionis hujus veritas suis demonstrari potest momentis. Et primo quidem ex eo quod post emanatam illam sanctionem Moyses ex Dei mandato, ut paullo supra diximus, arcam testamenti et Cherubim et aeneum serpentem conflaverit, et Salomon in templo posuerit, non improbante Deo, Cherubim bovem leonumque figuras, praeter alia bene multa ornamenta. Jam vero si lex illa absolute et absque ulla conditione lata fuisset, verisimile ne est statim in ea voluisse Deum dispensare? Deinde huic interpretationi apertissime favet integer loci illius contextus. Nam ante memoratam in argumento legem Deus per os Moysis hoc tradiderat mandatum: *Ego sum Dominus Deus tuus ... Non habebis deos alienos coram me*. Quapropter dum addit, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, significare vult non esse ab Hebraica gente simulacra facienda vel imagines *ad adorandum*. Quod luculenter exprimitur ad calcem praecepti per illa verba, *Non adorabis ea, neque coles*. Hinc Lev. cap. 26. legem illam inculcans et repetens, ait Dominus: *Non facietis vobis idolum, et sculptile*, ubi Septuaginta interpretes habent: *Non facietis vobis idolum, et simulacrum*. Et clarius adhuc mentem suam aperit Moyses v. 23. dicens: *Non facietis deos argenteos, neque deos aureos*, hoc est idola; unde consequitur praeceptum de non effingendis sculptilibus unum idemque esse cum illo, *Non habebis Deos alienos*. Quod si in sensu adversariorum lex accipiatur, jam non decem, sed undecim numeranda erunt Decalogi praecepta; primum videlicet, *Non habebis Deos alienos*: alterum, *Non facies tibi sculptile*: tertium, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*; et sic porro de reliquis, ut observarunt Clemens alexandrinus in 6. Strom. Hiero-

nymus in Psal. 32. et Augustinus Q. 71. in Exo. ubi sic inquit: *Quo enim pertinet, Non facies tibi idolum, neque ullum simulacrum ... non adorabis ea, neque servies illis, nisi ad id quod dictum est, Non erunt tibi dii alii praeter me?* Non debet ergo nos laudatum praeceptum movere ad cultum sacrarum imaginum abjiciendum.

Ad 2. Uno verbulo, *nego*, tota Calvini machina qua secundo loco Imaginum cultum evertere conatur, corruit. Falsum est enim Judaeos in vituli adoratione veri Dei oblitos non fuisse, quamvis clamare fecerint buccina, *Cras solemnitas Iehovah est*. Moyses quippe Deut. cap. 32. v. 18. sic exprobrat illis infandum quod in deserto patraverant facinus: *Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui*. Et David Psal. 105. v. 19. inquit: *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile ... Obliti sunt Deum etc.* Et Jerem. cap. 2. v. 5. *Ambulaverunt post vanitatem* (idolum,) *et vani facti sunt?* Et *non dixerunt: Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti*. Falsum est etiam quod tam confidenter affirmat Calvinus, Judaeos in suis idolis unum verum Deum caeli adorare intendisse. Moyses namque loco proxime citato redarguens eos quod in idololatriam incidissent, *Immolaverunt*, inquit v. 17. *daemoniis, et non Deo, diis quos ignorabant*. Et Josue cap. postremo datur filiis Israël optio vel diis alienis vel Deo Israël serviendi. Propter hoc igitur, non quod simpliciter et absque superstitione imagines colerent, acriter Judaei reprehenduntur in Scripturis.

Ad 3. Falsum et illud est quod Calvinus addit, gentiles simulacra et imagines tamquam veri Dei symbola coluisse, eaque tantum de caussa reprehendi quod statuis uterentur atque figuris. Nam quamvis nonnulli inter eos cordatiores statuarum lignorumque superstitionem irriderent, quis tamen est praeter Calvinum qui nesciat universum vulgum paganorum simulacra propterea coluisse, quod in illis vel divinitatem aliquam residere vel supernam a diis communicatam retinere virtutem arbitrabantur? Legantur vehementes Prophetarum Apostolorum ac Patrum in gentiles censurae. Nobis interim satis sit unum ad rem hanc afferre Augustinum, qui serm. 2. in Psal. 113. scribit: *Cum adorari atque honorari a multitudine coeperit* (simulacrum,) *parit in unoquoque sordidissimum erroris affectum, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat numen occultum*. Augustino addamus Arnobium qui caecitatem suam dum in gentilitate esset deplorans ita lib. 1. cont. Gent. inquit: *Venerabar, oh caecitas! nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos ... Tamquam inesset vis praesens adulabar, affabar, et beneficia poscebam. Deos esse credebam ligna, lapides, ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia*.

Ad 4. Quum filii Israël aeneum illum serpentem quem fabricaverat Moyses colere ethnicorum more coepissent eum veluti supremum aliquod numen adorando, ad tam probrosum scandalum amovendum piissimus rex Ezechias recte et prudentissime illum confringere fecit. Ast numquid simile quidpiam erga sacras Imagines faciunt Catholici? Praecipua

itaque veterum recentiorumque Iconomachorum tela ex Scriptura deprompta frigida sunt et arundine fragiliora.

Obj. 2. Concilium Illiberitanum initio saeculi IV. in Hispania celebratum hunc in sacras Imagines edidit canonem: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur*. II. concilium C-P. sub Leone Isaurico habitum, et alterum item C-P. Episcoporum 338. sub Copronymo, utrumque teste Paulo diacono lib. 22. solemniter definivit abjiciendas esse Sanctorum imagines. Illarum usui igitur et cultui Ecclesiae traditio nullimode favet.

Resp. ad 1. Si doctissimi Petavii opinionem amplectamur, argumentum ex Illiberitano concilio deductum ad rem nostram minime facit. Nam tribus prioribus Ecclesiae saeculis sacrarum usus Imaginum non admodum frequens erat, ut ab exordio hujus controversiae observavimus, nec simul et semel deinceps ubique terrarum obtinuit. Fac itaque tempore quo Illiberitana synodus habita est usum illum apud Hispanos non adhuc obtinuisse, quid mirum si illius synodi Patres animadvertentes alibi retineri, ad novitatem omnem vitandam laudatum ediderint canonem? Non spernenda quoque videtur canonis illius expositio tradita a cl. Albaspinaeo qui putat vetuisse concilium pingere in parietibus non Sanctorum, sed Dei ac Trinitatis imagines, *Ne quem gentilibus et catechumenis immensum, omnipotentem, invisibilem, materiae expertem ... praedicarent, eum ipsi gentiles et catechumeni in ipsorum ecclesiis lineis et coloribus circumscriptum cernerent*. Nonnulli post Sanderum canonem interpretantur non de absoluta imaginum prohibitione, sed de illarum pictura in parietibus; idque ex prudenti quadam oeconomia. Quum enim ferverent adhuc in Christianos ethnicorum persecutiones, si aliquando fugam arripientes templa relinquere cogerentur, ne infidelium ludibrio sacras exponerent Imagines memoratum canonem ediderunt. Alii alias afferunt caussas. Unum ego animadverto, laudati canonis verba supponere quod Protestantes inficiantur, nempe Sanctos in caelis cum Chisto regnantes colendos esse et adorandos. Haec enim ne imagines in parietibus pingantur affertur ratio, *Ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur*.

Ad 2. In primis si duo illa concilia auctoritatem haberent, jam everteretur etiam systema Dallaei: definiunt quippe ut imagines frangantur ubique, ac pessum dentur: quod non permittit Dallaeus. Verum non concilia, sed conciliabula duae illae Episcoporum congregationes fuerunt, absque legitima auctoritate convocatae, et tumultuarie celebratae sine suffragiorum libertate. Quare nec ab aliis patriarchalibus sedibus fuere receptae, a Romanis Pontificibus expresse rescissae, et ab universali Ecclesia in legitimo Generali septimo concilio damnatae.

Obj. 3. SS. PP. auctoritatem. Irenaeus lib. 1. adv. Haer. cap. 24. Carpocratem haeresis etiam hoc titulo damnat, quod Christi ac Pauli retineret et adoraret imaginem. Tertullianus de Jololol. cap. 3. docet statuarum imaginumque usum invectum fuisse a diabolo. Ambrosius de obitu Theod. affirmat crucis lignum adorare, gentilium esse errorem. Hieronymus in

cap. 3. Danielis, prophetam hunc commendat quod statuam adorare noluerit, hanc afferens caussam, quoniam *cultores Dei eam adorare non debent*. Epiphanius in Ep. ad Johannem hierosolymitanum narrat quod cum per villam quae dicebatur Anablatha pertransiret, velum cum expressa Christi vel Sancti imagine ad fores ecclesiae vidit, et animadvertens id esse contra auctoritatem Scripturarum, scidit illud, et custodes hortatus est ut eo pauperem mortuum obvolverent. Gregorius M. demum in suis ad Serenum massiliensem episcopum literis vult quidem ut B. Virginis ac Sanctorum imagines in templis ad rudis populi instructionem retineantur, negat tamen illis cujuslibet generis cultum.

Resp. exponendo brevissime singula Patrum testimonia. Scite Irenaeus cultum quem Carpocrates Christi et Pauli imagini deferebat, damnat et rejicit: tum quia sacras illas Imagines eodem habebat loco ac illas Homeri, Pythagorae, Platonis, Aristotelis; tum etiam quoniam cultu omnino idololatrico, cruentis nimirum sacrificiis, eas venerabatur. Patet id ex Epiphanio Haer. 27. et ex Augustino Haer. 7. Ex ipso Tertulliani titulo libri apparet non de Sanctorum in caelis regnantium imaginibus, sed de imaginibus ac simulacris deorum quos insana gentilitas in eis adorabat, se habere sermonem: quapropter nihil commune cum caussa nostra habet. Nihil quoque habet Ambrosius quod nostrae contradicat sententiae; affirmat enim Helenam ante veram crucem prostratam Christum Dominum cultu latriae adorasse, *non lignum: quia hic gentilis error est*: quod nos quoque docemus. Quod ad Hieronymum spectat, bene habet *cultores Dei statuas non adorare*. Sed quas statuas? illas videlicet quae ad statuae Nabuchodonosoris imitationem publico latriae cultui exponuntur, ut insana adulatorum turba erga imperatores facere consueverat, quibus etiam impiissimis divinos decernebat honores. Venio nunc ad Epiphanium et variis omissis eruditorum interpretamentis, cum Petavio aliisque doctis viris dico in ecclesia cui Epiphanius praeerat, ipso vivente non adhuc Imaginum cultum obtinuisse, sed veterem servatam fuisse disciplinam non exponendi publico cultui Imagines, ne gentilium paterent irrisioni, aut occasionem inde nanciscerentur Christianos accusandi idololatriae. Cum ergo ab ecclesia sua egressus ad sanctum invisendum locum qui vocabatur Bethel properaret, videns in villa Anablatha ad templi fores velum depictum quasi Christi vel alicujus Sancti, ut ipse ait, imaginem habens, rem contra Ecclesiae disciplinam existimans in partes illud discidit. Quid inde colligere adversus nos possunt Protestantes? Non aliud quam Imaginum usum non simul et semel in omnibus ecclesiis obtinuisse: quod ab initio ultro citroque fassi sumus. Unius superest Gregorii mens exponenda in Ep. ad Serenum quae ex simplici facti narratione facile deprehenditur. Serenus episcopus massiliensis plus aequo forte sacris infensus Imaginibus, quum animadvertisset Massilienses suos in Imaginum cultu modum aliquantulum excessisse, timens ne nimia illa religio in superstitionem deflecteret idololatricam, indiscreto zelo commotus Imagines omnes e loco suo motas confregit, et extra ecclesiam projicere fecit. Indigne id ferentes Massilienses a sui Pastoris discessere communione, et

de eo quod evenerat S. Gregorium Romanum Pontificem certiorem reddiderunt: qui gravissima epistola Serenum de intempestivo zelo redarguens, illum hortatur ut juxta veterem Ecclesiae disciplinam in pristinum locum restituat Imagines, simulque doceat populum modum illas colendi. Verum quum nihil prima hac epistola a Sereno obtinuerit, alteram ad eum dare coactus est, in qua quae in priori jam scripserat, vehementiori stilo iterum inculcat. Ex brevi hac historia manifesto colligitur quod ubi Gregorius Sereni zelum commendat quod Imagines adorari vetuisset; de adoratione latriae quae soli Deo debetur, non de adoratione latriae minori quae a nobis dicitur duliae, sermonem instituit. Et excludere quidem ab Imaginibus cultum latriae, patet ex illis bis et tertio repetitis verbis: *Ostendendum quia omne manufactum adorare non licet: quoniam scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Quod vero ab illis non excludat imo supponat cultum duliae, ex eo apparet quod dicat docendum esse populum ut coram Imaginibus detectum caput inclinet, *in humum procumbat, et ex visione rei gestae ardorem compunctionis percipiat.* Quorsum haec si nulla per Gregorium deberetur eis veneratio? Sane non alias usurpavit Tridentinum concilium phrases ad duliae cultum Imaginibus debitum inculcandum. Quibus si addas eumdem sanctum Pontificem alibi absque ulla ambage verborum dignas agnoscere Imagines cultu duliae, res tota jam confecta est. Hoc autem luculentissime tradit tum in ep. ad Januarium calaritanum, tum in alia ad Secundinum, in qua de Salvatoris loquens imagine quam Secundinus desiderabat, scribit: *Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum aut passum aut in throno sedentem recordamur.* Non est ergo cur Dallaeus tam saepe repetat Gregorium decernere habendas esse Imagines ad rerum a Sanctis gestarum memoriam excitandam; dum enim unum dicit, alterum, ut mox observavimus, non denegat: et ad Serenum scribens totus erat ut schismatis scandalum a Massiliensi ecclesia depelleret, episcopum hortando ad sanctarum Imaginum in pristinum locum restitutionem.

Obj. ultimo. Caroli M. ac subinde Ludovici et Lotharii temporibus, initio videlicet saeculi IX. sacrarum cultus Imaginum ab universa fere explosus fuit occidentali ecclesia; unde saeculo IX. ac deinceps nonnisi per superstitionem cultus ille plerasque occupavit ecclesias. Et Imaginum cultum memoratorum principum aetate damnatum fuisse in toto fere occidente res est luce ipsa meridiana luculentior. Nam I. in concilio tercentorum et amplius Episcoporum a Carolo M. Francofurti collectum, ad examen diligentissime revocatis iis quae in secunda Nicaena synodo gesta ac definita fuerant, omnia et singula rescissa fuerunt et exauctorata sequenti canone num. 2. *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita ut deificae Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur: qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem*

et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt. Quam definitionem maximi ponderis esse ex eo apparet quod etiam Romanae sedis legati Theophylactus et Stephanus illi consentiendo subscripserint. II. Carolus ipse M. imperator quatuor edidit aut edi jussit volumina, quae libri carolini appellantur, in quibus auctor stilo admodum concitato totus est ut Nicaeni II. concilii auctoritatem a fundamentis evertat: et in primis affirmat majorem concilii hujus quam illius sub Copronymo celebrati fuisse impietatem, *Quoniam in istis*, inquit, *fuit levitas, in illis vero* (nempe Nicaenis,) *atrocitas: in istis imperitia, in illis nequitia: isti Deo se obsequium praestare arbitrantes eas imagines ab ornamentis basilicarum abstulerunt, illi Deum ad iracundiam provocantes ejus domum crudeliter diruerunt*. Deinde Scripturae Patrumque testimonia quibus nicaeni illi Patres ad cultum statuendum Imaginum usi fuerant, in diversum sensum detorquet et interpretatur, eosque reprehendit ac damnat quod Imagines cum Evangeliorum libris aut Cruce aut Sanctorum reliquiis comparaverint. Alia ibi continentur complura quae nullam plane benignam admittere possunt interpretationem. III. post Francfordiense aliud habitum est sub Ludovico Pio Caroli M. filio Parisiis Concilium, in quo Praesules Galliarum Francfordiensis concilii et Caroli M. zelum in extirpando de Imaginum cultu errore usque ad sidera extollunt: et quae contra Nicaenam II. synodum statuta fuerant, propriis calculis confirmant, et Adriani R. P. epistolam ad Constantinum et Irenem vellicare non detrectant dicentes, *Indiscrete noscitur fecisse in eo quod superstitiose eas adorare jussit, pro quarum etiam caussa synodum congregari praecepit, et sua auctoritate sub jurejurando censuit ut erigerentur et adorarentur et sanctae nuncuparentur, quum erigere licitum, adorare vero nefas sit*. Silentio consulto praetereo quae editis voluminibus ea aetate contra Imaginum cultum promulgarunt Jonas aurelianensis, Agobardus lugdunensis, Hincmarus remensis, Dungalus, et Walafridus Strabo: quoniam scripta haec omnia in unum eumdemque finem collimant, ut cultus omnis Sanctorum imaginibus auferatur, facta facultate dumtaxat eas in basilicis vel ad ornatum vel ad rerum a Sanctis praeclare gestarum memoriam retinendi. Deest itaque Catholicorum de Imaginum cultu doctrinae praesidium perpetuae traditionis. Ita post Calvinum Dallaeus magno verborum apparatu.

Resp. Non expedit ut quae gravissimo huic argumento multi reponere solent Theologi, in medium hic afferamus; tum quia numquam finem haberet oratio, tum etiam quoniam ea commode legere poterunt adolescentes apud controversiarum Tractatores. Eam ego subjiciam ad argumenti vim propulsandam solutionem quae receptissima et communis est apud Theologos, quaeque difficultatis nodum qui ex tribus allatis monumentis exoritur, unico ictu ni fallor praecidit, Gallos nempe atque Germanos episcopos Caroli M. ditioni subjectos, ipsumque Carolum Augustum in judicio de concilio Nicaeno II. ferendo deceptos fuisse errore facti. Durum forte hoc videbitur Dallaeo responsum. Sed si ad pauca quae mox sub-

nectam attendere velimus, nubeculae quibus materia haec obvoluta videtur excuti facile ac dissipari poterunt. Et 1. ex historia exotica constat tempore II. Nicaeni concilii non leves Graecos inter et Gallos viguisse simultates, quod hi gravissimas acceperint ab illis contumelias. Unde quidquid a Graecis proficiscebatur, ad religionem praesertim spectans, aut impium Gallis videbatur aut impietatis suspectum. Porro Nicaeni concilii Patres in Imaginum cultu adversus Iconomachos restituendo, phrases aliquas quae multis aequivocae videbantur usurparunt, puta, *imagines sanctas esse ac venerabiles, esse dignas adoratione atque, colendas quomodo Crux, Evangelia, reliquiae Sanctorum*. Hi autem loquendi modi penes Gallos atque Germanos inauditi erant illis temporibus ubi sermo habebatur de Imaginibus. Nomen quippe *adorationis* adhibebatur solummodo ad latriae debitum Deo cultum exprimendum: quapropter auctor librorum carolinorum lib. 1. cap. 2. *Non mediocris*, inquit, *est error, cum aliud adoratur religionis cultu quam is qui dixit, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Similiter res illae *sanctae* tunc appellabantur quae non *repraesentativam* seu extrinsecam, sed veram et internam habent sanctitatem. Graeci autem in eo concilio Imagines sanctas esse ac venerabiles decreverunt: quamobrem idem auctor ibid. cap. 26. subdit: *Magna ex parte errare eos constat, cum eas sanctas esse asserunt, et in locis contaminatis statuendas decernunt*. Eodem excipiebant sensu quae de Imaginum comparatione cum Cruce Evangeliis ac Sanctorum reliquiis Nicaeni Patres affirmaverant: propter quod lib. 2. cap. 28. libror. carolin. auctor scribit: *Quanta ratione mysterium dulcissimae Crucis ab imaginibus distet, quas quidem ille eidem comparare contendunt*. Si Carolus imperator suaeque ditionis Episcopi animum ab omni livore erga Graecos vacuum habuissent, nonne locutionum quae apud eos inusitatae erant, sensum et explicationem vel a Graecis ipsis vel ab aliis occidentis Episcopis petiissent? 2. Optime observat Sirmondus Carolum M. cum plerisque occidentis Praesulibus Nicaenam synodum pro oecumenica non habuisse. Hinc idem auctor lib. 4. cap. 28. inquit: *Inter cetera deliramenta quae in eadem synodo vel gesta vel scripta dicuntur, hoc quoque non omnibus eorum deliramentis minus est quod eamdem synodum universalem nuncuparent*. Idem tradit aliis in locis, nec mirum. Nam ad eam soli Graeci convenerant, nec occidentalium sententia per epistolas juxta ecclesiasticum morem fuerat corrogata, nec Adrianus ipse Romanus Pontifex qui synodum e Graecia acceptam misit in Galliam, eamque e librorum carolinorum vindicavit contradictione, synodi illius tamquam oecumenicae auctoritatem umquam opposuit. Qua de re quum Carolus sibique subjecti Episcopi rem contra peculiare quoddam concilium se habere arbitrarentur, et duo in illo statuta observarent, recipiendas nimirum esse Imagines easdemque adorandas, quorum unum admittebant, alterum ex male intellecta adorationis voce repudiabant; mirari non subest si non modo illius auctoritate commoti non sunt, sed praeterea adversus illud nimis aspere insurgentes tamquam deli-

rantium hominum congregationem condemnarunt. Quae igitur laudatis in argumento momentis in eam synodum irreverenter dicta sunt, neminem adversus definitum Imaginum cultum movere debent. 3. Accedit et illud quod magis excusatione dignos reddit Gallicanos antistites, versionem videlicet latinam Nicaeni II. concilii quam prae manibus illi habuerunt, oscitanter nimis, ne dicam inscite vel malitiose, fuisse adornatam. Nam qui inter graecos latinosque codices collationem instituerunt, observarunt versionem pluribus in locis textui non respondere, et in aliis non paucis contrarium exprimere sensum. Rem exponamus unico sed gravissimo exemplo. Constantinus Constantiae in insula Cypri episcopus concilii definitionem calculo suo firmans, ita subscripsit: *His consentio et concors efficior, suscipiens et amplectens honorabiliter sanctas et venerabiles Imagines: atque adorationem quae per latriam, idest Deo debitam servitutem efficitur, soli supersubstantiali et vivificae Trinitati impendo*. Ita textus. Interpres autem ut sequitur: *Suscipio et amplector honorabiliter sanctas et venerabiles Imagines, atque secundum servitium adorationis quae substantiali et vivificatrici Trinitati, emitto*. Jam vero concilii Francfordiensis Patres qui acta Nicaeni II. examini subjecerunt, recensitam Constantini subscriptionem in translatione legentes, simulque observantes a Patribus illis non solum non fuisse rejectam, sed approbatam, canonem edidere quo concilium *contempserunt, et consentientes condemnaverunt*. Quum vero Graeci illi episcopi subscriptionem quae non Constantini, sed translatoris erat non approbaverint, quis non videt concilii Francfordiensis damnationem Nicaenum II. concilium non impetere? 4. denique et illud animadversione dignum est, non uno eodemque ritu iisdemve exterioribus signis, ut ab initio hujus controversiae diximus, singulas gentes duliae cultum erga Imàgines exprimere consuevisse, sed unum Graecos, alium Latinos, et alium nonnullas particulares ecclesias ad venerationem suam protestandam usurpare. Graeci ab initio modum forte in eo cultu significando excesserunt. Nam osculabantur Imagines, coram illis procumbebant, concinnabant luminaria, thus adolebant, aliaque faciebant hujusmodi quae apud nos in usu non erant, sed tamen subsequentibus temporibus ubique obtinuerunt. Et nicaeni Patres exterioribus hisce signis colendas deinceps esse Imagines decreverunt, ut honor, ni fallor, quo eas insolentissime defraudaverant Iconomachi, eis restitueretur. Ast in Gallia signa haec extrinseca a Graecis pro Imaginibus sancita, usurpabantur dumtaxat ad latriae cultum erga Deum significandum, adhibitis erga Sanctorum imagines signis quibusdam admodum levibus. Hinc nova suspiciorum caussa: unde auctor lib. carol. lib. 4. cap. 3. inquit: *Admonet etiam ne quis scandalizetur eo quod ante Imagines luminaria concinnant, et thymiamata adoleantur quasi non illi scandalizati sint, qui rebus luce carentibus luminaria incendunt, et odore carentibus odorifera thymiamata offerunt. Illi etenim scandalizentur qui ea quae digne Deo offerenda sunt, rebus sensu carentibus offerunt, et offerre hortantur. Et nos scandalizandos autumant, a quibus suam vesa-*

niam rationabiliter subsannandam formidant. Et concilii Parisiensis Patres non solum propter haec Nicaenum concilium accusant, et Adrianum R. P. carolinis libris, non ut decuit, sed ut potuit respondisse dictitant: sed conqueruntur praeterea de Italis quod modum colendi Imagines a Graecis praescriptum absque ulla difficultate adoptaverint. Si Calvinus et discipulus ejus Dallaeus quibus ingenium ac eruditio non deerant, ad haec quae modo adnotavimus omni partium studio seposito serio attendissent, tam fidenter certe non pronuntiassent Episcopos Galliae atque Germaniae initio saeculi IX. omnem penitus Imaginum cultum abjecisse: sed agnovissent et ipsi cultum dumtaxat immoderatum et superstitiosum, qualem a Graecis sancitum fuisse putabant, non discretum et moderatum condemnasse. Hunc etiam admisisse patet tum ex quo decreverint retinendas esse Imagines *memoriae et amoris caussa ob recordationem eorum quorum sunt imagines*; tum quod subscripserint Gregorii M. epistolis ad Serenum massiliensem datis; tum denique ex rei eventu. Nam postquam irreconciliabile illud odium quo Galli adversus Graecos ferebantur refrigescere coepit, et meliori mente rem totam rursus ad examen revocarunt, non solum II. Nicaenum concilium velut legitimum et oecumenicum receperunt, sed ritus eosdem eademque extrinseca signa in eo concilio sancita, in Imaginibus colendis cum reliquis occidentalibus adoptarunt. Atque haec pro ineffabili divinae Incarnationis mysterio, proque Sanctorum et Imaginum cultu disseruisse sufficiat. Et quoniam Protestantes adversus quos postremo loco disputavimus, divinissimum Incarnationis mysterium contra veteres recentioresque heterodoxos ac philosophantes nobiscum agnoscunt, addant fidei Incarnationis cultum et reverentiam Sanctis cum Christo in caelo regnantibus eorumque sacris Imaginibus. Et quemadmodum cum dilecto discipulo repetunt, *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*; ita fateantur Sanctos in patria regnantes per Domini Jesu merita et virtutem intercessores esse pro nobis apud Patrem et Filium et Spiritum sanctum: qui si a nobis religiose colantur, et humili devotoque animo invocentur, pro aeterna nostra salute interpellabunt.

FINIS.

INDEX

LIBER XXII.

In quo Judaei refelluntur atque Gentiles mysterium denegantes Incarnationis.

LIBER XXIII.

In quo praecipua Fidei dogmata circa essentiam Incarnationis propugnantur, ac utiliores scholasticae quaestiones ad rem facientes resolvuntur.

LIBER XXIV.

De variis Christi Domini titulis, nominibus, et officiis.

LIBER XXV.

In quo pertractatur de redemptione per Christum.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 136 lin. 35 saudetur	suadetur
» 154 lin. 4 appertissime	apertissime
» 185 lin. 29 Antiochia	Antiochiam
» 192 lin. 11 *Antea*	*Ante*
» 198 lin. 30 dissertissime	disertissime
» 285 lin. 9 vellet rem	vellet , rem
» 293 lin. 24 ipsi splacatus	ipsis placatus
» 326 lin. 28 *qui missit*	*qui misit*
» 332 lin. 39 saecundi seculi	secundi saeculi

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Rambaldi
Lector, et Vicarius S. Officii Fulginiæ.

IMPRIMATUR

Pro Illmò ac Revmo D. D. Episcopo Fulginatense,
Nicolaus Prim. Rossi Revisor Deputatus.